

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

TRACTATUS

DE VERA RELIGIONE, DE VERA CHRISTI ECCLESIA ET DE ROM. PONTIFICE

COMPLECTENS.

CONCINNAVIT

DR. JOSEPHUS STADLER,

IN R. UNIVERSITATE ZAGRABIENSI PROFESSOR P. O.

CUM APPROBATIONE EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI CARDINALIS ET ARCHI-EPISCOPI ZAGRABIENSIS.

ZAGRABIAE 1880.

EX TYPOGRAPHIA ALBRECHTIANA.

Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.

Joa. XVII. 3.

B. V. MARIAE

REGINAE

SINE LABE ORIGINALI CONCEPTAE.

Tibi Immaculata semper Virgo, quae es virga Iesse, ex qua flos Christus est ortus, hunc librum devote offero, ut fruticibus vitiorum exstirpatis radicitus, plantas divinae cognitionis in omnibus eum legentibus inseras Tu, liber incomprehense, quae Verbum et Filium Patris mundo legendum exhibuisti.

JOSEPHUS STADLER.

LECTORI BENEVOLO.

Cum cogitarem, quam multa et erudita volumina de rebus theologicis exstent, angebar animo atque retrahebar ab edendo hoc libro, cleri junioris usui destinato. Verum duplex me ad scribendum ratio movit. Prima est magna hostium copia, qui non verentur modo eadem iterum atque iterum proferre contra Ecclesiam sophismata, modo armis variatis eodem tamen vel majori in dies odio undique contra eam insurgere ad eam, si fieri posset, evertendam. Aequum igitur et justum est, ut omnes hostes a matre nostra Ecclesia magno conatu arceamus vel eadem quae antea plurimi protulerunt, vel alia argumenta proferendo.

Sicut fas est, ut hostes ab Ecclesia repellantur, ita quodcumque in ejusdem Ecclesiae Dei agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et perficiatur: atque haec est altera quae me ad scribendum impulit ratio. Dogmata enim, dum vario modo explicantur et expoliuntur, accipiunt evidentiam, lucem, distinctionem; theologiae vero studiosi incipiunt intelligere illustrius, quod ante obscurius credebant, et quod ante non intellectum venerabantur, intellexisse se delectabuntur.

Falleretur sane, qui in libri hujus tractatibus novi aliquid quaereret, quod nusquam vel dispersim scriptum invenire posset. Consilium enim jam ab initio cepi, quae ab optimae notae theologis in hac materia dispersim scripta sunt colligendi atque systematice illo modo componendi, quo discipuli et materiam traditam memoriae fa-

cilius mandarent, et doctrinae nexum melius intelligerent, et doctrina demum acquisita securius uterentur.

Tractatus de traditione, scriptura et genesi fidei, qui theologiam fundamentalem complent et in hoc libro desiderantur, post unum alterumve annum, si Deus permiserit, in lucem edentur.

Si quid, me inscio et invito, in libro hoc inveniatur contra S. Matris Ecclesiae doctrinam, in antecessum revoco et irritum facio.

Zagrabiae festo SS. Petri et Pauli 1880.

TRACTATUS

DE VERA RELIGIONE, DE VERA CHRISTI ECCLESIA ET DE ROM. PONTIFICE.

Tractatus de vera religione.

Prolegomena.

Theologia est erudita veritatum revelatarum tractatio veraque scientia.

I. Theologia, si nomen (Θεός et λόγος) spectes, est sermo, seu scientia et doctrina de Deo. Logos autem non sermonem tantum significat, sed et rationem et scientiam, vel etiam doctrinam. Theologia ergo est jam vi nominis: λόγος τοῦ Θεοῦ, doctrina Dei; vel λόγος περὶ τοῦ Θεοῦ, doctrina sive scientia de Deo.

II. Theologiae nomen primum adhibuerunt PP. graeci, quamvis strictiori significatu; theologiam quippe dixerunt illam sacrae doctrinae partem, quae de Deo, divinisque personis disserit; eam vero, quae de incarnatione Filii Dei agit, et hominis per incarnationem reparationem totumque salutis ordinem complectitur, oeconomiam vocarunt. Verum usus invaluit imprimis apud latinos, ut theologiae nomine intelligerentur omnia tum quae Deum spectant ejusque perfectiones, tum quae ejus cultum concernunt, veritatesque omnes ab eo revelatas. Quocirca theologia in genere objective dici potest *complexus seu systema veritatum religionis ex certis principiis deductarum;* subjective autem sumpta, est *cognitio religionis erudita.*

III. Duplicem viam inire possumus ad ea, quae Dei sunt, et quae ad finem nostrum et vitam recte instituendam pertinent, investiganda. Vel enim solam naturalem rationem sequimur, vel haec omnia admoto superiori lumine perquirimus, et ex principiis fidei, seu ex verbo Dei conclusiones ordine disciplinae colligimus. Inde duplex exurgit theologia, naturalis et revelata. Theologia naturalis ad nos nunc non pertinet; quum enim utatur principiis mere philosophicis, ad philosophiam refertur. Strictiori igitur sensu is tantum theologus dicitur, qui religioni revelatae studia sua consecrat. Hinc omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei per revelati-

onem cognoscibilis, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem.

IV. Theologia non sine causa vocatur cognitio religionis erudita: non enim omnis cognitio religionis theologum facit. Dei, eorumque, quae ad ejus cultum pertinent, cognitionem aliquam etiam plebs christiana habet, qua ea, quae credenda ipsi et speranda fide christiana proponuntur, scit, atque de iis etiam juxta suum quisque modum respondere potest. Verum haec cognitio vulgaris tantum est, et magis circa veritatum existentiam versatur, quam earum rationes, nec veritatum nexum videt, neque notas rerum varias distinguit, neque ex propositionibus certis conclusiones disserendo colligit, quibus fides gignitur, nutritur, defenditur et roboratur, ut ait s. Augustinus: quae tamen omnia ad cognitionem scientificam aut eruditam requiruntur.

V. Facilis est ergo solutio quaestionis, an theologia sit scientia. Nam quum non obiter tantum et confuse praecipua sacrae doctrinae capita proponat, sed certa ratione ac methodo progrediatur, ac conclusiones suas ex certis principiis ratiocinando eruat, profecto est scientia. Et sane scientiae prima dos est, ut sit certa, quae si desit, non scientia, sed opinio et hypothesis erit. Non quaevis deinde veritatis cognitio, quamvis certa, ad scientiae rationem sufficit. Videlicet scientiae objectum sunt veritates non divulsae ab invicem, sed cognitae in eo mutuo nexu, quem ex sese praeseferunt. Est enim inter veritates hierarchia quaedam, secundum quam una ex altera pendet, una ex alia promanat. Veritates, ex quibus aliae pendent, principia dicuntur, eo utique superiora et universaliora, quo plures iis veritates reguntur. Quum igitur totum veritatum systema principiis regatur, ea ipsa certa quidem sint oportet, ne non scientia sed systema opinionum et hypothesium constitutum esse videatur; non tamen requiritur, ut certitudo sit ex intrinseca evidentia, si principia aliunde tam objective quam subjective certa sint, quum evidentia eatenus tantum requiratur, quatenus ad gignendam certitudinem necessaria est.

Atqui theologia principiis regitur certissimis, non quidem ex sua evidentia, sed ex supernaturali fide, ex eisdemque pendentes veritates deducit et mutuum veritatum nexum intelligit. Est ergo vera et proprie dicta scientia. Sicut enim scientiae, quae subalternae vocantur, non ideo desinunt esse scientiae, quod a principiis progrediuntur, desumptis ex altiori scientia; ita theologia hac dignitate

non excidit, eo quod principia, ex quibus progreditur, in altiori solum scientia Dei et beatorum sunt evidentia et perspecta. Unde sicut optica credit principia sibi tradita e geometria, ita theologia credit principia revelata sibi a Deo. Et in hoc omnes scientiae cum theologia conveniunt. Nulla enim scientia sua principia probat, sed ex principiis in alia scientia demonstratis, argumentatur ad ostendendas res ad se pertinentes. Similiter et theologia non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei; sed ex iis procedit ad aliquid aliud probandum; sicut Apostolus (I. Cor. XV.) ex resurrectione Christi argumentatur ad resurectionem communem probandam.

Optime ad rem s. Thom. Aq.: „Considerandum est in scientiis philosophicis, quod inferiores scientiae nec probant sua principia, nec contra negantem sua principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiae, suprema vero inter eas, scil. metaphysica, disputat contra negantem sua principia, si adversarius aliquid concedat; si autem nihil concedat, non potest cum eo disputare; potest tamen solvere rationes ipsius. Unde sacra doctrina, cum non habeat superiorem, disputat contra negantem sua principia; argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur, sicut per auctoritates sacrae scripturae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum, quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes; sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem. Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est probationes, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes sed solubilia argumenta (Summ". p. I. q. I. a. VIII.)

VI. Theologia est scientia dignior omnibus aliis scientiis tam speculativis quam practicis. Imprimis theologia transcendit omnes scientias speculativas. „Speculativarum enim scientiarum una altera dignior dicitur tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiae. Et quantum ad utrumque haec scientia alias speculativas scientias excedit: secundum certitudinem quidem, quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare, haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest: secundum dignitatem autem materiae, quia ista scientia est principaliter de iis, quae sua altitudine rati-

onem transcendunt, aliae vero scientiae considerant ea solum quae rationi subduntur.“ (Summ. S. Thom. Aq. p. I. q. 1. art. V.)

Theologia transcendit quoque omnes scientias practicas. „Practicarum enim scientiarum illa dignior est, quae ad ulteriorem finem non ordinatur sed ad ipsam aliae velut finem ordinantur, sicut civilis est dignior militari, nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem theologiae in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est secundum omnem modum theologiam digniorem esse scientiam aliis.“ (Summ. S. Thom. p. I. q. I. art. V.)

VII. „Theologia accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad majorem manifestationem eorum, quae in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis, sicut civilis militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quae per naturalem rationem (ex qua procedunt aliae scientiae) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quae sunt supra rationem, quae in hac scientia traduntur.“ (Summ. S. Th. Aq. p. I. q. I. art. V. ad sec.)

VIII. Quaevis scientia, ut rite construatur, solido fundamento indiget. Cognosci nimirum oportet imprimis illius tum fons, ex quo, tum modus, quo veritates pertractandae hauriri debeant. Porro fons omnium veritatum, quae in theologia pertractantur, est r e v e l a t i o, cujus authenticus et infallibilis interpres ac fidei controversiarum judex est Ecclesia a Christo instituta, quam ut recte cognoscamus et ab omni alia falsa secernamus summi momenti est. Hinc revelatio divina et infallibilis Ecclesiae auctoritas omnium disciplinarum theologicarum fundamentum jure constituunt, et illa theologiae pars, quae de hoc fundamento agit, theologia fundamentalis merito appellari solet.

IX. Theologia fundamentalis seu generalis sponte sua in quatuor partes dividitur:

P r i m a pars praeliminaris, quae philosophica est et atheos, pantheistas, naturalistas etc. oppugnat, rationalem de religione et revelatione theoriam evolvit, per quam ad religionem divinitus revelatam et agnoscendam et accipiendam praeparamur.

Secunda pars, quae veritatem religionis christianae probat et ethnicos, judaeos, muhamedanos et omnis generis infideles refutat, de ipsa revelatione agit, cujus veram existentiam probat.

Tertia pars, quae veritatem Ecclesiae catholicae defendit et contra omnes haereticos seu spuriae ecclesiae asseclas dirigitur, exhibet nobis authenticum et infallibilem revelationis interpretem ac fidei controversiarum judicem in Ecclesia a Christo instituta, quam recte cognoscere, et ab omni alia ecclesia falsa secernere docet.

Quarta pars fontes Ecclesiae verae concreditos assignat, in quibus saluberrima doctrina divinitus patefacta continetur, quosque Ecclesia conservat et interpretatur.

Denique quum revelatio homini ratione praedito facta sit, nec ipsi liceat esse indifferentem, quando veritas aliqua ut divinitus revelata proponitur, instituta comparatione inter rationem et revelationem dabimus genesim illius actus, quo homo rationalis revelationem Dei loquentis amplectitur.

X. Illa vero theologiae pars, quae singulares veritates religionis catholicae seu revelationis christianae exponit, theologia specialis vocatur. Nos theologiam fundamentalem tantum pertractandam assumimus.

XI. Theologia ratione materiae dividitur in s p e c u l a t i v a m seu theoreticam et p r a c t i c a m. Speculativa res credendas, practica vero applicationem continet veritatum credendarum ad actiones. Theologia speculativa, quando intra revelationis limites coarctata est, idque sibi unice proponit, ut quae ad fidem pertinent, ex revelationis principiis eruat, stricte d o g m a t i c a vocari solet. Theologia vero practica, quum in morum disciplina tota versetur, etiam theologia m o r a l i s dicitur. Ad theologiam practicam praeter eam disciplinam, quae moralis proprio sensu vocatur, referuntur: p a s t o r a l i s, quae animarum pastores instituit, qua ratione debeant animas regere, earumque salutem, qui finis pastoralis officii est, promovere; a s c e t i c a, quae sicut moralis doctrina regulas agendi, sic ipsa m e d i a docet, quibus morum sanctitudo comparari, augeri ac perfici debeat; m y s t i c a seu ascesis sublimior, quae non consuetas perfectionis semitas ostendit, sed adhuc excellentiorem viam demonstrat, singularem cum Deo unionem docet et vitam tum activam tum contemplativam dirigit.

Quum scriptura, traditio et Ecclesiae auctoritas totius revelatae doctrinae fundamentum sint et quidquid theologiae studium complectitur, ex his potissimum firmitatem suam ac coelestis divinaeque

eruditionis characterem habeat, sequitur, ad theologicas disciplinas pertinere: *a)* studium biblicum V. et. N. T., id est disciplinam, quae non solum libros divina inspiratione conscriptos cognoscendos praebet, sed etiam eorundem authentiam et auctoritatem probat rectamque interpretationem docet; *b)* jus canonicum, quod ministrorum sacrorum potestatem seu imperium sacrum pertractat manantesque exinde leges ecclesiasticas proponit; *c)* historiam ecclesiasticam, quae vel religionis revelatae et Ecclesiae a Christo fundatae fata explorat, vel ipsas veritates a Christo revelatas et per traditionem ad nos transmissas cognoscit. Ex hac secunda parte studii historici oriuntur variae disciplinae historico-theologicae: patrologia, synodologia, symbolica, archeologia et historia litteraria.



Theologiae fundamentalis

Pars I.

Theoria rationis de religione et revelatione.

Caput I.

De religione naturali.

Articulus I.

Notio religionis.

1. Religio, quae quandoque pro societate Deum colentium usurpatur, objective sumpta est *summa veritatum et officiorum, relationes morales inter Deum et homines determinantium;* subjective vero considerata est *virtus moralis, per quam homines Deo tamquam rerum omnium principio debitum cultum exhibent*, seu est *virtus residens in homine, quatenus relationes inter se et Deum existentes agnoscit et perficit.* *) Hinc infinita Dei perfectio, summaque ejus majestas et in nos benignitas, atque nostra a Deo absoluta dependentia est quidem fundamentum objectivum religionis sive causa nos ad religionem obligans, nequaquam autem religio ipsa.

2. Religio alia est naturalis alia supernaturalis et revelata; si summa veritatum et officiorum, relationes morales inter Deum et homines determinantium, ex sola ratione humana hauritur, religio naturalis prodit, si autem a Deo ipso extraordinario modo manifestatur, religio revelata dicitur. Deus itaque omnis verae religionis objectum est, naturalis quidem ut auctor naturae supernaturalis vero ut auctor gratiae. Nobis hic sermo est de religione naturali.

3. Religionis naturalis alia pars est theoretica, alia practica. Summa veritatum, quae relationes inter Deum et homines clare et accurate determinant, religio theoretica, summa vero officiorum, quae ex praefatis relationibus deducuntur, religio practica nominatur.

---

*) Duo hic praesupponuntur in philosophia demonstrata: 1. Deum esse ejusque providentia cuncta gubernari; 2. animam hominis esse immortalem.

4. Religio demum potest esse tum vera, tum falsa. Religio vera ea est, quae veram de Deo existimationem et fidem habet, verumque ac legitimum cultum ipsi exhibet: contra falsa religio ea dicenda est, quae falsa de Deo docet et ipsi illegitimum cultum rependit.

5. Religio objective vera, id est talis, qualem eam juxta suam ideam esse oportet, manifeste potest tantum una esse; sicut enim una est tantum veritas, ita una tantum potest esse vera Dei cognitio unusque tantum verus cultus eidem conformis; uni rei una nonnisi notio unique ac certae relationi nonnisi unum officium respondet. Unde absurda est assertio, plures dari religiones aeque veras.

6. Religio jure naturae praecipitur.

a) Homo, utpote qui integer a Deo, ut supremo rerum principio, quoad corpus et animum dependet et propter Deum factus est, ad hunc suum finem totus tendere debet facultates suas rite adhibendo ac perficiendo. Quum ergo homo facultate cognoscendi et facultate operandi gaudeat, utriusque actibus se ad Deum referre debet. Jam vero se referre ad Deum facultate cognoscendi aliter nequit, nisi quatenus intellectum exercet in Dei notitia rite comparanda; pariter nequit se referre ad Deum facultate operandi, nisi quatenus illi debitum cultum et obsequium prestat. Sed notitiam perfectionis divinae et attributorum ex principiis naturae haustam nec non obsequium debitum Deo praestandum complectitur religio naturalis tamquam duas partes, theoreticam et practicam. Ergo religio ratione dictante homini praecipitur.

b) Deus divinas suas perfectiones et attributa sufficienter hominibus manifestavit; in mundi enim creatione emicat Dei potentia, in ejus ordine sapientia, in gubernatione providentia, in conservatione bonitas. Ergo exurgunt quaedam hominis erga Deum officia, et homo tenetur Deum sibi cognitum glorificare. Ratio enim dictat, quodlibet ens secundum dignitatem naturae et aestimandum et amandum esse, ideoque summo honore dignam summam sapientiam et perfectionem; gratum ac memorem animum summae bonitati summo jure deberi. Atqui summa veritatum et officiorum relationes morales inter Deum et homines determinantium est religio. Ergo aliqua religio necessario jure naturae praecipitur. Et sane Deus, qui nihil facit absque consilio, aliquem finem intendere debuit in hac manifestatione suarum perfectionum. Atqui nullum alium finem intendere potuit, nisi sui glorificationem. Ad quid enim suam justitiam manifestaret, nisi ut homo ipsum timeret? ad quid bonitatem, nisi se amari vellet? ad quid sapientiam, nisi ut creaturam ad certum et sibi propositum finem duceret? —

c) Idem probatur ex consensu gentium. Sicut enim omnes gentes divinum numen aliquod admiserunt, sic etiam ubique locorum persuasum habuerunt, inter Deum et homines relationes morales dari, illumque summi aestimandum, timendum et colendum esse. Ideo apud omnes, licet barbaros populos, species quaedam religionis reperta est. Ex isto autem universali consensu apparet, rationem ipsam, naturali lumine illustratam, religionis praeceptum dictare. Porro rationi ideo potissimum parendum, quia est praeco summi et absoluti legislatoris, cujus nobis voluntatem manifestat. Deus ergo ipse per rationem nobis religionem praecipit, sine qua ad finem nostrum felicitatemque perennem pervenire non possumus.

7. Religio praestantissima atque utilissima est:

1) Homini individuo, quia ejus dignitatem ostendit, quum arctissimam ipsius cum supremo Numine conjunctionem perficit, vitia resecat, quorum Deus vindex agnoscitur; virtutes autem promovet, quarum Deus auctor, testis et remunerator existit, et sic ipsas quoque tribulationes leviores et dulciores efficit vitamque per spem aeternae retributionis vere laetam et beatam facit: uno verbo religio sola hominem ad finem suum perducit.

2) Statui quoque, seu hominibus in societate colligatis religio utilissima est. Religio enim hominum societates firmiores, securiores et feliciores reddit, quia principibus leges praescribit, juxta quas potestate sua in bonum subditorum uti debent; subditos autem ad reverentiam et obedientiam principibus exhibendam obligat. Sublata religione omnia replentur fraudibus, injustitiis et delictis, actumque erit de omni securitate. Qui ergo religionem spernit et multo magis qui illam persequitur, non solum in se ipsum, sed et in universum genus humanum crudelis est. Optime Cicero: Haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas humani generis et una excellentissima virtus, justitia tollatur. (De nat. deor. I. 2.)

Pars theoretica religionis, seu vera Dei cognitio, quatenus a lege naturae jubetur, non exquisitam et reconditam supremi Numinis notitiam exigit, sed vulgarem tantum, quae ab omnibus communi quadam diligentia obtineri potest. Quare

ad abstrusiores et altiores investigationes, rationali apparatu instituendas, generatim non cogit, sed tantum ad talem Dei divinorumque attributorum intelligentiam mediis obviis comparandam, quae ad recte de Deo sentiendum eique convenientem cultum praestandum sufficiat. Subtilior autem Dei cognitio, quae studium accuratum et longas ratiocinationes exquirit, scientiae est propria, quae praecipi nequit nisi iis, qui ratione sui muneris ad profundiores difficilioresque quaestiones rerum divinarum enodandas tenentur. Praecepta enim, a ratione manantia, conditioni et viribus singulorum aptantur, neque id expetere possunt ab omnibus, quod omnes re vera praestare nequeunt. Quare quum rudes aut ingenio careant aut cultura, quae studio obtinetur, iis nonnisi tenuis et imperfecta cognitio injungitur, qualis ab aliorum disciplina aut a facilioribus ratiocinationibus hauritur. (Liber. Eth. p. 144. ad obj. III.)

Articulus II.

Deo debitus est cultus non modo internus, verum etiam externus.

8. Religionis prima pars speculationem respicit, alia actionem. Illa jubet, ut convenientem notitiam de Deo ejusque relationibus assequamur; haec autem imperat, ut Deo rite cognito debitum obsequium actibus nostris exhibeamus. Porro secunda haec pars cultum constituit, qui dividitur in internum et externum. Cultus internus est *reverentia et obsequium supremo Numini actibus animi internis exhibitum*. Cultus vero externus est *cultus interni expressio sensibilis et manifestatio.*

9. Deo debetur imprimis cultus internus. Quaecunque enim sunt, a Deo sunt ut a primo rerum omnium principio, et ad ipsum ordinantur ut ad ultimum finem. Hae sunt essentiales rerum omnium ad Deum relationes. Homo autem essentiales suas relationes suis liberis actibus exprimere naturali officio tenetur, secus ordo a Deo stabilitus perturbaretur. Ergo tenetur homo eos actus exercere, quibus et suam dependentiam a Deo ut a summo principio et suam ordinationem ad Deum ut ad ultimum finem potest agnoscere et fateri. His autem actibus continetur religionis cultus internus. Ergo debetur Deo imprimis internus religionis cultus (Tong. Eth. p. 476).

Hinc praecipuus religionis cultus interni actus est adoratio, quae inde oritur, quod Deus a nobis cognoscitur ut Ens quoddam maximum et praestantissimum, quod a nulla alia re unquam aequiparari possit, sed universa immenso intervallo superet ac subditione teneat tamquam conditor, gubernator et motor. Quum vero etiam ut fons omnis boni, quo fruimur, ut supremus dominus ac legislator, ut summa potentia et justitia praeditus, ut maxime beneficus et largitor magnificus innotescat: debitum gratitudinis, gratiarum ac-

tionis, obedientiae, servitutis, timoris, spei, precum et invocationis exurgit (Liber. Eth. p. 147.).

10. Deo debetur etiam cultus externus. Cultus externus est interni significatio. Continetur autem motibus actibusque corporis, quibus internos erga Deum affectus animi testamur, vocali Dei laude, qua ejus infinitam magnitudinem ac bonitatem extollimus, ac sacrificiis et oblationibus, quibus supremum ejus in nos dominium agnoscimus et profitemur.

Deo deberi etiam cultum externum probatur sequentibus argumentis:

a) Naturae lex non spiritui cuidam corpore experti, sed homini praecipit, ut suis actibus debitum Deo praestet obsequium. Homo autem animo et corpore constat, et utriusque in operando utitur ministerio. Si igitur humanis operationibus Deum colere et venerari homo tenetur, profecto actibus internis externos etiam adjungere debet, ut sic totus quantusque est Deo laudem et venerationem exhibeat.

b) Homo accepit a Deo non modo animum, sed etiam corpus. Ergo actus utriusque, modo consentaneo, exhibere et utriusque facultates subjicere Deo debet, ut totum id, quo constat, divinae mancipet servituti (Liber. Eth. p. 148).

c) Cultus, quem Deo ex naturali lege debemus, est cultus humanus, qualis nempe ex humana natura, si naturalem agendi modum teneamus, dimanat. Atqui talis cultus non potest esse tantum internus, sed etiam externus esse debet. Etenim homo est ita natura comparatus, ut, quum vehementior aliquis affectus animum occupat, hic in appetitum sensitivum redundet, motibus externis sponte exprimatur. Proinde cultus internus ita cum externo naturaliter est connexus, ut, si illo tantum uti vellemus, natura ipsa nobis violenter cohibenda esset. Ergo naturalis lex non cultum solummodo internum, sed et externum praecipit.

d) Adhibendum est ab homine illud subsidium, sine quo interni cultus officia impleri nequeunt. Hoc autem interni cultus necessarium subsidium est cultus externus. Nam quum nos per sensibilia ad intelligibilia evehamur, in insensibili objecto mente affectuque consistere non possumus, nisi signis externis ad internos hosce actus nosmetipsos provocemus. Quod quidem ipsa experientia evidenter demonstrat. Nisi enim externis hisce actibus

internus erga Deum affectus foveatur, illico frigescit, ac dein penitus exstinguitur (Tong. Comp. p. 478—479).

11. Mens itaque humana indiget ad hoc, ut conjungatur Deo, sensibilium manuductione, quia invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens humana excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Et ideo religio habet quidem interiores actus quasi principales et per se ad religionem pertinentes; exteriores vero actus quasi secundarios et ad interiores actus ordinatos. (S. Thom. II. II. q. 81. art. 7.)

12. Deo debitus est cultus etiam publicus, qui nimirum ab hominibus societatem efformantibus celebretur. Homo enim, si Deum colere tenetur, officium hoc praestare debet, non prout abstracte et hypothetice concipitur, sed prout actu est, et juxta naturalem conditionem ac statum, in quo reperitur. Atqui homo non solitariam vitam agit, sed in societate cum aliis constitutus est. Ergo cultum Deo praestare debet, prout socialis est, seu prout cum aliis societatem efformat. Id vero aliter effici nequit, nisi per cultum socialem et publicum (Liber. Eth. p. 149.)

Hinc consensus populorum in admittendo exteriori Numinis cultu, in quantum auctorem habet Deum et concernit substantiam religionis, semper fuit unanimis, pari vigens modo, ubicunque audita est vox naturae.

13. Animadverte, naturae lege hoc quidem praecipi, ut Deum cultu quoque externo colamus, idque prudenter, decenter, frequenter, modum vero et adjuncta hujus cultus non omni ex parte definiri, v. g. qui ritus in externa adoratione adhibendi sint, quae oblationes offerendae, quo tempore, qua frequentia. Haec igitur praefinitio vel prudenti cujusque judicio, vel lege aliqua positiva, vel divina aliqua revelatione fieri debet. (Tong. Comp. l. II. c. 1.)

14. Licet Deus nostro cultu non egeat, inde tamen non sequitur ejus inutilitas; Deus enim a nobis cultum exigit, non quia ipsi, sed quia nobis prodest. Neque ad Deum verbis utimur, ut ei nostros conceptus manifestemus, sed ut nos ipsos et alios audientes ad ejus reverentiam inducamus.

Caput II.

De revelatione.

Articulus I.

Deus potest revelare tum veritates, quas humana ratio assequi potest, tum veritates, quae sunt supra rationem.

15. Necesse est, ut deistas per eam, quam ipsi ingrediuntur viam, insequamur. Cum ante omnia propositum ipsis sit, christianam religionem funditus evertere, ut illud facilius et certius assequantur, contra revelationem in universum undique argumenta congerunt, cum persuasum illis sit, quod, si omnem revelatam religionem inpossibilem, aut Deo indignam aut certe nulla ratione necessariam ess ostenderent, hoc ipso christiana religio (lethali vulnere confecta) corrueret. Igitur necesse est, ut et nos, qui Christi, et coelestis, quam ab eo accepimus doctrinae causam agimus, primum de revelatione in genere tractemus, et in asserenda ejus tum possibilitate, tum utilitate et necessitate omnem operam collocemus. (Lieb. tom. I. c. 1.)

16. Est autem revelatio *actio divina, qua Deus hominibus veritates ad religionem pertinentes supernaturali modo manifestat.*

In hac definitione quinque occurrunt notae probe attendendae. 1) Deus, seu auctor revelationis, cujus perfectiones in ista, sicuti et in aliis operibus elucere debent; 2) homo, cujus indigentiae et capacitati revelatio accommodari debet, ut ab eis recipi, agnosci et applicari queat; 3) actio, qua fit revelatio supernaturalis, in miraculo, in singulari eventu supra consuetas naturae leges constituto et ad revelationem expresse destinato consistere debet, ut secernatur a revelatione naturali, seu a cognitione veritatis per media naturalia, quorum etiam Deus auctor est; 4) veritas, quae revelatur, seu materia, quae tum theoretica, tum practica, et utraque vel rationalis vel positiva esse potest; 5) relatio ad religionem pertinens seu finis revelationis; ideo enim revelatio supernaturalis a Deo conceditur, ut proxime homo veritates et officia religionis perfecte cognoscat et sic ultimo gloria Dei animaeque salus promoveatur.

17. Revelatio quoad modum, quo perficitur, est vel immediata vel mediata. Immediata dicitur, quando Deus cum ipso homine loquitur, ipsumque instruit aut interne extraordinario modo in illius animae facultates agendo, aut externe adhibendo sonos, vel alium modum sensibilem praeter ordinarium naturae cursum. Mediata reve-

latio obtingit, quando Deus iis, quibus immediate se revelavit, utitur tamquam legatis suis, qui revelatas veritates aliis hominibus communicent.

Quod si materia spectatur, revelatio dividitur in formalem et materialem. Formalis dicitur, quando a Deo nobis tales veritates manifestantur, ad quarum cognitionem — absolute loquendo — per propriam rationem pervenire possumus: materialis autem dicitur, si Deus veritates tales manifestat, ad quarum cognitionem sola ratio humana pervenire non potest, et quarum intrinsecum nexum perspicere non valet. (Alb. a Buls. p. I. c. I.)

18. Probatur thesis. Nihil revelationi repugnat nec ex parte Dei, nec ex parte hominis, nec ex parte veritatum. Ergo est possibilis.

1) Nihil revelationi repugnat ex parte Dei, qui revelat. Nam *a)* nemo negat hanc hominibus competere facultatem, ut possint sensa animi aliis manifestare, sicque novas in aliis ideas producere, quas illi fortasse numquam habuissent: quis autem dicat, Deum id non posse, quum ipse dederit hominibus, ut possint?

b) Deus summa pollet scientia et potentia agendi, atque absoluto in omnes creaturas imperio; ergo non possunt ipsi media deesse, ea, quae velit, hominibus communicandi.

2) Nihil revelationi repugnat ex parte hominis, qui revelationem excipit. Homo enim ita a natura constitutus est, ut ad veritatum etiam naturalium congnitionem multo magis per doctrinam et institutionem perveniat, quam propria investigatione. Si ergo homo potest ab homine erudiri et hoc auxilio indiget humana ratio, cujus vis intelligendi absque educationis beneficio velut sopita in animo jaceret: quanto melius certiusque crescet perficieturque ejus cognitio, quum Deum ipsum doctorem habuerit et institutorem?

3) Ex parte veritatum, quae revelantur, nulla potest esse repugnantia, sive illae naturales sint, sive supernaturales. Naturales sc. veritates homo semper plures pluresque acquirere potest, neque eae, quae novae accedunt, cum illis, quae jam in mente existunt, pugnare possunt, quum veritas veritati non contradicat. Praeterea omnis veritas, etiam supernaturalis, eo ipso quod est veritas, cognitionis objectum esse et proinde revelari potest. Veritates autem humanae intelligentiae impervias in mente divina posse existere, et si existant, revelari posse, clarius patebit ex puncto sequenti. (Lieb. tom. 1. p. 1. c. 1.)

19. Revelatio, prout complectitur dogmata supra rationis captum posita, possibilis est.

Prob. Revelatio hoc sensu intellecta impossibilis esset, vel quia religio naturalis ea omnia complecteretur, quae sciri possunt, ita ut nulla esset revelationis materies; vel quia Deus non posset homines ejusmodi veritates docere; vel quia in homine ratio esset sola regula credendi. Atqui haec dici non possunt. Ergo revelatio, prout complectitur dogmata supra rationis captum posita, possibilis est.

Prob. min. pars I. Absurdum est dicere, nullas in mente divina veritates existere, quae omnem intelligentiae humanae vim effugiunt; intellectus enim divinus infinitus est omnemque veritatem cognoscit; intellectus vero humanus finitus est, contingens, successive perfectibilis, ac proinde impar iis omnibus intelligendis, quae ab intellectu infinito cognoscuntur. Inveniuntur ergo im mente divina veritates, quae sunt supra rationem quaeque revelari possunt.

Idem patet ex modo, quo intellectus humanus Deum cognoscit. Etenim Dei essentiam homo non potest intueri, sed Deum ut primam causam cognoscit ex creaturis, quae eum inadaequate et analogice tantum repraesentant; hinc Deus ejusque perfectiones non ideis propriis, sed impropriis et analogicis quadantenus cognoscuntur. Et quamquam cognoscimus Deum ex creaturis, quatenus ad extra ut omnium creatrix causa operatur et perfectiones suas manifestat, plurima tamen, quae ad intimam vitam naturamque divinam pertinent, nobis plane inaccessa manent. Haec igitur nobis sunt profunda mysteria, quae sine revelatione divina nullo modo cognosci possunt, revelata vero nonnisi imperfecte per notiones quasdam analogicas attingi poterunt. (Jungmann De vera rel. p. 55 et 56.)

Prob. min. p. II. Deus, utpote qui multa cognoscit, quae angustos humanae rationis limites excedunt, potest veritates etiam supernaturales hominibus revelare, quum intellectus novis veritatibus semper imbui potest. Neque ei deesse potest modus, quo eas hominibus revelet; ipse enim homines creavit; jus ergo habet veritates qualescunque ei credendas proponendi; ipse est potentissimus; non desunt ergo ili media voluntatem suam creaturis manifestandi; ipse est sapientissimus et verax, non deest ergo illi auctoritas persuadendi.

Prob. min. p. III. Ratio naturalis non potest esse in homine sola regula credendi, si homo potest de veritate plane convinci per motiva externa. Atqui ita est; magna enim pars cognitionis nostrae ex auctoritate et sensuum testimoniis manat, et multa etiam in rerum

natura absque omni haesitatione ut vera assumuntur, quorum natura penitus ignoratur. (Lieb. tom. I. p. I. c. I.)

Coroll. Ergo revelatio nullatenus opponitur Dei immutabilitati. Aliud est enim mutare voluntatem et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente velle, quod nunc fiat hoc et postea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis inciperet velle, quod prius non voluit, vel desineret velle, quod voluit.“ (Suarez. Metaph. Disp. VII.)

20. Ex eo quod mysteria ipsis christianis fatentibus intelligi nequeant, male inferunt adversarii, a ratione humana nihil intelligi adeoque ejusmodi revelationem omnino inutilem esse, etiamsi revelentur. Nam 1) mysteria incomprehensibilia dici non possunt, ac si verba, quibus enuntiantur mysteria, nullum sensum haberent. Mysteria enim vocibus communi hominum sermone usitatis enuntiantur, hujusmodi autem voces certas in animis audientium ideas numquam non excitant. Neque enim mysterium ita se habet, ut de eo supposita revelatione nihil intelligamus; notionibus siquidem saltem analogicis apprehendimus, quid sit illud, quod revelatur et credendum proponitur, hisque notionibus etiam verba respondent. Dici proinde nequit, mysteria incomprehensibilia esse, ac si verbis sensu vacuis enuntiarentur. Ita, quum Deus unus in natura, trinus in personis esse asseritur, ex usu loquendi voces istae satis notae sunt, ut certus iisdem subjiciatur sensus.

2) Ultra autem concedimus, mysteria eatenus esse incomprehensibilia, quatenus intima eorum ratio a nobis perspici nequit. Revelatio enim divina nobis manifestat illas veritates quoad existentiam, non vero quoad intimam naturam, ita ut cognoscamus rem ita esse, quamvis modus, quo fiat, ut ita se habeat, a nobis ob mentis imbecillitatem perspici nequeat. Quod nemini mirum esse debet. Nam in iis etiam, quae naturales mentis humanae vires minime excedunt, saepissime accidit, ut nobis pateat quidem res, ratio autem rei penitus nos lateat. Ita scimus, cibum in sanguinem carnemque converti, qua vero ratione hujusmodi conversio peragatur, nescimus; videmus motum corporum, nec de eo ullum dubium concipimus, quamvis intimam rationem communicationis motus non cognoscamus. Quocirca quum constet rem esse, ex ignorantia modi duntaxat, quo ea res se habet, stultum profecto esset concludere, aliquam in ejus attributis esse repugnantiam; praesertim si agitur de iis, quae utpote infinita a

nobis nonnisi valde imperfecte cognosci possunt, nec notionibus propriis, sed analogicis concipiuntur. (Jungmann de vera religione pp. 59 et 60.)

3) Neque mysteria, quae revelantur, contraria sunt rationi; veritas enim veritati non potest esse contraria. Talem pugnam numquam rationalistae in mysteriis ostendent; ad demonstrandam enim contradictionem, requireretur apprehensio oppositionis utriusque termini; porro mysteria non supposita revelatione nemo cognoscere potest; ergo nec apprehendi potest ulla contradictio. Praeterea aliud est mysteria videri contraria rationi, aliud vero eidem reipsa veluti contraria et adversantia deprehendere. Multa sunt in ipsa rerum natura, quae rationi repugnare videntur, e. gr. varia phaenomena lucis, vis electrica etc, quin tamen eorum existentiam negare, aut fidem eorumdem rationi adversam declarare possimus. Sicut maximae esset amentiae idiota, qui ea, quae a philosophis proponuntur, falsa esse assereret propter hoc, quod ea capere non potest; ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus revelantur falsa esse suspicetur ex hoc, quod ratione investigari non possunt. (S. Thom. C. G. I. 3.) Denique idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indidit; Deus autem negare seipsum non potest, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. (Conc. Vat. Sess. III. c. IV.)

21. Exinde colligitur, in quem finem Deus nobis mysteria revelaverit. Revelavit enim, *a*) ut augustiorem de se ipso ac de religione cognitionem assequeremur. Tunc enim solum verum Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest (Thom. C. Gent. I. 5.); *b*) ut fidei meritum haberemus per obsequium mentis nostrae in eas veritates, quas intime ipsa penetrare nequit; *c*) ut haberemus incitamenta ad virtutem validissima; *d*) ut reprimeretur nostra praesumptio, quae est mater erroris. Sunt enim quidam de suo ingenio praesumentes . . . aestimantes, totum esse verum, quod eis videtur, et falsum, quod eis non videtur. Ut ergo ab hac praesumptione humanus animus liberatus

ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quaedam divinitus, quae omnino intellectum ejus excederent. (S. Thom. C. Gent. I. 5.)

22. Revelatio, prout complectitur praecepta positiva legi naturali superaddita, possibilis est.

Revelatio legis positivae, cujus nomine hic praecipue intelligitur cultus externus, ritus et observationes, quae a lege naturali nequaquam determinantur, possibilis est. Etenim

1) Homo, qui in alios potestatem exercet, potest positivas leges ferre; ergo a fortiori Deus, quippe qui est supremus creaturarum omnium Dominus, potest alias quoque leges positivas superaddere illis, quae in necessariis rerum relationibus positae sunt.

2) Certum est, cultum externum partem esse religionis naturalis; quo autem modo, quibus ritibus et caeremoniis cultus ille perfici queat, lex naturalis non determinat. Atqui Deus potest formam cultus sibi debiti per seipsum determinare; nihil enim magis ad cultus sanctitatem et majestatem conferre potest, neque pietatis sensus vehementius incendere, quam quum scimus, nos non tantum cultum exhibere Deo, sed illum etiam colere modo, qui ipsi gratissimus est.

3) Leges positivae, quae in ratione naturali directe non continentur, naturae hominis non repugnant, si parendi obligatio ex parte hominis non requirat cognitionem intrinsecae bonitatis, aut justitiae alicujus legis, sed si sufficiat certitudo divinae revelationis. Atqui hanc sufficere nemo non videt, quum homo ex ea evidenter concludere possit, justam esse legem, quae a Deo proponitur. (Lieb. tom. I. C. I.)

Hinc manifesti errores sunt assertiones: *a*) Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum (Syll. §. 1. II).

b) Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscunque generis veritatum assequi possit ac debeat (Syll. §. 1, IV).

c) Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni (Syll. §. 1, VI).

d) Fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur. (Conc. Vat. Sess. III. can. II.)

Articulus II.

Ratio naturalis in praesenti rerum conditione nullatenus est par ac sufficiens, per quam solam homines ad religionem et bonam vitam instituantur. Ergo revelatio est necessaria.

23. Plurimum prodest rationi in functione theoretica et practica, ut inquirat, an religio naturalis, i. e. ex sola ratione hausta, sufficiat ad homines ad finem suum i. e. ad veritatem, moralitatem et felicitatem perducendos, vel an ad id revelatio divina necessaria sit.

Momentum et officium hujus indagationis patet tum ex natura rei, quae omnium gravissima est tam ad cognitionem quam ad exercitium religionis pertinens, tum ex diversitate opinionum hac de re vigentium, tum ex genio temporis in naturalismum tendentis.

Finis autem hujus examinis non est, ut necessitas revelationis ex parte Dei ostendatur, qui liberrimus est et nihil hominibus debet; sed ut exploretur, an et qualis indigentia ex parte hominis detur. (Alb. a B. theol. dogm. gen. p. I. c. II. de necess. rev.)

24. Quum vero possit homo absolute veritates naturales seu morales ordinis sui cognoscere, consequitur, necessitatem de qua disserimus non esse absolutam, sed moralem tantummodo, ut revelatio sc. inserviat ad superandam illam moralem impotentiam, quam homines experiuntur in cognoscendis veritatibus, quibus maxime indigent ad bene ac rite vivendum, obtinendumque suum finem.

Necessitas enim revelationis „non provenit ex physica et absoluta liberi arbitrii impotentia, sed ex morali, quae est debilitas intellectus et voluntatis ad constanter operandum immediate orta ex voluntatis infirmitate, intellectus ignorantia, quia appetitus vehementer propendit ad sensibilia, quae sensibus propinqua et proportionata fortius illum movent, et quia intellectus tarde, remisse et vix assequitur rationes superiores. Ex his simul sumptis oritur moraliter impotentia". (Suarez Disp. theol. tom. I. Tract. II. 2, 15.)

25. Hinc non agitur de revalatione, quatenus mysteria complectitur. Tota quaestio in eo est, an sola ratio naturalis sufficiat ad cognoscendas dilucide omnes veritates religionis naturalis, omniaque legis naturalis praecepta. Si probatur, lumen rationis, quale est in homine, ad haec cognoscenda non sufficere, consequitur, revelationem, etiamsi nihil contineret, quam praecepta naturalia ac proinde religionis ac legis naturalis clarior tantum promulgatio esset, hominibus nihilominus fuisse necessariam, eo sensu quod absque hac revelatione ad religionem et bonam vitam nunquam fuissent recte instituti.

*

26. Probandum itaque est, rationem naturalem in praesenti rerum conditione nullatenus esse parem ac sufficientem, per quam solam homines ad religionem instituantur; ac proinde revelationem esse moraliter necessariam. Et sane quum Deo debitus sit cultus tum internus tum externus, deberent omnes homines expedite, firma certitudine absque errore cognoscere ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt. Atqui ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione absque divina revelatione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci non possunt. Ergo revelatio divina est necessaria.

Et sane, si religionis veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur, *imprimis* non omnibus, sicut deberet, sed paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis.

Quidam siquidem *a*) impediuntur propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum. Unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanae cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit.

Quidam vero *b*) impediuntur necessitate rei familiaris. Oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant; qui tantum tempus in otio contemplativae inquisitionis non possunt expendere, ut ad summum fastigium humanae inquisitionis pertingerent, sc. Dei cognitionem.

Quidam autem *c*) impediuntur pigritia. Ad cognitionem enim eorum, quae de Deo ratio investigare potest, multa praecognoscere oportet, quum fere totius philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinetur. Propter quod metaphysica, quae circa divina versatur, inter philosophiae partes ultima remanet addiscenda.

Sic ergo nonnisi cum magno labore studii ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri potest, quem quidem laborem pauci subire volunt pro scientiae amore, cujus tamen mentibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum.

Secundo illi, qui ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, non facile sed vix post longum tempus pertingerent, tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis nonnisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur; tum etiam propter multa, quae praeexiguntur, ut dictum est; tum propter hoc, quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens et sciens. Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiae tenebris; quum Dei cognitio, quae homines maxime perfectos et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem adveniret.

Tertio demum investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur, propter debilitatem intellectus nostri in judicando et phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quae sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue quum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quae demonstrantur, immiscetur aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit hominibus, per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis exhiberi.

Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet; ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes esse, idque absque dubitatione et errore.

Optime Concilium Vaticanum sess. III. c. II.: „Hinc divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant."

Modo demonstrandum est, rationem naturalem neque parem ac sufficientem esse, per quam solam homines ad bonam vitam instituantur.

27. Etiamsi enim ratio naturalis posset genus humanum instruere in iis, quae ad cultum Dei, et honestam vitae compositionem pertinent, nunquam tamen sufficeret ad ea, quae docet in effectum deducenda et mores juxta naturae praecepta informandos; quum 1) et homo multa habeat impedimenta perveniendi ad finem et 2) ratio humana nullas habeat sat firmas sanctiones, i. e., quum non pro-

ponat motiva, quae satis potentia sint, ad hominum animos ad obsequium inclinandos.

Et sane quod primum attinet: homini sunt impedimenta plurima perveniendi ad finem. Impeditur enim debilitate rationis, quae de facili trahitur in errorem, per quem a recta via perveniendi ad finem excluditur. Impeditur etiam ex passionibus partis sensitivae et ex affectionibus, quibus ad sensilia et inferiora trahitur, quibus, quanto magis inhaeret, ab ultimo fine distat. . . Impeditur etiam plerumque corporis infirmitate ab executione virtuosorum actuum, quibus ad beatitudinem tenditur. (S. Thom. C. Gen. III. 147.)

Neque ratio naturalis ullas habet sat firmas sanctiones. Nam sanctiones legi naturali adjunctae aliae non sunt quam *a*) sensus moralis, quo percipitur virtutis pulchritudo et foeditas vitii; *b*) conscientia vel delicti vel innocentiae, quae angit malos, et remunerat bonos; demum *c*) ipsa vox intima rationis, quae docet, per virtutem tutissimum esse iter ad felicitatem.

Atqui omnes istae sanctiones insufficientes sunt. Nam sensus moralis et conscientia recte facti in plerisque hominibus nullam aut exiguam vim habet, neque valet ad coercendos cupiditatum impetus, quibus homines ad vitium impelluntur. Illa autem vox intima rationis valde est in humano genere extenuata, et si revelatione edocta non sit, virtutis proemia ipsi tamquam remota apparent et incerta, quum interea ante oculos versetur malorum prosperitas, opes et potentia facinore comparata. Ergo necessaria est revelatio. (Lieb. tom. I. c. I. de rev. nec.)

28. Quod modo ex indole rationis humanae intulimus, in eo etiam per historiam religionis omnium populorum quam maxime confirmamur. Nullus enim populus, historia teste, veram ac sinceram religionis naturalis cognitionem habuit; sed potius omnes nationes, sola Judaeorum et deinde Christianorum gente excepta, quam plurima erronea et insulsa tam quoad religiosam persuasionem, quam quoad cultum divinum et vitam tenuerunt et observarunt. Religio nimirum, qualis apud antiquos Graecos et Romanos, ac reliquas praecipuas gentes soli rationi relictas fuerat, continebat quidem stamina conceptuum de religione, at illius dogmata theoretica erant rudis sensualitatis omina, incultae phantasiae producta, quae nullatenus rationi sanae satisfacere poterant; praecepta moralia erant pudenda, scandalosa et erroribus plena; cultus non solum Deo et

homine indignus, sed non raro obscoenus atque immanis: dii nimirum deaeque templis includebantur, conviviis alebantur, ludis et choreis recreabantur, peccatis et sceleribus tum colebantur tum placabantur. Hinc factum est, ut summa flagitia apud plerosque populos publica religione consecrata essent: ebrietas sub Bacchi, impudicitia sub Veneris, furtum sub Mercurii nominibus. Jupiter ipse, quem ut maximum deorum colebant, adulteriis, incestibus aliisque sceleribus famosus fuit.

29. Gentilis hic mos quum sensibus ac affectibus faveret et insuper potentia legislatorum, arte sacrificulorum et lusu poëtarum sustentaretur, totum mature orbem excepta Palestina occupavit. Non unam tamen formam ubique induit, eo quod error multiplex esse soleat, sed diversam pro diversitate causarum physicarum et moralium. Has inter formas originarias antiquissimae sunt: 1) Dualismus; ex cujus placitis origo omnium rerum, bonarum et malarum, duobus principiis (Oromasden et Arimanin) tribuitur. 2) Fetischmus, qui rebus terrestribus divinos tribuit honores, estque maxime sensualis et valde propagatus. 3) Magismus, qui Deum in sole, luna, astrisque quaesivit, ortus in Media, Chaldaea et Persia, indeque ad alias gentes propagatus. 4) Sabeismus, qui sublimatos ad divinitatem homines, vel virtutes occultas coluit (Fej. de rel. sect. I. §. 13.).

30. Hanc religionis imperfectionem tristem influxum habuisse in moralitatem gentilium, non solum ex satirys Juvenalis, et Horatii, sed ex ipsius quoque Strabonis, Svetonii ac Taciti fide dignis relationibus constat adeo, ut deplorandus status morum, quem Paulus ep. ad Rom. c. I. adumbrat, non ex odio, sed ex rei veritate sit expressus. Vere „gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam". (Eph. C. IV. 17—20.) Apud nonnullos quidem ethnicos puriores atque solidiores fidei pietatisque sensus obtinuisse, libenter concedimus, interim negari nequit, gentilium mores in genere fuisse pravos, quod nec potuit non fieri, quum idololatriam ac superstitionem semper immoralitas sequatur (Fej. de rel. sect. I. §. 17.).

Quum igitur mens humana, quid sibi relicta in negotio religionis valeat, tot saeculorum spatio satis ostenderit atque indies ostendat, etiam ex hoc facto historico argumentum depromimus pe-

remptorium, societati nimirum humanae sibi relictae moraliter impossibile esse, ut cognitionem sufficientem religionis et legis naturalis acquirat, revelationemque proinde moraliter necessariam esse.

Argumentum ex historia ductum est peremptorium. Si enim genus humanum investigatione rationali veritates religionis naturalis potuisset cognoscere, cognovisset utique tot saeculorum decursu. Potentia namque, quae numquam transit in actum, numquam operatur, moraliter ad minus est impotentia. Nec juvat dicere, fieri posse, ut genus humanum variis scientiis excultum religionem puriorem paulatim reperiat, quod antea doctrinâ nondum imbutum invenire nullatenus potuit. Nam praeterquam quod solutio quaestionis de religionis veritatibus non dependet a progressu scientiarum experimentalium, sciendum est, verae religionis cognitionem omnium temporum hominibus necessariam fuisse; a tali enim cognitione dependet tota hominum salus, quae in Deo est. Praeterea progressus possibilitati opponitur factum ipsum regressus, cujus testes sunt omnes nationes. Denique quamdiu genus humanum in praesenti providentiae ordine vivit, tamdiu manent eadem impedimenta. Falsum est ergo, hominem ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere.

Exinde tamen non sequitur, revelationem fuisse absolute necessariam; revelatio enim non ex parte Dei, sed ex parte hominis necessaria fuit; erat autem hominibus indebita, qui etiam per aberrationes tanto beneficio indigni facti sunt. Et licet genus humanum non potuerit sine revelatione perfectam religionis et legis cognitionem acquirere, false tamen exinde deducunt adversarii, homines propriae ignorantiae et pravitati relictos et ad aeternum interitum damnatos fuisse. Nam imprimis genus humanum primitus revelationis auxilio minime caruit. Deinde aliud est dicere, homines non potuisse absque revelatione perfectam religionis et legis cognitionem acquirere; aliud, eos fuisse ad aeternum interitum damnatos. Falsum est enim, Deum ab hominibus male sanis omnia illa exigere, quae a sanis exiguntur. A justo judice poena non infligitur, nisi propter culpam. Unde ab hac quaestione videtur esse abstinendum; quia nescimus, quousque laudabiles hominis conatus, quos Deus adjuvare paratus est, pertingere possint; aut in quantum homo revelatione destitutus naturalia officia citra culpam possit ignorare. (Lieb. dem. rel. christ. p. I. c. I. §. 3.)

Hinc evidenter falsae sunt adversariorum assertiones: 1) „Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi,

boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.“ (Syll. §. 1, III.)

2) Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae et philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram, de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint. (Syll. §. 2, IX.)

Articulus III.

Communi huic populorum ignorantiae nec omnis gentium philosophia mederi potuit. Ergo necessaria est revelatio.

31. Si debita religionis notitia per solam rationem haberi potuisset, illam certe obtinuissent philosophi, qui perspicaci ingenio praediti, maxima diligentia veritates religionis naturalis inquisierunt. At si isti 1) sive inter ethnicos, 2) sive inter christianos considerentur, facile patet, ipsos per solum rationis lumen nec sibi nec aliis debitam religionis notitiam comparasse.

32. *Dem. 1. p.* Multi sane fuerunt, qui in Graecia et Latio doctrina floruerunt, praeclaraque scripta reliquerunt. Sed etiam maximi isti viri multas religionis veritates ignorarunt, alias dubitanter solum docuerunt, et in pluribus capitibus tum partis theoreticae, tum partis practicae turpiter a vero aberrarunt i. e. tum in iis quae ad Deum ejusque cultum pertinebant, tum circa legis naturalis praecepta in multis misere caecutiebant.

Quisnam fuerit status religionis naturalis inter philosophos, qui nativitatem Christi praecesserant, optime intelligitur ex doctrina philosophorum: Socratis, Platonis, Aristotelis, Zenonis, Pythagorae et Ciceronis, quos naturalistae tamquam humani generis repraesentantes laudibus extollunt. Itaque

1) Socrates *a)* docuit, Deum non esse distinctum ab hoc universo, humanas victimas non improbabat, de animae immortalitate fluctuabat; *b)* doctrina ipsius moralis licet multa praeclara contineat, tamen defectibus non caret; in ipsa etenim praeceptum de filiali Dei et universali hominum amore desideratur, contemptus et odium inimicorum commendatur: moriens Aesculapio gallum mactari jussisse dicitur. (Xenophon. Memorab. I. 3, 4. III. 16.)

2. Plato Socratis discipulus et scholae academicae auctor, vulgo divinus, *a)* Deum ceu mundi animam proposuit, Deo supremo inferiores addidit, et fidem immortalitatis animae addita metempsychosi corrupit; *b)* ebrietatem in bachanalibus, procurationem abortus, expositionem deformium infantium approbavit, totamque religionem practicam cultu patrio deorum, justitia erga cives, et temperantia erga se absolvi putavit. (Plutarch. Quaest. Sympos VIII. 2. – Hett. Fund. Theol. I. Th. 1. B. II. Abth.)

3. Aristoteles, Platonis auditor et sectae peripateticae auctor, vir maximae subtilitatis. *a)* a polytheismo vix potest vindicari, aeternitatem materiae asseruit, providentiam divinam ad coelestia restrinxit et de animae immortalitate dubitavit; *b)* in parte practica falsa magistri sui Platonis asserta defendit et virtutes non tam morales quam potius politicas insinuavit.

4. Zeno, auctor scholae stoicae, *a)* Deum hominesque fato subjecit, Dei providentiam negavit; *b)* incestum licitum declaravit, immisericordiam ac illatae injuriae vindictam commendavit; demum quum fatali necessitati stoici omnia subiiciebant, omnem virtutem virtutisque regulam de medio sustulerunt.

5. Pythagoras, *a)* sidera coluit, aeternitatem materiae et metempsychosin propugnavit; *b)* occultas discipulorum societates fini religionis haud convenientes instituit et politica consilia potissimum ostendit.

6. Cicero, maximus inter philosophos romanos, *a)* plures deos admittere videtur, praescientiam Dei negat, animae immortalitatem optat potius quam agnoscit. Et licet, se mirari cum Catone dixerit (lib. II. de divin.) quod non rideret haruspex haruspicem quum videret, jussit tamen, ut recepta religio teneatur (l. II. de leg. c. 10); *b)* virtutem partim stoicam, partim civilem docuit; odium inimicorum et vindictam praecepit (l. I. de off. c. 7), mendacium et perjurium aliquando excusandum putavit (l. III. de off. c. 29).

33. Itaque philosophi tam graeci quam romani multa quidem egregia docuerunt; nullus tamen fuit, qui integrum verae religionis systema proferret, sed omnes defectibus, dubiis, erroribus laborarunt. Ast et ipsa illa praeclara, quae philosophi docuerunt, ceu meri partus humani ingenii consideranda non sunt. Nam revelatio, mature iam hominibus concessa, partim per traditionem conservata est, partim gentibus ex commercio cum Judaeis innotuit, partim ex libris sacris Judaeorum praecipue post captivitatem babylonicam ab ethnicis hausta fuit. In specie philosophi antiqui itinera instituerunt ad novas cognitiones acquirendas, ubi certe Judaeam non neglexerunt. Jure merito observatum est, philosophos, qui post evangelium promulgatum scripserunt e. g. Senecam, Epictetum, M. Aur. Antoninum minus errasse et doctrinam puriorem tradidisse, certe non alia ex causa, nisi quia doctrina Christi ipsis incognita non fuit; in ipsorum enim scriptis ipsa verba S. Scripturae hinc inde adhiberi certissimum est. (Alb. a. Buls. theol. dogm. gen. sect. II. c. II.)

Si ergo viri doctissimi nec sciverunt, nec potuerunt populorum ignorantiae in veritatibus religiosis mederi, concludi potest, rationem humanam etiam excultam ad perfectam cognitionem religionis pervenire atque populo ducem et magistrum in necessariis rebus religionis esse non posse, ac proinde necessariam esse revelationem.

Gentiles philosophos doctrinam suam, nequaquam ex se hausisse, sed potius ex scriptis Judaeorum mutuasse, non tantum scriptores christiani et Judaei, sed

ipsi gentiles testantur. Sic scribit de philosophis graecis **Theophilus** (ad Autol. l. 2. c. 37. Opp. S. Justin etc. p. 404): „Volentes, nolentes consentanea Prophetis dixerunt, quamvis multo juniores natu fuerint, atque ex Lege et Prophetis haec suffurati sint". — Tertullianus (Apolog. adv. gentes c. 47.): „Quis poëtarum, quis sophistarum, qui non de Prophetarum fonte potaverit?" Inter scriptores Judaeos ait de Platone **Aristobulus**: „Plato ipse quoque reipublicae nostrae leges atque instituta secutus est, a quo partes eorum singulas curiose ac diligenter inspectas et excussas esse, constat". (Apud Euseb. Praepar. Evang. l. 11. c. 16. ss.) **Josephus**: „Plane disciplinam nostram noverat (Pythagoras), sed etiam ejusdem multa cupide est amplexus" (Contr. Apion. l. 1. n. 22.) Inter scriptores ethnicos autem narrat Porphyrius de Pythagora: „Ad Aegyptios quoque et Arabes, Chaldaeos et Hebraeos accessit, apud quos et somniorum interpretandorum scientiae accuratissime operam dedit". (De vita Pythagori). Numenius scribit de Platone: „Quid enim est Plato, nisi Moses attice loquens, ἀττικίζων. (Apud Clem. Alex. Strom. l. I. c. 22 Opp. l. I. p. 411. — Conf. Theol. fund. Schvetz part. I. c. IV. §. 42.)

34. Praeterea Gentilium philosophiam non potuisse communi ignorantiae mederi, ac proinde necessariam esse revelationem, maxime patet ex defectu auctoritatis philosophorum. In tanti enim vero momenti negotio, quanti est religio, ut intellectus humanus ad firmum assensum ac voluntas ad promptum obsequium obligetur, necesse est ex una parte, magistrum nec decipi posse, nec velle decipere; ex altera vero parte discentes debita attentione ac congruo respectu teneri. Nam ubi periculum deceptionis non exulat, ubi magistri aestimatio ac fiducia haud obtinet; intellectus convictio ac voluntatis activitas induci nequit.

Atqui philosophorum auctoritas ad religionem fundandam et inspirandam erat nulla, quum constet, ipsos erroris ac praeiudiciorum expertes nequaquam fuisse. Eorum ergo auctoritas tanta non est, ut intellectum ad certitudinem evehat ac voluntatem ad activitatem moveat. Nam:

1) Ipsi philosophi ignorabant fundamentales religionis veritates, et absurda quaeque defendebant. Ad rem Cicero: Nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum. (De div. II. 58).

2) Neque ab eo sumus satis tuti, philosophos noluisse decipere; multi enim docuerunt, expedire, ut fallantur in religione civitates.

3) In ipsis etiam, quae cognoverunt et tradunt, non sunt consentientes. Philosophi enim clarissimi plerumque anxii et dubii exstiterunt circa ipsa fundamenta religionis et legis naturalis. Itaque non tantum unus dissensit ab alio, sed quilibet, quod docuit, plerumque dubitanter proposuit, parum sibi ipsi constans.

4) Philosophi, etiam qui optimi putabantur, sua vivendi ratione omnem vim adimebant praeceptis suis. Colebant enim quod reprehendebant, agebant, quod arguebant, quod culpabant, adorabant. Vitia hominum carpebant vitiis ipsi mancipati, ita ut etiam nominare pudeat, quae ipsis a profanis auctoribus Diogene, Laërtio, Sallustio, Tacito exprobrantur. (De rel. Fej. pp. 58, 59.)

5) Denique philosophorum praecepta utpote humana omni destituebantur sanctione. Nihil ponderis habent illa praecepta, quia sunt humana, et auctoritate majori, id est divina carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem esse putat, qui audit, quam sit ille, qui praecipit.

35. *Demonstratio II. p.* Imo ipsa hodierna philosophia in iis, quae ad religionem et legem naturalem pertinent, ad informandos homines prorsus est insufficiens. Nam 1) accuratior cognitio religionis naturalis, quam habent populi christiani, non est partus recentioris philosophiae, sed est effectus evangelii Jesu Christi; a tempore enim, quo Christus comparuit, teste historia et ipsis adversariis fatentibus, meliori cognitione religionis naturalis genus humanum gaudet, ita ut optimo jure ista laetior facies religionis cum doctrina Christi veluti effectus cum causa necti debeat. Nam: *a)* omnes gentes, ad quas evangelii lux nondum pervenit, iisdem tenebris tenentur, quibus ante Christi adventum gentiles tenebantur. *b)* Ipsi recentiores philosophi statim ac a veritate evangelii auditum avertunt, illico in absurdissimos errores labuntur, quod abunde demonstrant atheistae, pantheistae, sceptici, naturalistae, materialistae etc. Isti enim philosophi opinabantur, philosophiam sine theologia pertractandam, et veritates religionis sine respectu ad revelationem divinam investigandas esse. Ast in temerario isto conatu factum est, ut philosophi isti, revelationis facem deserentes, ac soli rationis suae lumini fidentes, non jam religionis naturalis veritates clarius invenirent aut melius illustrarent, sed potius illas obfuscarent, ethnicorum philosophorum errores sub alia forma in lucem proferrent et sic antiquum materialismum, scepticismum, pantheismum et atheismum refricarent. Antiquus materialismus impulsum dedit theoriae Joan. Lockii, qui omnes ideas a sensibus repetiit. Pyrrhonicorum scepticismum renovarunt Dav. Humius et Baylius. Pantheismi restaurator Baruch Spinoza fuit; et post irrisiones satyricas Voltairii et Rosseauvii cavillationes plurimi in horrendum incredulitatis, irreligionis vel etiam atheismi barathrum prolapsi sunt. Sic illi, qui, revelatione contempta, se solam rationem ducem sequi,

profitebantur atque ideo de philosophorum nomine gloriabantur, vix non omnem religionem, etiam naturalem de medio sustulerunt.

Kant equidem meliorem viam ingredi visus est. Sed quum, statuta autonomia rationis practicae, Deum tantum ut remuneratorem, non autem ut supremum legislatorem admitteret et officia erga ipsum immediata penitus negaret, hac ipsa paradoxa assertione rectam religionis ideam subvertit. Fichte, Schelling, Hegel etc. sic de Deo locuti sunt, ut non theismum, sed autotheismum, pantheismum vel atheismum docuisse videantur.

Videant, ne nimium rationi suae tribuant rationalistae nostri. Dicunt solo rationis ductu inveniri posse totam eam religionem, quae in sacris libris traditur, aut saltem, quod in ea praecipuum est. Nihil dictu facilius est illis, qui jam cognoscunt religionem istam. Tunc istud dicendum foret, si per totam vitam de religione hac nihil inaudivissent. Nunc vero similes esse videntur iis, qui postquam a praeceptoribus, quidquid sciunt, didicerunt, videri tamen volunt αὐτοδίδακτοι aut, quum de praeclaris inventis audiunt, putant haec omnia, nisi jam inventa essent, ipsos fuisse inventuros. Quod si cognoscere velimus, quid possit ratio hominis in invenienda religione, non nostram rationem consulere debemus, sed rationem illorum, quibus verbum Dei fuit ignotum. Hic vero, quae monstra pariat sibi relicta ratio, testantur omnium gentilium exempla, inter quos fuere plurimi, qui non minus ratione valuerunt ac rationalistae nostri. Dicam verbo: religio naturalis, qualis in mundo reperitur, est religio theistarum, est religio eorum, qui postquam e sacris litteris omnia deprompserunt, quae placent, dicunt: se ea ratiocinando invenisse. (Verba Samuelis Werenfelsii in opusc. phil. theol. p. 75 vit. Fej. inst. theol. de rel. §. 23.)

2) Inter ipsos porro recentiores philosophos sicut inter antiquos eadem apparet opinionum pugna ac diversitas; idem persuasionis defectus, quum in diversis operibus aut in eodem saepe opere diversa et pugnantia affirment; idem defectus auctoritatis.

3) Religio demum naturalis etiam recentiorum philosophorum est admodum abstrusa circa ipsas praecipuas veritates theoreticas, ac proinde nullatenus est hominum captui accommodata; est admodum frigida quoad praecepta ethica, horumque exequendorum motiva; inefficax est ad finem; ab ipsis philosophis, qui inter se dissentiunt, plerumque non observatur.

36. Quemadmodum itaque antea probatum est, gentilium philosophiam nec veritatem invenire potuisse nec hominum ignorantiae mederi: ita ex hac recentiorum temporum experientia certum est, veritates etiam illas, quae ad ipsam religionem naturalem pertinent, quasque revelatio in tam clara luce ponit, rejecto hoc revelationis lumine obscurari et ex humanis mentibus evanescere.

Unde ex omnibus rite concluditur, revelationem moraliter esse necessariam.

Articulus IV.

Quando religio aliqua ut divinitus revelata proponitur, homini non licet esse indifferentem.

37. Quum revelatio, etiam spectata ut supernaturalis dispositio, possibilis sit, sequitur, eam respui non posse ideo tantum, quia revelatio dicitur, aut veritates continet rationi impervias, sed examinandum esse, an revera facta sit. Quia porro nihil videtur homini utilius, quam a Deo ipso per revelationem instrui; sequitur etiam, nihil esse homini hac revelatione optabilius. Ex quo iam oritur praesumptio aliqua, eam factam esse et vehemens desiderium, eam, si facta sit, cognoscendi. Imo vero, si rem propius inspicimus, in quanta sc. rerum divinarum ignorantia ac praeceptorum etiam naturalium oblivione omnes homines versarentur, quod lumen revelationis non haberent, quodque nullum naturale medium huic malo mederi unquam posset aut hodiedum possit, plane convincimur non tantum utilem esse homini revelationem, sed totum genus humanum in summa esse medii huiusmodi supernaturalis indigentia; ex quo non tantum praesumptio oritur, sed persuasio quaedam praevia factae revelationis.

38. Verum quaecunque etiam argumentis, quae hucusque adduximus, vis attribuatur, tamen ad illam, quam instituimus, christianae religionis demonstrationem non sufficiunt.

Nam 1) omnia argumenta, quae a priori sumuntur, non sunt ejus naturae, ut revelationis necessitatem omnimodam ita probent, ut ex iis stricte ad eiusdem existentiam concludi possit. 2) Parum profecisset, qui de revelationis quidem alicuius necessitate esset convictus; sed, quaenam illa sit, et an alicubi existat, invenire non posset. In hoc igitur praecipue laborem nostrum et omne studium collocare debemus, ut, an a Deo hominibus facta sit revelatio, et quaenam illa sit, cognoscamus. Prius tamen demonstrandum est, an homini incumbat officium amplectendae revelationis, si facta sit. Quaestio enim de revelationis existentia si non inutilis certe non necessaria esset, si homo posset esse indifferens respectu religionis divinitus sibi propositae. Qua generali quaestione soluta, examinandum erit, quae sint criteria sive notae, quibus vera revelatio a falsa dignoscatur.

39. *Quando religio aliqua ut divinitus revelata proponitur, homini non licet esse indifferentem.*

Prob. I. (ex parte hominis.) Ex dictis patet, revelationem non exoptabilem tantum esse, sed etiam moraliter necessariam; quia homines hac luce destituti nunquam potuissent se ab innumeris erroribus, quibus implicati erant, expedire, et quidem in rebus maximi momenti. Quum ergo hominis ante omnia intersit, in rebus ad ejus felicitatem quam maxime pertinentibus non falli, profecto indifferens manere non potest, cum revelatio aliqua ut divina ipsi proponitur. Praeterea quum homo a Deo tamquam creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. (Conc. Vat. Sess. III. C. III.)

Prob. II. (ex parte Dei revelantis.) Si Deus religionem aliquam revelavit, necessario ab hominibus exigit obsequium; ergo qui se indifferentem haberet, eo ipso divinae voluntati non obtemperaret, adeoque salutem suam in summum discrimen adduceret; quo nihil est a vera sapientia magis alienum.

Prob. III. (ex parte veritatum.) Indifferentia religionum supponit absurdum; supponit enim, omnes religiones esse aequaliter veras, quod nemo sanae mentis asserere potest, siquidem tum in dogmatibus, tum in praeceptis sibi invicem opponuntur.

40. Optima verae religionis indagandae ratio est examinatio auctoritatis, quae aliquid revelat et proponit, non philosophica rerum et veritatum, quae revelatae dicuntur, disquisitio.

Prob. *Via philosophicae disquisitionis nec religioni convenit, nec religionis indagatoribus; e contra utrique parti quam maxime convenit examinatio auctoritatis.*

Prob. antecedens quoad I. partem. Non convenit religioni ex triplici ratione: 1) Quia revelatio ex parte Dei est actus liber, qui rationibus metaphysicis probari non potest. 2) Quia revelatio est factum; factum autem argumenta externa tantum admittit. 3) Quia Deus potest revelare mysteria, ut probatum est; atqui ineptum est, veritates rationi impervias velle ad rationis tribunal adducere. Ergo via philosophicae inquisitionis religioni non convenit.

Nec convenit religionis indagatoribus. Nam quum religio res sit maximi momenti, et bonum omnibus hominibus commune; necesse est, ut ad eam perveniri possit via tuta et facili; verum nec tuta nec facilis est investigationis philosophicae via. Et sane non est imprimis tuta. Quum enim *a)* religio multa continere possit rationi

impervia, facillime contingeret errorem pro veritate amplecti. *b)* Ratio sibi relicta fere semper praejudiciis et cupiditatibus famulatur, quae impediunt, quominus veritas inveniatur. *c)* Ipsi philosophi in omnibus, quae suae rationi et inquisitioni subjecerunt, semper in varias cas-que absurdissimas sententias abierunt. Quod imprimis in religionis indagatione conspicitur; nam omnes illi, qui eam ex proprio compo-nere volebant, ita semper diversis et pugnantibus rationibus impli-cabantur, ut nunquam solidum religionis systema construere possent.

Non est deinde facilis. Illa enim methodus est opus dificillimum, quod longe vires excedit non tantum illiteratorum, qui partem hominum efficiunt longe maximam, quique nec vim habent ingenii satis acutam, nec vires et tempus tam operosae inquisitioni impendere possunt; sed et eorum, qui aetatem suam in studio philosophiae conterunt; quod quidem inde perspicuum est, quod isti homines, quum religionem sola ratione investigant, omnia confundunt et tam parum novas veritates inveniunt, ut potius etiam eas, quas tenuerunt, amittant.

Prob. antecedens quoad II. partem. Via auctoritatis 1) convenit religioni, ut patet ex praecedente probatione. 2) Convenit religionis indagatoribus, quia et **tuta** est et **facilis**, nam motiva habet certa, quibus secure quilibet etiam in rebus maximi momenti fidere possit; siquidem credere Deo revelanti tutissimum est; scire autem, an Deus revelaverit, facillimum; „nam ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae quum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata“, (Conc. Vat. Sess. III. c. III), ut ex sequentibus patebit. Ergo via auctoritatis tum religioni convenit tum religionis indagatoribus.

41. Ad amplectendam religionem revelatam, examinanda sunt credibilitatis motiva.

Prob. Vera est ista assertio, si 1) homo non potest revelationem amplecti sine examine; si 2) aliud examen instituere non potest, quam illud motivorum credibilitatis. Atqui utrumque verum est. Ergo ad amplectendam religionem revelatam examinanda sunt credibilitatis motiva.

Prob. min. quoad I. partem. 1) **Homo** non potest revelationi firmum praebere assensum, nisi de illius divinitate intime ei persuasum sit; persuasio autem necessario argumenta supponit et

argumentorum cognitionem, sive examinationem. Ergo homo non potest revelationem amplecti sine examine.

Praeterea ipse intellectus humanus natura sua ita constitutus est, ut, antequam aliquid firmiter teneat propter auctoritatem, de hac ipsa auctoritate illud proponente certus esse debeat. Huc pertinent verba Pii IX. [Encycl. d. d. 9. Nov. 1846.] „Humana igitur ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse locutum, ac eidem, quemadmodum sapienter docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat.“

2) **Deus** infinite justus et sapiens non potest ab homine exigere, ut revelationi se subjiciat, quam divinam esse scire non potest. Atqui ut illud sciat, examen adhibeat necesse est; secus enim dicendum esset, hominem a Deo per solam internam inspirationem instrui, quod falsum esse omnium hominum experientia probat. Ergo.

3) Experientiâ certum est, diversas esse religiones, quae revelatas se esse dicunt. Iam vero quum non omnes possint simul esse verae et divinae, necesse est veram de falsis discernere; atque hoc sine examine fieri non potest. Ergo.

Prob. min. quoad II. p. Si examen necessario instituendum est, illud versari debet, vel circa intrinsecam veritatem rerum, quae credendae sunt, vel circa auctoritatem, cui credendum est. Atqui primum fieri non potest, ob rationes supra allatas. Ergo manet secundum.

42. Ex omnibus hucusque dictis per se patet, quam absurdae sint deistarum assertiones relate ad revalationis indagationem. Deistae enim imprimis religiones omnes, quae se revalatas dicunt, ut indifferentes habent, dummodo religio naturalis servetur, cui soli ab omnibus obsequendum esse contendunt. Deinde volunt, ut in revelationis indagatione primum veritates, quae credendae proponuntur, ad rationis tribunal vocentur atque examinentur, neve ulterius procedatur, nisi perspecta sit earum intrinseca cum ratione conformitas. Quod sane certissimum esset non inveniendae sed destruendae revelationis medium. Hinc jure proscriptus est indifferentistarum error: „Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit“. (Syll. §. 8. XV.)

Articulus V.

In inquisitione facti: utrum haec an illa religio, quae se revelatam dicit, sit vere a Deo revelata, summi momenti est quaestio: quaenam sint illae notae, quibus vera revelatio a falsa discerni possit.

43. Probata possibilitate et necessitate morali religionis revelatae, jam inquirendum nobis est, quomodo cognosci possit ac debeat, religioni alicui revera divinam convenire originem seu eam esse revelatam. A nemine in dubium vocari potest, revelationem, si Deum auctorem habeat, absque ulla dubitatione esse amplectendam, siquidem divina auctoritas supra ipsam rationem valet et ab omni fallaciae suspicione immunis est. — Verum quum latere neminem possit, varias a populis usurpatas esse religiones, omnis adhibenda est diligentia, ut, quaenam sit vera, quaenam falsa agnoscamus; nam sicut ille summae impietatis reus esset, qui Deo revelanti fidem detrectaret; ita stulte ageret, qui religionem aliquam ut revelatam admitteret, nisi perspicuas verae revelationis characteres prae se ferat. Tota haec quaestio in facto posita est: an haec vel illa religio, quae se revelatam dicit, sit vere a Deo revelata. In hac inquisitione primum examinandum est, quinam sint characteres illi vel notae, quibus vera revelatio a falsa discerni possit. Si enim Deus actu hominibus revelationem largiatur, opus est eam talibus insigniri notis, ut ceu vere divina cognosci, rationabili assensu acceptari, et congruo obsequio exerceri queat: secus enim finis factae revelationis obtineri nullo modo potest. Notae autem et quasi sigilla, quisbus vera Dei revelatio supernaturalis agnosci et a spuria et falsa secerni potest, revelationis c h a r a c t e r e s seu c r i t e r i a vocari solent; sicut epistola regis ex regio sigillo agnoscitur. Dicuntur autem isti characteres n o t a e revelationis, quia ex iis revelatio ut a Deo proveniens dignoscitur; c r i t e r i a revelationis, eo quod ex iis dijudicatur et discernitur vera revelatio; vel etiam m o t i v a c r e d i b i l i t a t i s, quia ipsis factum revelationis redditur evidenter credibile, ita ut ratio agnoscat, tum hoc factum, tum ipsas veritas revelatas omnino admittendas esse.

Dicitur veritas aliqua vel factum aliquod evidenter credibile, quando intellectus quidem facti vel veritatis intrinsecam evidentiam non habet, sed evidentia adest extrinseca, i. e. si evidentia motiva sunt solida & firma, quae ostendunt, factum aliquod accidisse, vel propositionem aliquam esse veram, adeoque factum vel propositionem esse admittendam & credendam.

44. Distinguunt imprimis theologi criteria revelationis *interna* & *externa*. *Interna* sunt, quae ex ipsa re revelata vel ex revelationis modo desumuntur; *externa* vero vocantur facta illa & signa supernaturalis ordinis, quae, quum a Deo solo effici possint, ad manifestandam & comprobandam divinam voluntatem aptissima sunt. Characteres interni sunt vel *negativi* vel *positivi*: sunt *negativi*, qui determinant, quid a doctrina, quae revelata dicitur, abesse debeat; *positivi* vero ostendunt, quomodo doctrinam divinitus revelatam comparatam esse oporteat.

45. Criteria negativa eo reducuntur, ut doctrina aliqua, quae tamquam revelata proponitur, sive in se, sive considerato modo quo proponitur, veritatibus e v i d e n t i b u s rationis metaphysicis ac moralibus, vel veritatibus alias revelatis non repugnet. Etenim si quid in ipsa materia doctrinae propositae vel in modo propositionis veritatibus evidentibus rationis aut anterioris revelationis evidenter repugnat, profecto ejusmodi doctrina a Deo esse nequit. Etenim inter fidem et rationem vera dissensio esse non potest, „cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere.“ (Conc. Vat. Ses. III. c. IV.) Diximus tamen, revelationem non pugnare debere cum veritatibus vel factis e v i d e n t i b u s, non autem cum veritatibus vel factis i n c e r t i s ac d u b i i s, in quibus ratio pro debilitate sua saepius aberrat, aut cum systematibus philosophicis, in quibus non raro phantasiae figmenta pro rationis dictaminibus proponuntur.

46. Si de characteribus internis positivis agitur, rationis humanae non est, Deo praescribere, quid ipsum revelare oporteat. Id tamen absque haesitatione statui potest, doctrinam revelatam D e o d i g n a m & h o m i n i b u s a c c o m m o d a t a m esse oportere. *a*) Doctrina enim, quae Deum auctorem habet, nonnisi undequaque vera, bona & sancta esse potest. *b*) Et quum, a Deo sapientissimo pro hominibus destinetur, certe horum c a p a c i t a t i, f i n i a c i n d i g e n t i a e accommodata est. — Ut autem doctrina hominum *capacitati* accomodata sit, ea claritate proponi debet, ut ab hominibus percipi possit. Non autem requiritur, ut doctrina, quod attinet rationes intrinsecas, comprehendatur, sed sufficit, ut subjectum & praedicatum cognoscantur, ac de eorumdem nexu ex auctoritate divina certitudo habeatur. Denique doctrina revelata clara fieri potest vel per se, vel per magisterium authenticum, a sapientissimo revelationis auctore constitutum.

*

Ut doctrina hominum *fini* accomodata sit, oportet eam utilem esse ad cognitionem veritatis, ad exercitium moralitatis et ad acquisitionem felicitatis promovendam.

Ut doctrina hominum *indigentiae* accommodata sit, ratio non quidem exigere, sed exspectare convenienter videtur, ut illae imprimis veritates revelentur, quae scitu necessariae, sed rationi imperviae sunt; ut non solum officia, in quibus statuendis facile aberratur, clarius & solidius proponantur, sed etiam cultus externus saltem quoad summa capita ad uniformitatem aliquam obtinendam determinetur; & tandem ut stabiliatur, cui in regno divino morali omnes subesse teneantur.

47. Ex characteribus internis tum negativis, tum positivis equidem apodicticum pro existentia divinae revelationis argumentum non exurgit, quia absolute loquendo, possibile est, ut quis doctrinam a contradictione liberam, Deo dignam, & hominibus accommodatam per vires suas naturales proponat. Proinde notae allatae, quamvis ad probandum vim aliquam habeant, quum adsunt, magis tamen valent ad infirmandum, quum desunt. Ubi illae notae non inveniuntur, falsa probatur revelatio; ubi autem adsunt, id unum efficiunt, revelationem divinam essse posse, quum nulla in ea reperiatur falsitatis nota.

48. Ad probandam itaque existentiam divinae revelationis non suffiiciunt argumenta intrinseca sive negativa sive positiva, sed recurrendum est ad argumenta extrinseca, quae omnem prorsus dubitationem tollunt. Qualia vero haec sint, per naturam revelationis definitur. Revelatio enim est factum a liberrima voluntate divina profectum; quodlibet autem factum liberum, haud necessarium, nonnisi testimoniis probari potest. Hinc ut de revelatione divina certi simus, pariter testimoniis indigemus, iisque divinis, quia Deum revelantem nemo immediate observare, et proinde etiam nemo revelationem factam testificari valet, nisi ipse Deus solus. Testimonia illa divina externa porro debent, ne iterum aliis nobis testimoniis divinis opus sit, talia esse, quae tanquam divina necessario jam per se cognoscantur, adeoque quae pro sua natura a Deo solummodo ad revelationem factam comprobandam edita esse queant. Quum jam haec aut esse possint facta in mundo sensibili producta, quae ad omnipotentiam divinam, aut phoenomena in mente humana edita, quae ad omniscientiam divinam referri debeant, et priora miracula, posteriora vero vaticinia nuncupentur: patet, ad

demonstrandam divinitatem revelationis necessaria esse miracula et vaticinia. (Alb. a Buls. theol. gen. sect. II. c. IV. — Schwetz theol. gen. p. I. c. V.)

Articulus VI.

Miraculum est effectus, qui totius naturae creatae ordinem ac facultatem excedit.

49. Miraculi nomen ab admiratone desumptum est; dicitur enim aliquid miraculum quasi admiratione plenum, quod in se vere ac simpliciter admirationis causam habet. Admirationem autem duo gignunt juxta Aristotelis doctrinam: primum est, quod causa ejus rei, quam admiramur, sit occulta; alterum, quod in re hac aliquid appareat, per quod videatur effectus contrarius ei, quem miramur, exspectari debere. Ex hoc duplici capite homines e. gr. electrica & magnetica phoenomena mirantur.

50. Causa effectus mirabilis potest esse occulta dupliciter: uno modo secundum se, alio modo, quoad nos. Quoad nos quidem, quando causa effectus, quam miramur, non est occulta simpliciter, sed occulta huic vel illi, nec in re, quam miramur, est dispositio repugnans effectui, quem miramur, secundum rei veritatem, sed solum secundum opinionem admirantis. Inde fit, ut, quod est uni mirum vel admirabile, non sit semper mirum vel admirabile alteri. Secundum se autem aliquid est mirum vel admirabile, cujus causa simpliciter est occulta & quando in re est contraria dispositio secundum naturam effectui, qui apparet; & ista non solum possunt dici mira, sed etiam miracula, quasi habentia in se admirationis causam. Causa autem occultissima & remotissima a nostris sensibus est divina, quae in rebus omnibus secretissime operatur. Et ideo illa, quae sola virtute divina fiunt in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula. Atqui res, in qua est naturalis ordo sive ad contrarium effectum sive ad contrarium modum faciendi, totius naturae creatae ordinem & facultatem excedit. Miraculum ergo proprie acceptum erit: *effectus, qui totius naturae creatae ordinem ac facultatem excedit,* sub quo ordine continetur omnis virtus creata, ita ut vera miracula non solum in conspectu hominum, sed etiam daemonum et angelorum sint mirabilia.

51. Ergo ea omnia, quae natura facit, licet nobis, aut alicui nostrum occulta, vel etiam illa, quae Deus quidem facit, sed talia sunt, ut non nisi a Deo nata sint fieri, miracula dici non possunt,

sed solum mira vel mirabilia. Quapropter creatio rerum ex nihilo in temporis initio non est miraculum, quia non est in re, unde aliter esse debeat, imo naturali ordine sic esse debet, quum solus Deus sit totius esse auctor. Similiter animarum creatio non est miraculum, quia anima suum esse aliter non potest habere, et consuetus ordo productionis est, ut, homine materiam disponente, a Deo creetur anima. Miraculum itaque est id tantummodo, quod sola virtute divina fit in rebus, in quibus secundum naturae creatae ordinem oppositum contingere deberet, sicut resuscitatio mortui est a solo Deo et corpus mortuum in se habet, ut perpetuo careat vita et habeat, unde non debeat in ipso vita causari.

52. Hinc miraculum differt, a *miro*. Mirum onim est, *quidquid insuetum est in cursu sensibilis naturae,* quod tamen aliquando contingit, vel quia ab homine quaedam per artem vulgo occultam conjunguntur, ut quum chimicus oxygenium et hydrogenium miscet ac dein admoto igne chimicam aquae combinationem magno excitato fragore obtinet; vel quia agens creatum sed occultum res quasdam movet aut vires sensibilis naturae applicat, impedit, determinat. Mirum itaque nec ordinem naturae creatae, nec facultatem excedit.

53. Miraculum distinguitur quoque a *praestigio*. Praestigium enim est *mera illusio, quae oritur per immutationem a vi aliqua intelligente effectam in organis sive sensuum sive phantasiae.* Hoc quoque naturae creatae vires non superat.

Miraculum demum differt ab opere magico. — Magia enim est *ars mira patrandi, sive per occultas naturae vires, sive per occultam industriam, sive malorum spirituum id est daemonum interventu.* Prima et altera magiae ratio dicitur *naturalis*, tertia *diabolica.*

54. Ad determinandum finem miraculorum animadvertendum est, duplicem ordinem dari: ordinem physicum et ordinem providentiae. Est autem ordo physicus *ordo rerum materialium ad certos quosdam effectus*; ordo vero providentiae est *ordo rerum omnium ac maxime entium intelligentium ad mundi finem.* Ordo igitur physicus minus late patet, quam ordo providentiae, estque quoddam medium huic subordinatum. Finem miraculorum non contineri intra physicum ordinem, manifestum est. Nam in iis, in quibus naturae ordo immediatam Dei operationem constanter requirit, miraculum non est. Quoad reliqua autem supponi nequit, naturae ordinem aliquando indigere posse miraculo, ut conservetur: hoc enim ostenderet in supremo opifice defectum praevisionis, quemadmodum in humano arti-

fice, quum in machina a se exstructa aliquid emendare cogitur, ne illa dissolvatur aut innutilis fiat.

Iam vero miracula fieri non possunt nisi propter quempiam finem. Si igitur miracula fiant, finem aliquem, ob quem fiunt, ea habeant necesse est. Quum finis hic rerum physico ordine non includatur, debet certe includi ordine providentiae.

55. Miraculum est operatio divina libera. Operatio autem libera signum est voluntatis. Cognoscitur vero voluntas id est intentio voluntatis primo ex operationis ipsius natura, et praeterea ex adjunctis, in quibus operatio fit. Id autem, quod voluntas intendit operando, finis est operationis.

Igitur quum e. gr. miraculum fit in alicujus sive favorem sive punitionem, per hoc ipsum ostenditur Dei in illum benevola voluntas vel ira. — Ac tum praesertim, quum Dei nomen invocatur, ut vel innocentiam vel sanctitatem alicujus hominis, vel doctrinae traditae veritatem confirmet, tunc certe, si miraculum revera fiat, Deus vult, ut res, de qua agitur, certa habeatur.

56. Ex dictis sequitur: *a)* quaecunque vel uno miraculo confirmantur, indubia prorsus esse, constat. *b)* Ad divinam pertinere providentiam, ut, si quando permittat, a spiritibus malis seu mira seu praestigia fieri, id in ejusmodi adjunctis permittat, ut clara suppetant hominibus judicia, quibus cognoscant, ea divina signa non esse; secus Deus in cerrores invincibiles adduceret homines.

57. Miracula tripliciter a S. Thoma (I. q. 105. n. 8.) dividuntur, prout naturae vires exsuperant, aut ratione *sui*, aut ratione *subjecti*, aut ratione *modi*. „Excedit aliquid, ita S. Thomas, facultatem naturae tripliciter: uno modo quantum ad substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul in eodem loco vel quod sol retro cedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest; et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturae non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit; sicuti resuscitatio mortuorum et illuminatio coecorum et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo et potest praestare visum, sed non in coeco; et haec tenent secundum locum iu miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturae quantum ad modum et ordinem faciendi. Sicut quum aliquis subito per virtutem divinam a febri curatur, absque curatione et consueto processu in talibus; et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis“.

58. Parum ab hac differt divisio miraculorum in miracula supra naturam, contra naturam, praeter naturam.

a) Supra naturam dicuntur, quum effectum illum, quem Deus facit, natura nullo modo facere potest, quatenus formam per miraculum inductam natura vel nunquam inducit, vel non in ejusmodi materiam. Hujusmodi sunt corporis glorificatio, et mortui resurrectio.

b) Contra naturam, quando in natura est dispositio contraria effectui, quem Deus operatur; neque huic naturali dispositioni naturale impedimentum oppositum est; ut quum tres pueri in camino ignis non sunt combusti, vel quum aquae Jordanis steterunt.

c) Praeter naturam; quum Deus producit effectum, quem natura producere potest, sed non eo modo, quo a Deo fit; ut est instantanea curatio.

Miracula vocantur etiam *a) virtutes* (ps. 144, 4), quatenus excedunt facultatem naturae; *b) signa* (Marc. XVI. 17) propter finem, ob quem fiunt, sc. ad manifestandum aliquid supernaturale; *c) portenta, prodigia* (ps. 117, 23. Joel. 3, 3), propter excellentiam, vel quia stuporem et admirationem excitant; *d) digitus* Dei (Ex od. VIII. 19) propter divinam, quae operatur, virtutem (Lib. met. pp. 139 et seq.; Tong. Cosm. pp. 401 et seq.).

Operatio miraculorum attribuitur fidei propter duo primo quidem, quia ordinatur ad fidei confirmationem; secundo quia procedit ex Dei omnipotentia, cui fides innititur.

Articulus VII.

Deus in natura visibili producere potest effectus, qui hujus vires superant consuetisque legibus repugnant; et nos de extraordinaria causalitate Dei in miro aliquo effectu producendo sufficienter certi fieri possumus.

59. Duo in hac thesi demonstranda assumimus: 1) miracula in se seu objective sumpta esse possibilia i. e. Deum in natura visibili producere posse effectus, qui hujus vires superant consuetisque legibus repugnant; 2) miracula quoad nos seu subjective esse possibilia i. e. nos de extraordinaria causalitate Dei in miro aliquo effectu producendo sufficienter certos fieri posse.

60. Probatur I. pars. *Miracula objective sumpta possibilia esse, ipsa sana ratio docet.*

a) Logica enim miraculorum possibilitas per se manifesta est, quia notio miraculi notas contradictorias non involvit, ac proinde a ratione sana optime concipi potest.

b) Physica quoque possibilitas in dubium vocari nequit. Nam ex una parte Deus, qui illimitata causalitate seu omnipotentia pollet, ut continuo in naturam agit, ita etiam singulari actione eam afficere potest, legesque, quas ipse tulit, quibus autem ipse nequaquam subest, suspendere. Et sane si nos in nostrum corpus agere, ejusdem vires suspendere, consuetam activitatem mutare possumus; cur non poterit idem facere Deus quoque et quidem circa totum universum, cujus auctor et gubernator est? Pari modo altera ex parte natura, quae tota a Deo dependet, illique paret, sicut latas ab ipso leges observat, ita etiam certos recessus et receptiones ab eadem omnipotentia, prout exigunt fines morales, secundum quos regitur, recipere potest. Ordo enim causarum secundarum Deo subjicitur, quasi ab eo procedens non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset enim et alium ordinem rerum instituere; unde et potest puaeter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit; puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae non se extendunt. Mundus ergo per se contingens est et nihil est in ipso necessarium i. e. nihil est, quod ita debeat adesse, ut non possit abesse; simul est et dependens a Deo; ergo potest recipere mutationes a superiore i. e. a Deo. Quum enim generatim vis minor majori cedere debet, an natura Deo omnipotenti resistere poterit?

61. Moralis possibilitas eodem modo clare apparet; miracula enim fines hominis, revelationis, aut Dei non solum non impediunt, sed summopere promovent; sunt enim 1) homini maxime accommodata, qui naturali stimulo in mira fertur, et factis potius, quam argumentis erudiri ac persuaderi debet; sunt etiam 2) revelationi consentanea, quae, cum Deum auctorem habeat, factis quoque divinis indiget, ut originem suam supernaturalem probent; sunt demum 3) Deo dignissima, quia in patratione miraculorum varia attributa sua clarissime manifestat; ostendit enim suam omnipotentiam, quum totius naturae vires superat; suam indepedentiam, dum ipsas naturae leges vel suspendit, vel immutat; nullo enim modo melius ostendi potest, quod tota natura divinae subjecta est voluntati, quam ex hoc quod quandoque ipse praeter ordinem naturae aliquid operatur; suam bonitatem, cum revelatam a se doctrinam pro salute hominum confirmat, et suam providentiam, ad quam melius cognoscendam et ruminandam hominem, operibus suis ordinariis jam assue-

tum, per eventus extraordinarios excitat. Quam in rem egregie disserit s. Augustinus (tract. 24. in Joan. n. 1.): „Quia Deus non est talis substantia, quae videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira, et stupenda in quolibet seminis grano; secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum, ordinemque naturae, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant". Manifestum igitur est, miracula objective possibilia esse.

62. *Demon. II. p.* Ut ex miraculo patrato pro veritate factae divinae revelationis pro nobis argumentum exurgat, de subjectiva illius veritate certi esse debemus. Ad id autem tria requiruntur:

a) Primo enim nosse debemus, factum, quod ceu miraculum proponitur, vere, uti narratur, contigisse;

b) porro constare debet, in facto isto naturae vires vere superatas esse, et extraordinariam causalitatem divinam adfuisse;

c) demum perspicuum fieri debet, miraculum in confirmationem facti aut doctrinae propositae patratum esse. Brevius: ad probandam revelatiouem divinam certi esse debemus de veritate miraculorum historica, philosophica et relativa. Sed hanc triplicem miraculorum veritatem certo et tuto cognoscere possumus, atque ideo admittenda est subjectiva eorumdem possibilitas. Deo enim profecto scientia et potentia denegari non potest, ut opera sua ab operibus creaturarum distinguat, et de supernaturali ac immediata sua causalitate homines certiores reddat. Quocirca etiamsi ratio humana, utpote limitata, nullum valeret modum assignare, ejus tamen possibilitatem negare non potest, nisi justum de Deo conceptum tollat. Verum nobis etiam facultatem inesse omnia cognoscendi, quae ad subjectivam miraculorum possibilitatem requiruntur, facile probatur.

a) Veritatem enim miraculi historicam certo nosse possumus. Nam si facto supernaturali praesentes fuerimus, illud ex propria experientia cognoscere valemus; nam sensus non minus sufficiunt ad factum insolitum, quam ad ordinarium rite observandum. Si vero absentes fuerimus, de facto, in aliorum praesentia patrato, horum testimonio authentico certi reddimur: quod si negetur, omnis pariter fides historica neganda erit. Itaque potest imprimis de facto, quod naturae ordinem excedit,

haberi certitudo physica ab iis, qui hoc factum suis sensibus percipiunt. Quamquam enim miracula sint facta quaedam supra naturam, tamen si facta sensibilia sint, ad ea observanda vis supra naturam nulla requiritur. Possunt ergo sensibus recte dispositis riteque adhibitis cum certitudine cognosci prorsus ut cetera facta; e. gr. aliquem hominem mortuum vere mortuum esse, hoc sane omnes certo possunt cognoscere: ipsum deinde hominem, si iterum vivat, omnes possunt viventem cernere. Atqui ex duplici hac cognitione exurgit certitudo de hominis resurrectione.

Potest insuper, ut dictum est, de miraculo haberi certitudo moralis. Sufficit enim, ut de testium, qui se factum vidisse asserunt, scientia et veracitate dubium omne excludatur. Ad hoc autem non supernaturalis quaedam critica necessaria est, sed ordinaria illa critica, qua de testimonii historici pondere ex adjunctis judicare solemus. Quod si quis, testibus, quorum scientia ac veracitas ex criticae legibus comperta est, ideo solum, quia factum, cui dant testimonium, supra naturam est, fidem detrectaret; talis profecto, ut divinum in ordine physico miraculum respueret, absurdum quoddam in ordine morali miraculum admittere cogeretur. Homines enim in certis quibusdam adjunctis constitutos mentiri, hoc sane et supra et contra moralis ordinis leges est. Neque certitudini morali quidquam obstat oppositi possibilitas. In quaectionem erim vocatur, an res quaepiam existat vel exstiterit, non vero an existere debeat vel debuerit; et hoc quidem oppositi possibilitatem non excludit, illud vero omnem contrarii possibilitatem tollit. Hinc quaelibet res quantumlibet improbalis antequam fiat, omnem jam oppositi possibilitatem excludit, postquam facta est. Ex eo ergo, quod res aliqua potuerit non fieri, minime sequitur, eam factam non esse.

b) Veritatem miraculi philosophicam certe ope reflexionis detegere licet. Ratio enim nostra effectum non potest admittere sine causa sufficienti; quare, si effectus alicujus causam sufficientem in viribus naturalibus, creatis, et limitatis non inveniri certo cognoscat, necesse omnino est, ut ad vires supernaturales, et illimitatas, id est ad omnipotentiam divinam recurrat, et extraordinarium Dei interventum statuat. Neque vero ad hoc judicium ferendum necessaria est perfecta omnium legum naturae, et virium naturalium cognitio, ut Rousseau et alii increduli

contendunt. Licet enim non omnes leges naturae perfecte cognos-
camus, plures tamen ita cognoscimus, ut certo affirmare valea-
amus, effectum aliquem istis legibus repugnare. Et si per judi-
cium affirmativum determinare non possumus, quousque vires
naturales, seu creatae se extendant; possumus tamen per judi-
cium negativum certo statuere, quid vires naturae nullo modo
perficere queant. Sic e. g. nescimus, ad quanta onera ferenda
vires hominis sufficere possint; indubitanter tamen asserimus,
non posse homines integros montes portare, aut magna aedificia
unico verbo transferre. Sic jam de philosophica miraculi veri-
tate omnino certiores fieri possumus.

c) V e r i t a t e m m i r a c u l i r e l a t i v a m cognoscimus, si certo nobis constat, miraculum in confirmationem propositae doctrinae patratum fuisse. Id autem cognoscere possumus tum ex illius, qui miraculum patrat, declaratione, tum ex circumstantiis, in quibus illud fit, praesertim si plura facta mira ab eo, qui se ceu praeconem doctrinae revelatae sistit, perficiantur. — Si enim generatim de intentionibus actionum humanarum ex agentium contestatione, vel ex circumstantiis certum judicium ferri potest; quare idem fieri non poterit de intentione miraculi patrati, praecipue si ille, per quem miraculum fit, intentionem suam claris verbis pronuntiet, qui sine dubio ob concursum divinum omnem fidem meretur? — Manifesta est ergo etiam subjectiva miraculorum possibilitas. (Alb. a Buls. Theol. gen. sect. II. c. IV. art. I. — Tong. Comp. metaph. p. 201.)

Articulus VIII.

Miraculis inest vis veritatem revelationis demonstrandi.

63. Quae hucusque de miraculis dicta sunt, tantam in hanc
quaestionem lucem effundunt, ut facillime nunc intelligi possit, nihil
esse hoc criterio ad probandum efficacius; et miraculum, dummodo
tale esse constet, vere Dei sigillum appellari posse, seu Dei ipsius
manifestationem, tam apertam et magnificam, ut omnes in admira-
tionem rapiat, et quasi cogat ad assensum. Verum quum negari non
possit, ut veros prophetas ita et impostores in hoc miraculorum testi-
monio auctoritatem suam posuisse, et a falsis religionibus etiam mira-
cula sua praedicari; necesse est, ut vera sciamus a falsis secernere.
Hoc siquidem argumentum omnem vim ad probandum amitteret, nisi
certa adessent veri miraculi signa, quibus Dei testimonium facile

distingui possit a praestigiis veteratorum, aut artis diabolicae machinationibus.

64. In his ergo veri miraculi characteribus investigandis et exponendis paulum immorandum est; quamvis res non sit adeo operosa, dummodo sinceri simus veritatis indagatores. Scilicet cavendum est a duplici extremo: a nimia credulitate, quae ex superstitione nascitur, et rerum naturalium ignorantia; et a nimia incredulitate, quae vitium est illorum hominum, qui se tunc putant philosophos esse, quum turpissime desipiunt, et summam rationem putant, absque ratione negare, quidquid corruptae menti non arridet.

65. Ut in hac investigatione recto ordine agamus, haec sunt diligenter distinguenda. 1) Dantur miracula, quae evidenter omnes vires creatas superant, et quae soli Deo adscribi posse omnes fatentur. Porro dubitari non potest, ad hanc miraculorum classem pertinere omnes eventus, qui generalibus et constantibus naturae legibus adversantur; hi enim nonnisi per immediatam Dei operationem produci possunt. 2) Dantur etiam prodigia, quae tam certum non habent divinae virtutis characterem; quamvis enim immediatae Dei operationis effectus esse possit, id tamen subinde perspicuum non est.

66. *Miraculum proprie dictum certum est doctrinae, in cujus gratiam editum est, argumentum.* Nam miraculum proprie dictum a solo Deo tamquam causa efficiente proficiscitur; ergo certum est veritatis argumentum. Probatur imprimis, Deum *solum* esse causam efficientem miraculorum. Sane

a) Miraculum proprie dictum est opus, quod totius naturae vires superat. Ergo superat vires angelorum sive bonorum sive malorum, quia angeli sub ordine totius naturae creatae continentur.

b) Miraculum est effectus, quem natura producere nullo modo potest, imo ab eo, qui ex naturae legibus sequi debuisset, plane diversus; atqui ita agere nemo potest nisi Deus, qui totius naturae et legum naturalium supremus Dominus est. Etenim quod est sub ordine totaliter constitutum, non potest praeter ordinem illum operari. Omnis autem creatura est constituta sub ordine, quem Deus in rebus statuit. Nulla ergo creatura potest supra hunc ordinem operari, quod est miracula facere.

c) Quando aliqua virtus finita proprium effectum operatur, ad quem determinatur, non est miraculum, licet possit esse mirum alicui, qui illam virtutem non comprehendit. Omnis autem creaturae potentia est limitata ad aliquem determinatum effectum, vel ad

aliquos. Quidquid ergo virtute cujuscunque creaturae fiat, non potest dici miraculum proprie, etsi sit mirum creaturae virtutem illius non comprehendenti.

d) Omnis creatura in sua actione requirit subjectum aliquod, in quod agat. Solius autem Dei est, ex nihilo aliquid facere. Nihil autem, quod requirit in sua actione subjectum, potest agere, nisi illa, ad quae subjectum est in potentia: hoc enim agens in subjectum aliquod operatur, ut educat illud de potentia in actum. Nulla igitur creatura, sicut creare non potest, ita nec agere potest in aliqua re, nisi quod est in potentia illius rei. Haec igitur miracula nulla virtute creata fieri possunt. (S. Thom. contr. gent. lib. III.)

67. Miraculum proprie dictum esse **certum veritatis argumentum** patet ex antecedentibus; nam si falsa esse posset doctrina, in cujus confirmationem verum et proprie dictum miraculum patratum esset; Deus ipse errorem confirmaret, et quidem eo testimonio, quo nullum potest esse majus; ita ut Deus homines ipse falleret, et quasi omnipotente manu in errorem impelleret, quod vel cogitare impium esset.

68. Probatur idem ex consensu omnium populorum, qui semper miraculum habuerunt ut divini testimonii signum certissimum. Haec omnium sæculorum experientia nos edocet, nihil esse hoc medio efficacius ad frangendam voluntatis etiam obstinatam repugnantiam, quod Pharaonis et majorum exemplum probat; et postmodum Judaeorum et gentilium ad fidem christianam conversio. Nam miraculis Christi Judaei convicti sunt. „Scimus, quia a Deo venisti, magister“ (Joan. 3, 2), ait Nicodemus; „nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo“. Miraculis profligata est impia et tot saeculorum consensu inveterata gentilium superstitio. Miraculis crucis stultitia triumphavit de vana Graecorum sapientia: „Fides vestra ait Apostolus (1. ad Cor. c. II. 5) non in sapientia hominum, sed in virtute Dei“.

69. Diximus supra, miraculum proprie dictum esse certum argumentum *doctrinae*, in cujus gratiam editum est. Miraculum enim id probare non potest, ad quod probandum non fuit editum. Sicut sigillum regium, quod certum est regiae voluntatis testimonium, auctoritatem tamen conciliare non potest, nisi illis litteris, quibus imprimitur. Sic et miraculum, quod Dei quasi sigillum est, non potest divinam auctoritatem alicui doctrinae conciliare, nisi illi applicetur

et quodammodo imprimatur; quod certe non fieret, nisi constaret, illud ad confirmationem huius doctrinae factum esse. Huc pertinet illa S. Augustini regula, qua inter veri miraculi characteres etiam hunc nominat, quod debeat fieri invocato Dei nomine.

70. Quando incertum est, an miraculum, vel in se vel ratione modi, totius naturae creatae vires superet, tunc, ut probet doctrinae, in cuius gratiam factum est, veritatem, indagandum est, an divinum sit, nec ne. Sane vis argumenti non potest esse certior, quam ipsum argumentum: seu conclusio non potest maiorem habere certitudinem, quam praemissae. Ergo vim probandi habere non potest eventus, de quo incertum est, an sit miraculum proprie dictum, nisi Deum illius auctorem esse ex certis rationibus dijudicari possit. Quum autem probatum fuerit, Deum auctorem esse alicuius prodigii, non est anxie inquirendum, an omnes vires creatas superet, vel non: in utraque hypothesi vim habet probandi; quum Deus nunquam possit errori patrocinium praestare et suam auctoritatem interponere ad fallendos homines.

71. **Regulae in dijudicandis miraculis adhibendae.** In dubio, an eventus aliquis extraordinarius Deum auctorem habeat, vim magnam habent regulae quaedam negativae, quae aut probant ejusmodi effectum Deo attribui non posse, aut saltem vehementer fraudis suspicionem movent. Igitur 1) divinam auctoritatem vindicare non possumus miro effectui, qui aliis plurimis et splendidioribus miraculis eliditur; Deus enim non potest falsam simul et veram doctrinam miraculis confirmare; ergo iis standum est, ubi Dei digitum adesse evidenter apparet. 2) Inter divina miracula computari non possunt, quae in se ridicula sunt et Deo indigna, vel in modo, quo patrata sunt, obscoenum aliquid habent et bonis moribus inimicum; neque si doctrina, quam confirmare debent, in morum corruptelam tendit, aut religioni naturali, aut veritati jam certo revelatae contradicit. 3) Merito in suspicionem veniunt prodigia, quibus homines inutiliter vexantur. Notandum tamen, hac regula non excludi prodigia in malorum vindictam patrata, quorum maxima est ad commovendos improborum animos utilitas atque ad ostendendam solius veri et summi Dei majestatem, sanctitatem et justitiam. 4) Potest equidem Deus donum miraculorum etiam malis hominibus communicare; quando nempe veritas detrimentum non patitur. Attamen prodigia a scelestis hominibus patrata merito suspicionem movent, quum Deus ordinarie ejusmodi administros suae omnipotentiae non adhibeat. Contra daemon

libentissime malis hominibus utitur tamquam aptissimis suae fallaciae instrumentis.

72. Hinc deduci possunt sequentia:

1) Si thaumaturgos pius est et honestis moribus, et ab omni fraude alienus, humanaeque gloriae non est captator, sed demisso animo i. e. modesto, hoc indicium erit, eum mali spiritus artibus non operari; si contra, suspicio legitima oriri poterit.

2) In operandi modo, quum quis Dei nomine operatur, nihil est, quod non sit honestum, grave, sapiens, plenum pietatis atque humanitatis. Ubi autem vides inhonesta, obscoena, ridicula, vana, superstitiosa, crudelia, ibi certe nec Deus est, nec bonus angelus.

3) Si effectus mirabilis ad majorem Dei gloriam spectat, non erit maligni spiritus operatio.

At si quis effectum mirabilem ad propriam gloriam, aut lucrum, aut ad humanae curiositatis pabulum, aut ad suorum corruptionem, aut ad doctrinas manifeste impias, absurdas, falsasque confirmandas dirigat, hic certe vel arte propria vel mali daemonis operatur.

73. Opus mirabile, sive sit miraculum proprie dictum, sive a bonis spiritibus vi sua naturali operantibus procedat, semper ut signum divinum habendum erit. Hoc per se patet, si opus mirabile sit miraculum proprie dictum. Miraculum enim proprie dictum immediata Dei operatio est. Si autem opus mirabile sit ex naturali bonorum spirituum virtute, adhuc erit divinae voluntatis signum: boni enim spiritus, quum in omnibus sint Deo subjecti, nihil agere possunt, quod Dei voluntati repugnat; proinde falsitati favere, eamque promovere ac suadere nullatenus possunt. (Lieb. Dem. rel. chr. t. I. sect. II. art. II.)

74. Boni spiritus miracula proprie dicta operari possunt, non tamquam causae principales, sed tamquam Dei instrumentum ac ministri et hoc tripliciter. Uno modo precibus impetrando. Alio modo materiam disponendo sua naturali virtute eo fine, ut miraculum fiat. Tertius modus est, quod operentur etiam aliquid agendo. Hunc tertium modum explicat S. Thomas sequenti modo: Constat, quod Deus solo imperio miracula operatur: videmus autem, quod imperium divinum ad inferiores rationales spiritus, scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet angelis, pervenit, ut in legis veteris latione apparet: et per hunc modum per spiritus angelicos vel humanos imperium divinum ad corporales creaturas pervenire potest, ut per eos quodammodo naturae praesentetur divinum praeceptum, et sic agant quodammodo spiritus humani vel angelici ut instrumentum divinae

virtutis ad miraculi perfectionem: non quasi aliqua virtute habitualiter in eis manente, vel gratuita vel naturali, in actum miraculi possint. Sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis, in sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quae non permanent nisi per praesentiam agentis principalis, sicut lumen in aere ac motus in instrumento.

Articulus IX.

Deus daemonibus, quaecunque eorum sit vis, permittere non potest, ut pro libitu naturae leges invertere, impostores adjuvare et homines in errorem quasi necessarium perducere queant.

75. *Probatur thesis.* Ex notione divinae providentiae, quae totum universum sapientissime et clementissime gubernat ordinemque in omnibus admirabilem conservat, fluit, Deum nullatenus permittere posse, ut fines optimi ab ipso praestituti et ordo pulcherrimus a malis spiritibus pro lubitu perturbentur. Quemadmodum enim a principis sapientia alienum foret, ut subdito cuicunque in quacunque dignitate constituto facultas esset, leges ordinemque civitatis invertendi et immutandi; ita multo magis divinam sapientiam divinumque dominium dedecere perspicuum est, ut daemonibus potestas sit, pro arbitrio universalem naturae ordinem invertendi hominesque seducendi.

76. Ex idea quoque bonitatis et misericordiae divinae, quae hominibus in necessariis non deest, ipsorumque felicitatem vult, facile eruitur, Deum permittere non posse ut homines a malignis spiritibus per prodigia fallacia quasi in necessarium errorem et inevitabilem interitum perducantur. Sed animadvertendum est, non posse a priori ostendi, quid Deus, qui est ens primum, absolutum, et independens, faciat aut facere debeat, sed a posteriori haec benignissima Dei voluntas probanda venit, et quidem ex fine hominis. Deus enim vere vult, ut homo libere ad veritatem, moralitatem et felicitatem tendat, et sic omnes suas facultates ad Deum, auctorem suum referat. Quidquid autem Deus vult, efficaciter vult, et in simplicissima voluntate sua sibi non contradicit. Si ergo Deus vult praedictum finem, non potest simul velle id, quod hunc finem absolute impediret et moralem hominis libertatem tolleret. Quamobrem Deus, qui ad finem suppeditat media, absque dubio tali facultate hominem instruit, ut sicut in via naturali et ordinaria, dicta rationalia a non rationalibus; ita etiam in via supernaturali et extraordinaria, dogmata et mandata Dei ab illis malorum spirituum distinguere possit. Quamvis ergo facultas mira patrandi malis spiritibus seu daemonibus non de-

negetur, pleno tamen jure asseritur, talibus characteribus mirá daemoniaca insignita esse, ut a divinis facile secernantur. Isti characteres desumendi sunt ex *persona* vel sancta vel prava; ex *fine* bono vel malo; ex *modo* agendi Deo digno aut indigno; ex *doctrina* proposita congrua veritati et moralitati vel dissona; ex *circumstantiis* honestis aut inhonestis; ex *effectibus* salutaribus vel pestiferis et aliis similibus.

77. Quod si neque ex opere ipso, neque ex qualitate personae, neque ex fine, ad quem opus ordinatur, neque tandem ex circumstantiis aliquid apparet, unde prudenter operationem daemonis conjicere possimus, tunc certum est, rem nonnisi a Deo tamquam a principali causa procedere; Deus enim permittere nequit, ut malus spiritus aliquid faciat, quo homines ad errorem non superabilem adducantur, putantes se Deum audire, quum diabolus revera loquatur. Permittere utique potest, ut spiritus nequam conetur decipere, quando non desunt media discernendi veritatem; sed quando media omnia ad deceptionem cavendam omnino desiderantur, divinae providentiae repugnat tantam diabolo relinquere potestatem, siquidem tunc homines invincibiliter errarent et error ipse in Deum refunderetur. (Liberatore Metaph. spec. p. 159.)

78. Si igitur miraculum proprie accipiatur, daemones miracula facere non possunt, nec aliqua creatura sed solus Deus; quia miraculum proprie dicitur, quod fit praeter ordinem totius naturae, sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoque miraculum sensu largiore, quod excedit humanam facultatem et considerationem; et sic daemones possunt facere miracula, quae scilicet homines mirantur, in quantum eorum facultatem et cognitionem excedunt. Nam et unus homo, in quantum facit aliquid, quod est supra facultatem et cognitionem alterius, ducit alium in admirationem sui operis, ut quodammodo videatur miraculum operari.

79. Hinc dicendum est, omnes transmutationes rerum corporalium, quae possunt fieri per aliquas virtutes naturales, posse fieri per operationem daemonum, illas vero transmutationes corporalium rerum, quae non possunt virtute naturae fieri, nullo modo operatione daemonum secundum rei veritatem perfici posse, sicut quod corpus hominis mortuum reviviscat.

Et si aliquando tale aliquid operatione daemonum fieri videatur, hoc non est secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam tantum. Quod quidem potest dupliciter contingere: uno modo ab interiori, secundum quod daemon potest mutare phantasiam hominis, et etiam sensus corporeos, ut aliquid videatur aliter, quam sit. Alio modo ab exteriori. Quum enim ipse possit ex aere formare corpus cujuscunque formae et figurae, ut illud assumens in eo visibiliter appareat, potest eadem ratione circumponere cuicunque rei quamcunque formam corpoream, ut in ejus specie videatur.

Attamen nec hujusmodi miracula improprie dicta daemones pro libitu patrare possunt, nisi permittente et volente Deo. Secus enim, sicut supra demonstravimus, daemones possent ex una quidem parte homines malis innumeris vexare et opprimere, ex altera vero possent ad confirmandos errores et veritatem labefactandam effectus producere, quos nemo ob rerum naturalium ignorantiam et vim agendi invisibilem daemonum posset a vero miraculo discernere.

80. Idem probatur tum experientiâ, qua constat, malignam daemonum mentem nocendique cupiditatem divina virtute cohiberi, nec quidquam timendum illi, qui in Deo spem collocat; tum et sensu communi hominum, qui, quamvis daemonum vires exploratas non habeant, tamen optime sciunt, se suaque omnia a Deo solo dependere, nec quidquam esse in hoc mundo, quod non ejus imperio regatur.

81. Diximus supra, nec hujusmodi miracula improprie dicta a daemonibus fieri posse nisi *permittente et volente Deo.* Deus enim potest justo judicio permittere, ut daemones virtute sua naturali utantur, vel ad exercendos bonos aut puniendos malos, vel ut vera et splendidiora miracula patrando, et daemonum vim sua potestate depellendo, majorem veritati auctoritatem conciliet. Nihil itaque veritati timendum est, quum Deus numquam permittere possit, ut in erroris confirmationem cedat, quod, quum a vero miraculo discerni non posset, ex communi omnium hominum persuasione certissimum esset veritatis testimonium. (Alb. a Buls. theol. gen. sect. II. c. IV. art. I. Lieb. Dem. chr. tom. I. sect. II. art. II.)

Articulus X.

Miracula licet sint effectus, qui totius naturae creatae ordinem ac facultatem excedunt, cum immutabilitate tamen, sapientia ac reliquis Dei perfectionibus optime componuntur.

82. Ut, quae contra possibilitatem et vim probandi miraculorum ab adversariis proferuntur, solide refutemus et demonstremus, miracula perfectionibus Dei maxime consentanea esse, praemittere quaedam juvabit. Animadvertendum est itaque:

1) *Triplicem ordinem distinguendum esse:* metaphysicum, moralem et physicum. *Ordo metaphysicus* exurgit ex necessariis

illis relationibus, quae ex intima essentia atque natura entium fluunt, ac proinde, ut ipsae essentiae immutabilis est.

Ordo moralis nascitur ex essentialibus hominis ad cetera entia relationibus, proinde mutabilis dici nequit.

Modus constans et uniformis, quem agentia materialia in agendo servant, *naturae lex* dicitur, et quidem ideo, quia summi opificis imperio rerum vires constitutae sunt certisque normis subjectae. Hae leges, quoniam inter varia corpora relationes quasdam constantes inducunt, ordinem quendam constituunt, qui *ordo naturae* vel *physicus* dicitur. Eventuum vero secundum hunc ordinem consecutio, *naturae cursus* appellatur.

2) *Ordinem physicum esse contingentem.* Nam si ipse mundus contingens est, atque ideo potuit non creari; hoc multo magis de mundi ordine dicendum est, qui certe res, quibus inhaeret, superare nequit. Omnia igitur, quae ad mundani ordinis constitutionem pertinent, a libera supremi opificis voluntate provenerunt. Quare phaenomena, quae ex hujusmodi ordine dimanant et in motibus corporum consistunt, contingentia sunt; et eatenus tantum dici possunt necessaria, quatenus leges a Deo cum stabilitate et constantia impositas sequuntur adamussim.

3) *Deum non esse subditum legibus naturae.* Nam Deum agere non posse nisi per naturam, potentiam naturae esse potentiam Dei: in eo dumtaxat systemate subsistit, quo falso statuitur, naturam esse Deum. Neque vero hinc argui potest, leges naturae non esse bonas et perfectas. Deus enim miracula non patrat, ut infirmitati naturae succurat, aut eam corrigat, quasi quaedam male, aut improvide essent constituta, quae emendatione egerent: sed habet Deus fines alios majestate ac sapientia sua infinita dignissimos; finalis namque causa miraculi non in ordine physico, sed in altiori providentiae ordine continetur; miraculum quippe praecipue eo tendit, ut ipso tamquam signo et testimonio divino aliquid a Deo hominibus manifestetur. Hinc nil mirum est, si ad cognitionem de Deo naturae intellectuali praebendam fiat aliqua mutatio in natura corporali, quum omnes creaturae corporales ad naturam intellectualem ordinentur, quodammodo sicut in finem.

4) *Leges naturales bene cognitas interrumpi non posse per effectus ex aliis legibus naturalibus incognitis ortos.* Incertae enim essent et instabiles res omnes, ad vitam et mores hominum quam proxime

pertinentes, si fieri posset, ut cognitum semel naturae ordinem aliae ignotae leges interturbarent.

83. Ex dictis jam per se patet, nullius esse momenti, quae ab adversariis, praecipue a Spinoza, Vegscheider et Strauss contra miracula proferuntur, ac si haec cum immutabilitate, sapientia ac reliquis Dei perfectionibus componi nullatenus possent. Et sane neque ex parte Dei, neque ex parte ipsius naturae quidquam prohibet, quominus leges particulares aliquando mutentur: non ex parte Dei; nam Deus, quum leges naturae liberrime statuisset, illas eadem voluntate, qua constituit, quoties ordo providentiae id expostulat, mutare aut suspendere potest. Neque idcirco mutari Deus dicendus est. Nam Deus ab aeterno praevidit et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo constituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum quandoque facturus esset. Neque ex parte creaturae; nam, quoniam omnes res a Deo creatae sunt, ab eoque conservantur et reguntur, non repugnat, imo consentaneum eis est, ad nutum Deo obedire. Atqui, quum leges mundi ob immediatam sensibilemque actionem Dei mutantur, res creatae nonnisi nutui Dei ipsas creantis, conservantis et gubernantis obediunt. Ergo ex parte naturae non repugnat leges ejus aliquando mutari.

84. Quum leges naturae per miracula mutari dicuntur, putandum non est, miraculo laedi ullam legem generalem naturae, sed dumtaxat suspendi ejus effectum relate ad aliquam rem particularem. Quando Deus agit contra cursum naturae, non tollitur totus ordo universi, sed cursus, qui est ex ordine unius rei particularis ad aliam. Re sane vera, Deus miracula patrat, vel quod effectum alicujus causae impedit, vel quod in natura aliquem effectum sensibilem per se et immediate producit. Nam Deus, quum alterutrum praestat, certe causis naturalibus vim producendi effectus suos non adimit, nec leges, secundum quas suos effectus producunt, destruit. Ita quod ad primum attinet, si Deus efficit actione sua, ut corpus, quod, ob legem gravitatis, deorsum tendit, in aere suspendatur, certe legem gravitatis non destruit, quia corpus secundum legem gravitatis, si a vi majori impediatur, ad centrum non pervenit. Qua in re miraculum in eo conspicitur, quod impedimentum descensui gravis corporis a nulla causa creata, sed a Dei immediata actione ponitur. Quod vero ad alterum spectat, quum Deus mortuum ad vitam revocat, destruitne legem naturalem, qua vivens a vivente generatur?

nequaquam, sed tantum animam cum corpore, a quo sejuncta erat, rursus conjungens, corpori mortuo principium vitae largitur. Unde quum Deus mortuum exsuscitat, nec legem ad generationem viventium destruit, nec vivens producit sine principiis, ex quibus vita statutam destruit, nec vivens producit sine principiis, ex quibus vita constituitur. Quae quum ita sint, miracula proprie contra naturam nulla sunt. Omnes enim creaturae comparantur ad Deum sicut artificiata ad artificem; unde tota natura est sicut quoddam artificiatum divinae artis. Non est autem contra rationem artificii, si artifex aliquid aliter operetur in suo artificio etiam postquam ei primam formam dedit. Neque ergo est contra naturam, si Deus in rebus naturalibus aliquid operetur aliter, quam consuetus cursus naturae habet. „Quomodo est contra naturam, quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti utique conditoris, conditae cujusque rei natura sit? Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam nota est natura“ (S. Aug. de civ. Dei l. 12. c. 8). Hinc, quum in miraculorum divisione miracula, quae contra naturam fiunt, secundum apologetas christianae religionis, numeravimus, id de naturis particularibus intelligendum est. Etsi enim miracula reipsa non sint contra naturam, tamen quodammodo dici possunt contra naturam, quia sunt iis contraria, quae in rerum natura inveniri quotidie experimur. (Sanseverino cosm. c. VI. art. V.)

85. Licet vero haec ita sint, per possibilitatem tamen miraculorum nullatenus leges naturae nutantes aut incertas reddi, experientia docet; illi enim, qui miraculorum possibilitatem defendunt, certas nihilominus naturae leges agnoscunt. Neque ideo ratio ignava redditur, sed potius excitatur ad naturae leges viresque investigandas, quum numquam liceat confugere ad causalitatem immediate divinam, nisi constet, effectum certis exploratisque naturae legibus repugnare, atque in illo naturae vires certo superari.

86. Instant utique Spinoza, Kant et Vegscheider, multos eventus fuisse, qui olim supernaturales haberentur, postmodum vero, rerum naturalium scientia diligenter excultâ, ex causis naturalibus recte explicarentur; ac proinde prudenti indagatori convenire, ut, ubi alicujus eventus causas naturales non invenerit, earum declarationem a tempore futuro potius exspectet, quam miracula fingat. Ast perperam id ab adversariis exspectatur. Quamvis enim multa nobis sint in rerum natura incognita, plura tamen etiam ex constanti sensuum relatione omnium temporum et locorum experientia tam certa sunt, ut absque omni erroris periculo pronuntiari possit, effectum his legibus

contrarium omnes naturae creatae vires excedere. Nam quum idem non possit simul esse et non esse, sequitur, praeter ordinem naturae fieri quidquid cognitis et uniformibus naturae legibus adversatur. Ita resuscitationem alicujus ex mortuis, vel aquae in vinum commutationem ad verbum hominis, demonstrare possumus, ex viribus naturae non posse provenire, quia inter haec et verbum hominis nulla est proportio causalis; ergo vel datur effectus sine causa, vel tam insignis effectus causalitas est in Deo reponenda. Et cum leges naturae sint constantes et uniformes, numquam erit tempus, ad quamcunque perfectionem scientiae perveniant, quo demonstrari nequeat, hos vel illos casus non a natura, sed ab immediata tantum Dei causalitate provenire posse. Sic etsi nesciamus, quid naturae vires medicae et vitales efficere queant, hoc tamen necessario scimus, eas praestare non posse, ut mortuum, cujus corruptionem lethifer foetor annunciat, ad vitam revocent; secus enim non haberemus jus quemquam mortuum sepeliendi. Nemo autem potest talem effectum occultis naturae viribus adscribere, quum hoc pacto cognitis naturae legibus, de quibus certitudinem physicam in summo gradu habemus, contradiceret, quumque non possint in rerum natura leges contradictoriae existere.

87. Objicere quis cum Strauss posset, miracula esse contra constantem experientiam; ast frustra. Nam naturae leges constituit et firmavit Deus, non experientia. Experientia utique docet, eventus mundi ordinarie secundum certas leges consequi, non autem docet, id fieri continuo et universaliter absque ulla exceptione. Quaecunque sit ista experientia, tamen nonnisi physicam certitudinem parere potest, haec autem miraculum non excludit. Dum dicitur, nos certos esse, rem juxta constantes naturae leges eventuram, semper intelligitur: nisi Deus velit ex speciali providentia a se constitutum rerum ordinem interpellare. Quum enim Deus hoc possit, hoc solum probandum est, an etiam voluerit; quod si praestitum fuerit, infirma sunt argumenta ex communi naturae ordine desumpta. Ceterum notandum est, ut supra jam commemoravimus, miraculis leges naturales non tolli, non immutari, nec vim inferri naturae. Cursus enim rerum naturalis stabilis et fixus permanet, quando Deus praeter communem ordinem effectum aliquem immediate per suam omnipotentiam producit.

88. In vanum urget Strauss, miracula non posse esse medium veram revelationem a falsa discernendi, eo quod nullus populus sit, qui non miracula quaedam jactet in religionis suae confirmationem

patrata. Argumentum enim hoc evidenter probat, omnes populos in hac semper persuasione fuisse, quod miraculum sit invictum veritatis argumentum. Igitur falsa et ficta miracula veris fidem non detrahunt, sed adaugent potius; nisi enim vera facta fuissent miracula, numquam falsa contingi aut credi potuissent. Ex eo quod philosophi, quum varias oppositasque sententias defendunt, atque omnes sibi evidentiam vindicant, merito concluditur, evidentiam esse tutissimam veritatis regulam. Verum sicut philosophorum non pauci fallacem evidentiae umbram pro re ipsa amplectuntur, et eorum error verae evidentiae nocere non potest; ita falsarum religionum cultores falsis miraculis gloriantur; eorum tamen error verorum miraculorum vim elidere non potest. Dixi falsarum religionum cultores falsis miraculis gloriari, quippe quod vel historica talium factorum veritas, vel eorumdem ad falsum confirmandum patratio, vel utrumque desideretur, vel vero sint meri effectus naturales.

89. Adversarii demum praeeunte Rousseau ex Deut. c. XIII. volunt demonstrare, probationem verae religionis per miracula esse inutilem, cum Deus ipse jubeat divinitatem miraculorum probare ex doctrina, in cujus probationem ea fiunt, quod sine vitio circuli intelligi non potest; ast irrito conatu. Nam discernendum est inter doctrinam jam propalatam et admissam ceu vere divinam, ac inter doctrinam, quae tamquam divina primum venditatur; haec si priori contradicat, praetenso licet prodigio firmata, ex ipsamet hac contradictione prodigii falsitas manifestatur. Atque hic est casus, quo innuunt sacrae paginae, miracula, ut sint vera, ex doctrina probanda esse. Si vero posterior non contradicat priori doctrinae, illa pariter, ut haec, poterat esse vera et divina; sed unde hoc certo rescias? juxta sententiam Nicodemi ex miraculo eandem confirmante: *scimus, quia a Deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* (Joa. III. 2). Nullus ergo vitiosus hic circulus est, ubi doctrinae veritas probatur per miracula. (Theol. Wirceb. tom. I. de rel. sect. III.)

Articulus XI.

Prophetia est praedictio certa eventus futuri, qui ex naturalibus causis praevideri non potuit.

90. Alterum testimonium divinum, quo Deus revelationis divinitatem demonstrat, sunt phaenomena in mente humana edita, quae ad omniscientiam divinam referuntur et prophetiae dicuntur. Est autem juxta vocis etymon prophetia praedictio; derivatur enim pro-

phetia ex verbo φημί hoc est d i c o, et praepositione πρό quasi p r a e-d i c o. — Prophetia itaque pertinet ad cognitionem rei futurae. Porro res futura potest esse ignota vel uni et non alteri, vel potest ignorari ab omnibus hominibus. Porro quae omnium hominum cognitionem excedunt, vel excedunt non quia secundum se non sint cognoscibilia, sed propter defectum cognitionis humanae, vel quia in se ipsis non sunt cognoscibilia, ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata. Prophetiam proprie dictam constituit praedictio rei futurae contingentis, quae in seipsa a nulla creatura cognosci potest. Hinc prophetia, in stricto sensu sumpta, *est praedictio certa alicujus futuri eventus, qui ex naturalibus causis praevideri non potuit.* Dicitur 1) *praedictio certa*, ut excludantur conjecturae mere probabiles, aut praedictiones temerariae absque rei praescientia factae, et quas casu quandoque veras esse contingit. — 2) *Eventus futuri*, ut distinguatur a rerum praeteritarum vel praesentium abditarum duntaxat manifestatione. — 3) *Qui ex naturalibus causis praevideri non potuit*, ut distinguatur ab illa futurorum notitia, quae in perspecta causarum secundarum connexione nititur, quales sunt praesagitiones physicorum, medicorum, aut politicorum, saepe probabiles, aliquando etiam certae.

Sensu latiori prophetiae vox multa et varia significat non profanis tantum, sed et sacris auctoribus. Sic et praeteritorum et praesentium datur prophetia (Matth. XXVI. 68. IV. Reg. V.) Sumitur etiam pro patratione miraculorum (Eccl. XLVIII. 14.); non raro cantorem sacrum denominat, aut hominem rerum divinarum meditationi et praedicationi addictum: inde illae prophetarum scholae, illi prophetarum greges aut cunei, de quibus scripturae saepius. Igitur quando legimus (I. Reg. X), Sauli obvium factum esse cuneum prophetarum, eundemque Saulem accessisse ad eos et prophetasse in medio eorum, certum est, chorum notari psallentium et saltantium hominum, quos quum viderent Saul et socii ejus, afflatu divino ita sunt permoti, ut ipsos quoque cantare laudes Dei et psallere animus coegerit et spiritus docuerit. Quinimo prophetiae nomen attributum legimus non tantum falsis prophetis (Ezech. XIV.), sed et poëtis ethnicis (ad Tit. I. 12.), et hominibus furentibus et mente captis (I. Reg. XVIII. 10).

91. Sicut miraculorum, ita et prophetiarum possibilitas distingui debet duplex: objectiva, quae asserit, Deum nobis res liberas et contingentes futuras praedicere posse; et subjectiva, quae nos de facta prophetia historice, philosophice, et relative certos fieri posse affirmat. Utraque jam probanda venit.

92. Objectiva prophetiarum possibilitas manifesta est *a)* e x p a r t e D e i, qui utpote omniscius, omnes eventus etiam futuros liberos et contingentes clarissime ac certissime novit. Quum enim ipse tempori non sit subjectus, ideo coram illo neque praeteritum neque fu-

turum datur, sed ipsi omnia praesentia sunt. Quare ipse res futuras eodem modo ut praesentes et praeteritas intuetur; porro pro sua omnipotentia easdem nobis manifestare potest. *b)* Ex parte hominis quoque, quippe qui cognoscendi facultate praeditus hujusmodi notitias percipere potest.

93. Ut ex prophetia pro divinitate alicujus doctrinae seu pro existentia divinae revelationis argumentum certum desumatur, necesse est, ut cognoscamus 1) prophetiam ante eventum prolatam fuisse; 2) nullo ingenio humano seu finito sine Dei concursu eventum praevideri potuisse; 3) eventum cum omnibus suis circumstantiis prophetiae exacte respondisse; et 4) prophetiam cum doctrina proposita talem relationem habere, ut in illius confirmationem prolata fuerit. Sed haec omnia cognoscere certo et tuto possumus, atque ideo admittenda est prophetiarum possibilitas subjectiva.

94. Et profecto quod 1) et 3) punctum attinet, evidens est, tam praedictionem, quae profertur, quam eventum, qui suo tempore contingit, esse facta, de quorum veritate sicut de ceteris factis certi esse possumus. Nam prophetias vere prolatas esse, homines ea perspicuitate et certitudine cognoscere possunt, ut ad acquiescendum iis impellantur: praesentes quidem per experentiam legitimam, si ex ore prophetae praedictionem audiant et eventum propriis oculis cernant; posteri vero ex authentico testimonio de data praedictione et eventu secuto.

95. Ratio dignoscere quoque potest, prophetiam a nulla naturali causa praevideri potuisse eamque ab immediata causalitate Dei profectam esse. Nam quamvis non possimus per judicium positivum determinare, quousque vires humanae circa conjecturas de futuris se extendant; possumus tamen per judicium negativum certo determinare, quousque se extendere nullo modo valeant, ita ut necessario ad causalitatem divinam concludendum sit. Manifestum namque est, menti, ut aliquid cognoscere possit, hoc ipsum debere esse aliquo modo praesens, quod de futuris liberis, nisi revelentur, pro mente humana non valet; nam futura libera eo ipso, quod libera sunt, antequam fiant, neque in se, neque in causa existunt, ac proinde a mente humana nec cognosci possunt. Sic v. g. licet humana ratio circa actiones humanas liberas ex cognita hominis indole, educatione, passionibus etc. nonnulla praevidere possit, evidens tamen est, numquam futurum esse, ut ea illius hominis totam vitam praedicat, qui nondum existit et cujus proinde nec indoles, nec educatio nec passiones cognoscuntur.

96. Nexus denique prophetiae cum doctrina promulgata vario modo cognosci potest. Vel enim doctrinae praeco ipse prophetias profert, et has in testimonium adducit, ut ostendat se legatum divinum; vel doctrinae praeco prophetias jam longe antea prolatas, in quibus legatus divinus praenuntiatur ejusque notae et characteres describuntur, adamussim adimplet. In utroque casu dubium superesse nequit, Deum per prophetias velle revelationem suam hominibus ostendere et confirmare.

97. Prophetia, licet non possit non adimpleri, libertatem tamen hominis non tollit. Non enim evenit, quia praevisa et praedicta, sed ideo praevisa et praedicta est res aliqua, quia futura; ideoque si aliqua necessitas est in ejusmodi praedictionibus, non est nisi consequens et hypothetica; logice enim prius est aliquid esse, quam videri ac proinde manifestari. (Theol. fund. Alb. a Buls. theol. gen. p. I. sect. II. art. II. Lieb. dem. rel. chr. p. I. c. II. art. III.)

Articulus XII.

Prophetia, quae ex divina revelatione tantum esse potest, divinum quoddam divinae praescientiae signum est, cui non potest subesse falsum.

98. Res futuras contingentes nonnisi ex divina revelatione cognosci posse, manifestum est. Quae enim contingenter futura sunt, dependent vel a liberis Dei decretis vel a liberis hominum determinationibus. Primi generis futura non posse naturalibus viribus cognosci, per se evidens est. Quod vero attinet secundi generis futura, neque ea aliter quam ex divina revelatione cognosci posse, patet ex sequentibus. Omnis enim factorum cognitio naturalis ad duplicem modum tandem reducitur. Res praesentes per intuitionem cognoscere possumus, res vero futuras per conclusionem illatam ex cognitis rerum causis naturalibus, ita ut sine notionibus praemisis quaelibet cognitio futura impossibilis evadat. Atqui futura contingentia et libera, de quibus hic unice sermo est, nullas habent notiones praemissas, quum neque in se, neque in suis causis conscientiae ullo modo obversentur. Nulla ergo ratione possunt naturali modo cognosci.

99. Idem alio modo probatur. Solus Deus est causa efficiens prophetiae stricte sumptae. Solus enim Deus potest esse causa efficiens illius cognitionis, quae omnem creatae intelligentiae vim superat. Talis autem cognitio est prophetia stricte sumpta. Nam prophetia stricte sumpta est infallibilis praedictio rei futurae, quae in sua causa cognosci non potest, qualis est v. g. effectus praeter na-

… virtute producendus, vel quales turae ordinem divina et supernaturali virtute producendus, vel quales sunt res omnino contingentes, quae ab hominum nondum existentium libera determinatione, imo ex innumerabilium voluntatum consensione earundemque cum infinita serie causarum physicarum conjunctione dependent. Atqui res ejusmodi is solus praevidere potest, qui rerum omnium ordinem tum physicum tum moralem ipse constituit, cui cogitationes hominum et consilia omnia nota sunt ab aeterno. Et ideo talis praecognitio futurorum non potest esse a natura, sed solum ex revelatione divina.

100. Ex praecedentibus sua sponte sequitur, prophetiam esse certum divinae revelationis argumentum, quia, quum solus Deus illius sit causa, error, si quis interveniret, in ipsum Deum tamquam illius causam refunderetur. Et re quidem vera prophetia est quaedam cognitio intellectui prophetae impressa ex revelatione divina per modum cujusdam doctrinae. Veritas autem cognitionis est eadem in discipulo et in docente; quia cognitio addiscentis est quoddam signum divinae praescientiae. Oportet igitur eandem esse veritatem propheticae cognitionis divinae, cui non potest subesse falsum. Unde prophetiae non postest subesse falsum.

101. Merito igitur in scripturis rerum futurarum cognitio et praedictio tamquam proprius veri Dei character praedicatur. Sic Isa. XLI. 23 dicitur: *Anuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dei estis vos.* Et cap. XLVI. 9. 10. „*Recordamini, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei annuntians ab exordio novissimum, et ab initio, quae necdum facta sunt*“. Econtra prophetiae falsitas nulla re certius intelligitur, quam si res praedicta non evenerit, vel si prophetia auctoritate miraculorum elidatur, aut doctrinae adversetur, cujus veritas ex ratione aut ex praecedente revelatione certa est, quum Deus, prophetiae et miraculi solus auctor, sibi contradicere non possit.

102. Hinc daemones licet cognoscant quaedam sua naturali cognitione, quae quidem remota esse possunt ab hominum cognitione, eaque deinde possint hominibus revelare, futura tamen in seipsis cognoscere non possunt. Neque daemonibus in liberum hominis arbitrium attribui potest tale dominium, ut pro libitu hominem ad agendum determinare, et sic praedictiones suas verificare valeant; id enim fini a Deo homini praestituto e diametro opponitur, et sensui intimo contradicit, qui nobis testis est, nos semper liberos esse. Futura itaque in seipsis libera et contingentia relate ad daemones nondum

existunt; ex alia parte daemones pro libitu hominis arbitrium cogere nullatenus valent; nec, utpote spiritus mali, visione Dei gaudent, per quam futura cognoscerent; ergo, quaecunque sit daemonum perspicacia, libere et contingenter futura ab ipsis praevideri et praenuntiari haud possunt. Unde illi, quibus aliquid per daemones revelatur, non dicuntur in scripturis prophetae simpliciter, sed cum aliqua additione, puta prophetae falsi, vel prophetae idolorum.

103. Notandum est, falsos prophetas sic dici non solum quia aliquid falsi praenuntiant, verum etiam et praesertim quia in suis sive praedictionibus, sive doctrinis animas perdere intendunt. Daemon enim, qui intendit perditionem hominum, ex hujusmodi suis responsis, etiamsi aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quod ei credatur, et sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanae nocivum. Unde Athanasius, exponens illud quod habetur (Luc. IV.): Increpavit illum, dicens: Obmutesce, dicit . . : Quamvis vera fateretur daemon, compescebat tamen Christus ejus sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget: ut nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, etsi vera loqui videatur. Nefas enim est, ut, quum adsit nobis scriptura divina, a diabolo instruamur. (S. Thom. II. II. q. XCV. art. IV.)

104. Hinc licet prophetia per se possit esse sine charitate, quum ad intellectum spectans ad proximorum salutem, non autem propriam sit a Deo hominibus infusa, merito tamen falsitatis suspicionem incurrunt vaticinia: *a*) quae ab improbis hominibus eduntur, nisi pateat, Deum rem ita singulari providentia disposuisse, ut ex inimicorum ore splendidius veritati testimonium prodeat: *b*) quae ambigua sunt et aequivoca; *c*) si prophetae, quum vaticinia sua enuntiant, usu libertatis et rationis destituuntur.

105. Prophetia primo et principaliter in cognitione consistit, secundario autem in locutione, quia prohetae ea, quae divinitus edocti cognoscunt, ad aedificationem aliorum annuntiant. Ea autem, quae supra humanam cognitionem divinitus revelantur, non possunt confirmari ratione humana, quam excedunt secundum operationem virtutis divinae. Unde ad prophetiam pertinet operatio miraculorum quasi confirmatio quaedam propheticae enuntiationis. Hinc prophetia, sine miraculis, longo post tempore effectu complenda, *per se* non potest esse veritatis argumentum iis, qui prophetae tempore vivunt, sed iis, qui eventum vident. Attamen quum prophetae semper res etiam proxime futuras praedicere soleant, ut priorum prophetiarum

eventus conciliet fidem posterioribus, possunt illi quoque, qui prophetae tempore vivunt, adduci, ut veritatem ab ipso propositam credant. (Alb. a Buls. theol. gen. p. I. sect. II. art. II. Lieb. dem. chr. p. I. c. c. II. art. III.)

106. Prophetiae et miracula sunt certissima argumenta religionis a Deo vere revelatae non tantum respectu eorum, quorum tempore et coram quibus apparuerunt, sed omni tempore et respectu posterorum etiam, qui ea sciunt et cognoscunt. Veritas enim est constans et immutabilis, et si in falsitatem aliquando abire posset, jam quid verum, quid falsum sit, non amplius scire possemus. Vis probandi, datam esse vere religionem revelatam, quae prophetiis et miraculis inest, non aliunde est, quam quod sint testimonia Dei. Sed testimonia Dei semper et omni tempore vera et eadem sunt. Ergo pro omni tempore vim probandi habeant necesse est.

Hinc religio revelata, quae miraculis et prophetiis fulcita est, acceptanda est: isti enim characteres sunt indagandae revelationis completa et perfecta criteria, quae ratio post rectum examen sistit, atque iis parere nolle tantumdem foret ac ipsimet rationi sanae insultare, regulasquae recte cogitandi proculcare velle; ex altera autem parte ipsa sunt Dei testimonia, quibus immediatam suam operationem prodit. Auctoritati vero divinae absqe insano furore nemo refragatur. Oportet igitur nos religionem revelatam sincero veritatis studio indagare et compertam prompte amplecti: qui enim vinci a veritate nolunt, ab errore vincuntur. (Fej. de ver. rel. sert. II. §. 51.)

107. *Scholion.* Ut thesis magis confirmetur et adversariorum argumenta solide solvantur, animadvertenda sunt sequentia:

Praescientia divina respicit futura secundum duo: primo secundum quod sunt in seipsis, in quantum scilicet ipsa praesentialiter intuetur; deinde secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamvis contingentia futura, prout sunt in seipsis, sint determinata ad unum, tamen, prout sunt in suis causis, non sunt determinata ad unum, ita ut non possint aliter evenire. Et quamvis ista duplex cognitio semper in intellectu divino conjungatur, non tamen conjungitur semper in revelatione prophetica, quia impressio agentis non semper adaequat ejus virtutem. Unde quandoque revelatio prophetica est impressa quaedam similitudo divinae praescientiae, prout respicit ipsa futura contingentia in se ipsis: et talia sic eveniunt sicut prophetantur; sicut illud (Isaiae VII. 14.): „Ecce virgo concipiet.“ Quandoque vero prophetica revelatio est impressa similitudo praescientiae divinae, prout cognoscit ordinem causarum ad effectus: et tunc quandoque aliter evenit, quam prophetatur; nec tamen prophetiae subest falsum; nam sensus prophetiae est quod inferiorum causarum dispositio sive naturalium sive humanorum actuum, hoc habet, ut talis effectus eveniat. Et secundum hoc intelligitur verbum (Isaiae XXXVIII. 1) ad Ezechiam dicentis: „*Morieris, et non vives*“ (licet additi sint vitae Ezechiae postea quindecim anni); id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur, et quod dicitur (Jonae III. 4.): „*Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*“; id est, hoc merita ejus exigunt, ut subvertatur. Prophetiae igitur hujusmodi sunt conditionales; verborum enim Jonae sensus erat: Ninivem esse subvertendam, nisi poenitentiam ageret, atque ita Deum placaret. (S. Thom, II. II. q. 171. art. VI.)

108. Duplex nunc solvenda est difficultas, quam adversarii contra thesim praecipue proferunt: de ethnicorum oraculis et de sibyllarum carminibus. Primam difficultatem sic proponunt. Etiam pagani sua habuerunt vaticinia; nemo enim nescit celebratissima fuisse pluribus in locis oracula, quibus effectus futuri annuntiabantur. Ergo prophetiae non sunt certum veritatis argumentum.

109. *Resp.* Illa oracula non erant verae prophetiae, quales ad probandam veritatem requiruntur, sed erant vel fraudis vel daemonis opus. Plurima ex oraculis humanis artibus esse adscribenda, facile probatur.

1) Oracula edebantur in regionibus montanis, in antris et speluncis, in quibus omnia ad fraudem composita erant. Modus ea edendi diversus quidem erat, sed ita semper comparatus, ut abesse nullibi possit fraudis suspicio: vel enim per furores fatidicos dabantur, qui facile fingi poterant, vel per sortes, quas versabant, et pro libitu interpretabantur sacerdotes; vel per statuas cavas parietibus applicatas, ex quibus sacerdotes responsa dabant; vel per schedulas obsignatas, in quibus suas quaestiones scripserunt consultores.

2) Non raro etiam detectae sunt sacerdotum nefariae fraudes, (Dan. c. XIV.) imprimis cum diruta sunt paganorum templa tempore Constantini Magni. Ipse Herodotus decipiendi artes ejusmodi plurimas refert. Idem cum aliis pluribus ipsoque Plutarcho testatur, sacerdotes ad edenda oracula mercede conductos fuisse. Hinc illud Demosthenis: pythonissa philippizat. Adde ejusmodi oracula saepe exitum non habuisse, plerumque autem fuisse ambigua et ad omnem eventum temperata.

110. Non omnia tamen paganorum oracula humanis artibus sunt adscribenda; plura etiam a daemonibus edita sunt. Apostolus (Act. Ap. c. XVI.) ex puella, quae spiritum pythonis habebat, daemonem ejecit. Et S. Cyprianus, (in libr. de vanitate) sic habet: „Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus delitescunt, hi afflatu suo vatum pectora inspirant, oracula efficiunt.“ Porro nemo facile credet, omnia illa, quae historia de oraculis paganorum narrat, humana arte effici potuisse. Et si enim facultas praedicendi futura valde remota, aut quae praeter naturae ordinem contingere debent, sicut et cognitio certa futurorum contingentium et liberorum ad solum Deum pertineat, spectata tamen daemonum intelligentia, sagacitate, et natura mere spirituali negari non potest, eos multa scire, ideoque et vaticinari posse, quae hominum admirationem excitant. Possunt enim praedicere mala, quorum futuri sunt auctores; possunt ea, quae modo fiunt in alia remotissima regione, eodem quasi momento manifestare; possunt ex praesentibus sua sagacitate quaedam proxime futura conjicere. Verum cum eventus etiam proxime futuri ab hominum libera determinatione, et variarum rerum concursu dependeant, qui ex causis naturalibus certo praevideri non possunt; nihil certi daemones praedicere possunt. Ideo oracula cum de ejusmodi eventibus consulerentur, partim falsa erant, ut observat Cicero, partim casu vera, partim flexiloqua, et obscura, ut interpres eguisset interprete. (Lieb. dem. christ. p. I. c. II. art. III.)

111. Secundam difficultatem sic proferunt. Celeberrima semper fuerunt non apud gentiles tantum, sed etiam apud antiquos ecclesiae Patres sibyllarum carmina, quibus multa futura praedicuntur. Ergo vera erant apud paganos vaticinia.

112. *Resp.* 1) Quod oracula sibyllina attinet, ea jamdudum viluerunt eruditis; nam *a)* de sibyllarum origine, numero, vitae ratione, aut tempore quo floruerint, nihil certi dici potest. *b)* Ex historia notum est, antiquos sibyllarum libros, quos Romani tamquam sacros in Capitolio servabant, 76 ante Christum annis sub Sulla flammis fuisse consumptos. Missi sunt quidem a senatu Romano legati in Asiam, Africam, Siciliam etc., qui ea, quae tunc ferebantur sibyllina carmina, colligerent; at hujus collectionis apud Romanorum doctissimos numquam magna fuit auctoritas; neque ex illa quidquam ad nos pervenit, praeter fragmenta, quae apud Plutarchum aliosque scriptores reperiuntur. Quod vero attinet collectionem illam sibyllinorum carminum, octo libris contentam, quae in

bibliotheca Patrum reperitur; nemo jam dubitat, illam in multis partibus, imo ferme totam commentitiam.

Resp. 2. Etiamsi admitteretur carminum illorum authenticitas, nihil exinde contra nostram de prophetiis doctrinam inferri posset. Nihil enim in illis praesidii reperit pagana superstitio, cum econtra multa contineant antiquae traditionis monumenta, multa de Christo ejusque religione vaticinia. Ideo libenter et cum laude sibyllarum oracula citarunt plures ex SS. PP. quod iis magis confirmari viderent religionem, quam infirmari. (Lieb. dem. christ. p. I. c. II. art. III).

Quod attinet ad veteres sibyllas earumque carmina, omnia involucris teguntur. D. Pierre Petit (in erudita diss. de sib.) eas ad unam reducit eamque opinatur vocatam fuisse Delphicam, Erythraeam, Cimmerianam, Cumanam, Samiam, Hellespontiacam, Lybicam, Persicam, Phrygiam, Tiburtinam, a diversis locis, in quibus commorata est. Existimat, ipsam fuisse graecam, eo quod oracula omnia graece scripta sint, Erythraeae Asiae urbis natam, Hierophilem nuncupatam, demum Cumis in Italia obiisse. Alii Varonem secuti sunt, qui decem eas numerat. Ceterum inter has decem Cumana est celebrior. Tres ex ea libros Tarquinius magno pretio emit, quos lapideae capsulae inclusos in Capitolio reposuit. Hi libri consulebantur a Romanis, quoties graviora impendebant reipublicae discrimina. 76 vero annis ante Christum Capitolio sub Sulla conflagrato, senatus romanus in Asiam et Graeciam legatos misit ad colligenda quotquot sibyllina oracula reperire potuissent. Hi legati mille versus propheticos existimatos Romam attulerunt, qui denuo in Capitolio reaedificato collocati sunt; et sic ratio redditur de carminibus sibyllae Cumanae a Virgilio recensitis, quum teste Tacito (hist. lib. V. c. 13) et Suetonio (libr. II. c. 14) Oriente toto pervulgata opinio seu potius traditio fuerit de magno Rege ex Judaea profecturo, qui rerum potiretur, quae inter sibyllina carmina relata est, cujus meminit Virgilius. (Perrone de vera rel. c. III. art. II. §. 2. in nota ad diff. ex ethn. vat.)

Articulus XIII.

Prophetis revelatio fit nonnumquam quidem per solam divini luminis influentiam, nonnumquam vero per species de novo impressas, seu aliter ordinatas.

113. Quum modus, quo prophetae veritates revelatas cognoverunt, multam lucem afferat ad prophetiarum intelligentiam, subnectimus hac de re theoriam a S. Thoma propositam (II. II. q. 173.). Imprimis certe prophetae non vident ipsam Dei essentiam, alioquin forent impeccabiles & beatitudine aeterna fruerentur, quod eorum statui repugnat. Quae itaque prophetae cognoscunt, non divinam essentiam intuentes apprehendunt, sed cognoscunt nonnumquam per solam divini luminis influentiam, nonnumquam vero per species a Deo sive de novo impressas sive aliter ordinatas.

Et sane cognitio prophetica maxime ad mentem pertinet. Circa cognitionem autem humanae mentis duo oportet considerare, scilicet *acceptionem sive repraesentationem* rerum et *judicium* de rebus repraesentatis. Quando autem repraesentantur menti humanae res aliquae secundum aliquas species & secundum naturae ordinem, primo oportet quod species repraesententur *sensui*, secundo *imaginationi*, tertio *intellectui possibili*, qui immutatur a speciebus phantasmatum secundum illustrationem intellectus agentis. In imaginatione autem non solum sunt formae rerum sensibilium, secundum quod accipiuntur a sensu, sed transmutantur diversimode, vel propter aliquam transmutationem corporalem (sicut accidit in dormientibus & furiosis) vel etiam secundum imperium rationis disponuntur phantasmata in ordine ad id, quod est intelligendum. Sicut enim ex diversa ordinatione earundem litterarum accipiuntur diversi intellectus; ita etiam secundum diversam dispositionem phantasmatum resultant in intellectu diversae species intelligibiles. *Judicium* autem humanae mentis fit secundum vim intellectualis luminis.

114. Per donum autem prophetiae confertur aliquid humanae menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem, quantum ad utrumque; scilicet et quantum ad *judicium* per influxum luminis intellectualis, et quantum ad *acceptionem seu repraesentationem* rerum, quae fit per aliquas species. Et quantum ad hoc secundum potest assimilari doctrina humana revelationi propheticae, non autem quantum ad primum. Homo enim suo discipulo repraesentat aliquas res per signa locutionum, non autem potest interius illuminare, sicut facit Deus. Horum autem duorum principalius est primum in prophetia, quia judicium est completivum cognitionis. Et ideo si cui fiat divinitus repraesentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias (ut Pharaoni & Nabuchodonosor), aut etiam per similitudines corporales (ut Balthasar), non est talis censendus propheta, nisi illuminetur ejus mens ad *judicandum*. Erit autem propheta, si solummodo intellectus ejus illuminetur ad *judicandum* etiam ea, quae ab aliis imaginarie visa sunt, ut patet de Joseph, qui exposuit somnium Pharaonis. Sed maxime propheta est, qui utroque praecellit, ut scilicet *videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines et eas vivacitate mentis intelligat.*

115. Repraesentantur autem divinitus menti prophetae quandoque quidem mediante sensu exterius quaedam formae sensibiles, sicut Daniel vidit scripturam parietis, ut legitur (Dan. V), quandoque autem per formas imaginarias, sive omnino divinitus impressas, non per sensum acceptas (puta si cuipiam coeco nato imprimerentur in imaginatione colorum similitudines), vel etiam divinitus ordinatas ex his, quae a sensibus sunt acceptae, sicut Jeremias vidit ollam succensam a facie aquilonis, ut habetur (Jer. c. I.), per quam visionem divinitus sibi factam intellexit propheta praesignificari vastationem & exustionem Jerusalem; sive etiam imprimendo species intelligibiles ipsi menti, sicut patet de his, qui accipiunt scientiam, vel sapientiam infusam, sicut Salomon & apostoli. Lumen autem intelligibile quandoque quidem imprimitur menti humanae divinitus ad dijudicandum ea, quae ab aliis visa sunt; sicut dictum est supra de Joseph & sicut patet de apostolis, quibus Dominus aperuit sensum, ut intelligerent scripturas, ut dicitur (Luc. XXIV. 45); et ad hoc pertinet interpretatio sermonum; sive etiam ad dijudicandum secundum divinam veritatem ea, quae cursu naturali homo apprehendit; sive etiam ad dijudicandum veraciter & efficaciter ea, quae agenda sunt, secundum illud (Is. LXIII. 14.): *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* Sic igitur patet, quod prophetica revelatio quandoque quidem fit per solam luminis influentiam, quandoque autem etiam per species de novo impressas vel aliter ordinatas.

116. Animadvertendum est, in prophetia requiri, ut intentio mentis elevetur ad percipienda divina. Unde dicitur (Ezech. II. 1): *Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum.* Haec autem elevatio intentionis fit Spiritu sancto movente: unde ibidem subditur: *Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos.* Postquam autem intentio mentis elevata est ad superna, percipit divina: unde subditur ibidem: *Et audivi loquentem ad me.* Sic igitur ad prophetiam requiritur inspiratio quantum ad mentis elevationem, secundum illud (Job XXXII. 8): *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam;* revelatio autem quantum ad ipsam perceptionem divinorum, in quo perficitur prophetia, et per ipsam removetur obscuritatis et ignorantiae velamen, secundum illud (Job XII. 22): *Qui revelat profunda de tenebris.* (S. Thom. II. II. q. 171 art. I. ad IV.)

Quum prima veritas sit principium eorum, quae prophetice manifestantur, non prophetis omnia prophetabilia est necessarium nota esse, sed tantum, quae illis per divinam revelationem nota fiunt.

117. Visio prophetica non semper fit cum abstractione a sensibus, id est, ita ut propheta nihil per sensus externos percipiat. Ea enim visio prophetica, qua mens prophetae illustratur lumine intelli-

gibili, aut speciebus intelligibilibus formatur, non fit cum abstractione a sensibus, sed ea demum, quae, rapiente divina virtute, in somno vel contemplatione rerum divinarum per imaginarias formas efficitur. Ideo autem abstractio a sensibus requiritur, quando fit revelatio prophetica secundum formas imaginarias, ut talis apparitio phantasmatum non referatur ad ea, quae exterius sentiuntur.

Propheticum lumen non inest intellectui prophetae per modum formae permanentis, sed per modum impressionis transeuntis. Probatur hoc modo. Sicut manifestatio corporalis visionis fit per lumen corporale, ita etiam manifestatio visionis intellectualis fit per lumen intellectuale. Oportet ergo, quod manifestatio proportionetur suae causae. Quum ergo prophetia pertineat ad cognitionem, quae supra naturalem rationem existit, consequens est, quod ad prophetiam requiratur quoddam lumen intellectuale excedens lumen naturalis rationis. Lumen autem dupliciter alicui inesse potest: uno modo per modum formae permanentis sicut lumen corporale est in sole et in igne; alio modo per modum cujusdam passionis, sive impressionis transeuntis, sicut lumen est in aere Lumen autem propheticum non inest intellectui prophetae per modum formae permanentis: alias oporteret, quod semper prophetae adesset facultas prophetandi, quod patet esse falsum. Dicit enim Gregorius super Ezechielem (hom. 1. inter mod. & form.): „Aliquando prophetiae spiritus deest prophetis, nec semper eorum mentibus praesto est, quatenus quum hunc non habent, se hunc cognoscant ex dono habere, cum habent. Unde Elisaeus dixit de muliere Sunamitide (IV. Reg. IV. 27): Anima ejus in amaritudine est & Dominus celavit a me et non indicavit mihi". Et hujus ratio est, quia lumen intellectuale in aliquo existens per modum formae permanentis & perfectae perficit intellectum principaliter ad cognoscendum principium illorum, quae per illud lumen manifestantur. Principium autem eorum, quae ad supernaturalem cognitionem pertinent, quae per prophetiam manifestantur, est ipse Deus, qui per essentiam a prophetis non videtur. — Relinquitur ergo, quod lumen propheticum insit animae prophetae per modum impressionis transeuntis . . . . . Et inde est, quod sicut aer indiget semper nova illuminatione, ita etiam mens prophetae semper indiget nova revelatione, sicut discipulus, qui nondum est adeptus principia artis, indiget ut de singulis instruatur. Et hoc etiam ipse modus loquendi prophetarum designat, secundum quod dicitur quod *locutus est Dominus* ad talem vel talem prophetam; aut quod *factum est verbum Domini*, sive *manus Domini* super eum. (S. Th. II. II. q. CLXXI.)

—x—

Theologiae fundamentalis

Pars II.

De existentia divinae revelationis.

Caput I.

De religione patriarchali.

Articulus unicus.

Humanum genus numquam sine revelatione fuit.

118. Statuta tam religionis quam revelationis theoria, cognitaque utriusque necessitate, nihil nobis magis cordi asse debet, quam ut investigemus, num revelatio existat. Hanc autem inquisitionem suscipit secunda theologiae generalis pars, quae existentiam divinae revelationis probat.

119. Ex cognita revelationis necessitate et possibilitate non sequitur continuo ejus existentia; homini enim & non Deo necessaria dicitur. Et quum tantum beneficium Deus hominibus non debeat, ideo a liberrima Dei voluntate dependet, quam ratio sibi relicta cognoscere non valet. Dum enim inquiritur, num Deus aliqua hominibus extraordinario modo revelaverit; quaestio de *facto historico* movetur. Facta autem historica non ex solis rationis principiis, sed ex monumentis authenticis probari oportet.

120. Quanta porro diligentia tractatio ista suscipienda sit, apparet tum ex objecti dignitate, gravitate & necessitate, tum etiam ex conditione temporis praesentis, quum circa revelationis existentiam plurimae difficultates moventur et errores circumferuntur.

121. Ut autem tractio ista debito modo suscipiatur, ante omnia ipsa monumenta inquirenda & dijudicanda sunt, quae factam divinam revelationem contestantur. Monumenta autem haec sunt libri sacri tum veteris tum novi testamenti, de quibus probandum est, an genuini sint, integri & fide digni. Quum autem haec functio critica in studio biblico absolvatur, ideo in theologia generali hac elucubratione

supersedere, ac ss. libros tam veteris quam novi testamenti ceu authenticos, integros & fide dignos assummere, ex illisque tuto argumenta petere licet.

122. His itaque muniti documentis ad id, quod in tota hac tractatione praecipuum est, convertimur; ad ipsam scilicet causae defensionem seu ad probationem verae divinaeque revelationis. Potest autem ita proponi quaestio: *An ergo probari possit, vere factam esse a Deo revelationem?* seu: *An existat aliqua religio, aut jam exstiterit, quae sibi divinam originem jure vindicare possit?*

Respondemus, certo veram & a Deo revelatam esse christianam religionem, a Christo Jesu institutam & toto orbe diffusam; huic, quum nonnisi post plura annorum millia e coelis ad homines delata sit, praeivisse viamque praeparasse legem mosaicam, aut revelationem a Deo populo Judaico factam; hancque iterum ideo etiam fuisse institutam, ut revelationis primitivae sacras traditiones colligeret & conservaret, ne in communi hominum depravatione & inde secuta rerum divinarum ignorantia interirent.

123. Praeiverunt itaque revelationi christianae: *a)* revelatio primaeva, in patriarcharum familiis conservata, *b)* lex mosaica, ad Christum usque perdurans; *c)* vaticinia plurima, tum ante legem tum stante lege facta, quibus nova sanctiorque revelatio per Christum facienda annuntiabatur.

124. *Humanum genus numquam sine revelatione fuit.* Nam

1) Supponitur demonstrata auctoritas librorum veteris & novi testamenti. Atqui utriusque testamenti libri testantur, Deum fuisse cum primis hominibns conversatum, iisque benignissima sua in eos eorumque genus consilia patefecisse. Omne dubium tollunt, quae in Genesi passim leguntur, cujus libri omnes fere paginas transscribere necesse esset, si vellemus omnia hujus assertionis argumenta afferre.

2) Id ipsum probat & hominis conditio. Nam si supponimus homines primum in hoc terrarum orbe collocatos sine educatione, sine duce et magistro Deo; qua demum via potuerunt ad eam religionis notitiam pervenire, quam paulo post inter eos reperimus? certe hic aliquid intervenire debuit, cujus ope humanum genus hucusque penetraverit, quod sine revelationis medio explicari nequit.

3) Idem probatur ex sequentibus animadversionibus. Sane *a)* apud gentes communis erat persuasio, Deum olim inter homines versatum; religionem e coelo in terram allatam.

b) Magna semper fuit apud omnes populos antiquitatis auctoritas, et insita naturae erga illam reverentia; quippe quod persuasum omnibus erat, antiquitatem propius accedere ad Deum. „Antiquitas — ait Tullius — quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea, quae erant vera, cernebat". (Cic. Tusc. I. 12.)

c) Apud plures remotissimas gentes nullo inter se commercio conjunctas multa dogmata, plures ritus sacri reperiuntur, quae, quum non potuerint a ratione magistra proficisci, necessario communem aliquam et primaevam traditionem supponunt. Huc pertinent dogmata de mundi origine (Hesiodus in theogonia 'mundi), de homine ad imaginem Dei ex terra formato et animantibus cunctis praeposito (Ovidius l. I. metamorph.), de religione servandi sabbati (Homerus: septima sacra dies reserato illuxerat orbi), de diluvio, de arca Noe servatisque per eam animantibus, de turri Babylonica: veritates, quas demptis fabularum additamentis gentiles procul dubio ex revelatione vel scripta vel tradita didicerunt.

d) Sacrificium est institutio fundamentalis cujuslibet religionis. Porro praeter actus adorationis, gratiarum actionis, precum, invocationis, sacrificium praecipue in se complectitur necessitatem reconciliationis cum Deo et redemptionis a peccato: veritates, quae ex revelatione tantummodo cognosci et haereditari possunt.

e) Si homo sola ratione adjutus officiorum vitae et religionis summam conficere posset, quo factum est, ut, dum humana inventa parva primum et rudia, crescente humani generis cultura, crescant etiam et expoliantur; religio e contra eo purior apud omnes populos fuerit, quo propius ad communem fontem accederet, inversam ubique a philosophia et humanis scientiis viam secuta?

125. Si ad prima mundi tempora respiciamus, in monumentis genuinis, integris et fide dignis, i. e. in libris Moysis invenimus, primos jam homines eorumque posteros proxime subsequentes verum Deum non solum agnovisse, sed etiam interne et externe coluisse, ideoque religionis expertes non fuisse, licet lex scripta non adesset. Quod si religionem hanc patriarharum, qui ab Adamo usque ad Moysen floruerunt, propius consideremus, solide persuademur, illius auctorem Deum ipsum fuisse non solum per rationem, sed etiam modo prorsus extraordinario illorum temporum homines instruere dignatum esse. Ad probationem nostram opus non est patriarcharum historiam in specie enarrare, quae aliunde nota est.

126. Si religio patriarchalis examinetur, est quidem ea tenuis et simplex, prout primaevae illi aetati simplici, quae curandis vitae necessitatibus maxime occupatae convenit; sed nil in ea occurrit, quod vel rectae rationi adversetur, vel conceptibus de Deo, religione, aut homine contrarium sit, vel inter se pugnet. Omnia potius ceu bona et sancta per rationem approbantur, ac prima omnis religionis fundamenta constituunt, quibus Moyses et Christus superstruunt.

127. Quod si comparatio instituatur cum iis, quae de Deo, rebusque divinis alii senserunt, absque dubio religio patriarcharum melior est religione populorum coaevorum Phoenicum et Aegyptiorum, sed etiam subsequentium Graecorum et Romanorum, imo etiam philosophorum, quos Graecia et Latium laudat.

Tam autem bonam, sanctam, erroribus expertem, et in vita patriarcharum ordinanda adeo efficacem religionis notitiam homines primaevi, corporalis vitae necessitatibus maxime occupati, sine educatione, sine duce et magistro Deo sibi comparare non potuissent.

Praeterea varia in symbolo patriarchali occurrunt, quae sine speciali revelatione divina cognosci non poterant, uti sunt ea, quae de creatione, de promissione Messiae etc. leguntur.

128. Ex his omnibus jure infertur, Deum pro sapientissima sua providentia et infinita bonitate homines, quos prae omnibus animantibus ad imaginem suam condidit, et praeclaris facultatibus exornavit, in re summi momenti non deseruisse, sed ipsis necessaria religionis capita revelasse, ad quorum rectam cognitionem sibi relicti pervenire non potuissent.

129. Jam vero, si haec patriarchalis doctrina cum religione christiana confertur, obvium est, eam non tantum christianae revelationi non esse adversam, sed illius prima principia et elementa continere. Et quamvis amplissima haec sit, et per totum orbem splendeat, tum doctrinae sublimitate, tum sanctitate praeceptorum; nihilominus in illa prima revelatione jam reperitur, quasi in nucleo inclusa. (Alb. a Buls. th. g. p. II. sect. I. c. I.; Lieb. dem. chr. p. II. c. II.)

Caput II.

De religione mosaica.

Articulus I.

Revelatio mosaica in omnibus Deo digna est, et divinam prodit originem.

130. Quum in magnum Aegyptiorum regnum translata gens Israelitica in immensam multitudinem augeretur, ne populi illius usibus et institutis sese accommodaret, et memoriam amitteret divinarum promissionum; statuit Deus eam segregare in populum peculiarem, cujus ipse tutelaris Deus esset eam sepiendo et circumvallando specialibus institutis, magnoque legum et caeremoniarum apparatu; ut sic in ea saltem gente, ex qua nasci oportebat generis humani Salvatorem intacta servaretur antiqua religio, et spes data mortalibus aegris. Decebat enim eum populum, ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali prae reliquis nationibus sanctitate pollere, et ideo soli Judaeorum populo legem veterem dari conveniebat. Duo igitur in religione mosaica probe secernenda sunt: Primo *religio* aut *revelatio antiqua,* quam servari oportebat in mundo idololatrico. Secundo *ipsa reipublicae judaicae constitutio, et cultus externi ordinatio,* quae quasi propugnacula erant et praesidia depositi illius, quod populo illi concreditum erat.

Lex vetus manifestabat praecepta legis naturae et superaddebat quaedam propria praecepta. Quantum igitur ad illa, quae lex vetus continebat de lege naturae, omnes gentes tenebantur ad observantiam veteris legis, non quia erant de veteri lege, sed quia erant de lege naturae. Quantum vero ad illa, quae lex vetus superaddebat, non tenebantur alii ad observantiam veteris legis, sed solus populus Judaeorum. Lex enim vetus, sicut dictum est, data est populo Judaeorum, ut quandam praerogativam sanctitatis obtineret propter reverentiam Christi, qui ex illo populo nasciturus erat. Quaecunque autem statuuntur ad specialem aliquorum sanctificationem non obligant, nisi illos, quibus sanctificandis instituta sunt; sicut ad quaedam obligantur clerici, qui mancipantur divino ministerio, ad quae laici non obligantur, similiter ad quaedam specialia obligantur Judaei, ad quae alii populi non obligabantur. (S. Thom. I. II. q. 98. art. V.)

131. *Religio mosaica non tantum Deo dignissima et sapientissima est, sed divinam prorsus originem prodit.*

Probatur 1. pars, i. e. probatur, *religionem mosaicam sapientissimam et Deo dignissimam esse.* Et re quidem vera religio mosaica, licet ad perfectionem Evangelii non pertingat, nihil in se continet, quod vel rectae rationi adversetur, vel cum conceptibus de Deo, reli-

... ne ipsa vel cum Deo, vel inter se pugnet: aeque enim aliena est ab erroribus gentilismi, atque a vanis philosophorum ethnicorum placitis; omnia potius, quae in ea continentur, Deo digna, hominibus accommodata, bona, pia, atque sancta sunt. Nam:

1) Symbolum tales tradit de Deo et homine notiones, quae sicut Deo sunt dignissimae, ita etiam hominis ad Deum relationes in optima luce collocant: a Deo enim omnis veritas, omnis justitia, omnis felicitas repetitur; corruptionis nostrae peccatum uti causa adstruitur, et in promisso Messia seu liberatore remedium proponitur, in quem credendum est, ut per cor contritum et humiliatum Deus post culpam placetur, et remissio peccatorum obtineatur.

2) Codex talem tradit doctrinam moralem, quae sicut statutis Deum inter et homines relationibus optime respondet, sic etiam ab omni vera philosophia probatur. Nec carpi potest, quod circa religionem externam sancitum est: rituale enim mosaicum genio nationis, temporis, et religionis omnino accommodatum fuit. Multitudinem enim caeremoniarum exigebat indoles nationis, ad imitandos ritus Aegyptiorum valde proclivis. Congruum enim erat, multa in veteri lege caeremonialia esse praecepta, ut in malis idololatriae servitus, ad quam proclives omnino erant, reprimeretur, et in bonis Dei amor incrementa caperet, dum mens eorum frequentius in Deum referretur. In ritibus autem et sacrificiis a Moyse praescriptis nulla crudelitas, ut in cultu Baal et Dagon, nulla obscoenitas ut in cultu Bachi et Veneris, nulla superstitio, ut in cultu Isidis deprehenditur, sed omnia ad promovendam religionem optime comparata sunt. Ritus enim omnes eo tendebant, ut vel insignia beneficia a Deo populo exhibita in memoriam eidem populo revocarent, vel unius Dei fidem firmarent, et Israelitas tamquam fraeno a gentilium mensa, connubio, altaribus et caeremoniis cohiberent, vel rituum externo splendore veri Dei summam majestatem ad vivum repraesentarent, vel populum rudem et sensibilibus assuetum de suis officiis admonerent, puritatis internae necessitatem et obtinendae reconciliationis media edocerent, vel saltem Judaeum a gentili distinguerent. Imo nonnulla ordinata fuerunt, ut felicitati temporali, vel etiam sanitati provisum esset.

3) Si leges politicas examinamus, manifestum erit, tam parum a religione discrepasse Judaicae reipublicae statum, ut potius utrique leges in unum corpus coaluerint. Omnes enim attemperatae erant regimini theocratico, et sicut a Deo exierunt, ita continuo populum ad Deum reducebant. Quam ob rem cum omnium gentium

Rom. VII. 12. Lex sancta et mandatum sanctum et justum et bonum

leges perfectione antecellerent: quumque summâ sapientia et aequitate tam principum, quam subditorum jura et omnes judiciorum regulas, omnia tum publicae, tum domesticae vitae officia determinarent, atque pacem et prosperitatem reipublicae omni modo promoverent; necesse non habebant Judaei, ut aliarum nationum leges consulerent. Ita salva mansit et integra gens illa sua lege ab aliarum gentium contagio seclusa et circumsepta: idque eo certius, quod leges saeverissimae latae fuerint contra idololatras, rituumque idololatricorum studiosos.

132. *Probatur II. pars,* i. e. probatur *religionem mosaicam esse divinam,* quod patet imprimis ex ipsius religionis natura. Nam:

a) Tota mosaica religio ita est ab omnibus aliorum populorum religionibus diversa; ita opinionibus ac superstitionibus Aegyptiorum opposita; ita a communibus humanae prudentiae regulis in multis abhorrens; ita omnibus fere vitae actionibus implicata, tam gravibus poenis sancita; ut manifestum sit, eam non hominem, sed Deum habuisse auctorem. Quis enim humanus legislator potuisset in haec cogitando incidere; aut si invenisset, ea integro populo et tali populo imponere, praesertim nulla humana ope adjutus?

b) Leges si humani ingenii foetus sunt, non possunt illico et derepente perfectae esse; mens enim humana gradatim progreditur. Nulla gens reperitur, quae non frequenter leges suas emendaverit; ac celeberrimi inter legislatores agnoverunt, leges nonnisi longa experientia perfici. Unde sequitur, leges mosaicas non esse opus humani ingenii. Nam secus quum omnium sint antiquissimae, etiam minus aliis omnibus perfectae esse debuerant, ideoque etiam frequentibus mutationibus obnoxiae. Sed contrarium hic apparet; leges quippe illae, quantum antiquitate superant omnes alias cognitas leges caeterarum gentium, tantum eas sapientiâ & perfectione antecellunt; neque per tot saecula, quibus stetit Judaeorum natio, unquam necesse fuit, in iis quidquam immutare. Hinc optimo jure populum ita alloqui potuit Moyses (Deut. IV. 6. & seq.): *Haec est vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universa praecepta haec, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna . . . Quae est enim alia gens sic inclita, ut habeat caeremonias, et justa judicia, et universam legem, quam proponam hodie ante oculos vestros?*

c) Moyses plura in lege sua ordinavit, quae in extraordinaria tantum Dei providentia fundamentum habebant, eaque Judaeis pro-

posuit cum tanta fidentia & securitate, ut non dubitaverit, eos variis privare commodis spe divinae istius procurationis. Atqui ita sine incredibili insania agere non potuit, nisi auctoritate divina suffultus. Neque stare potuissent leges illae, quarum fundamentum quotidiana experientia ruinosum & falsum ostendisset.

Itaque religio ista mosaica, monotheismo practico sine exemplo superstructa, vera, ab omni gentilismi errore immunis, non solum populo Israelitico, sed ad futuram aliam orbis illustrationem accommodata, non tantum populorum coaevorum Aegyptiorum & Phoenicum, sed etiam futurorum Graecorum & Romanorum cultissimorum, imo & omnium sapientium religione praestantior, a sola ratione inventa esse haud potest: eo praecipue tempore, quum totus orbis in erroribus polytheismi, idololatriae ac superstitionis versabatur. Et profecto Moyses hanc religionem percipere non potuit in Aegypto, ubi populus polytheismo & crassae idololatriae deditus erat. Ideo ut causa sufficiens religionis mosaicae habeatur, ad interventum divinitatis seu ad revelationem divinam confugiendum est.

133. *Lex mosaica veris fuit confirmata miraculis et prophetiis, ac proinde manifeste divina est.* Imprimis manifestum est, vera miracula, et quidem in confirmationem legis mosaicae patrata fuisse. Ipsa enim

1) *occasio* et *finis eventuum* a Moyse enarratorum singularem Dei ordinationem et specialem influxum innuunt, etiamsi naturali modo explicari possent. At vero si *natura eventuum* expendatur, statim apparet, illos naturaliter explicari non posse. Nam Moyses eosdem stupendos eventus quoad diem et horam praedixit, & iterum illis vel fusa ad Deum oratione, vel pauca verba proferendo, vel extensa virga finem imposuit, ita ut coelum, terra, mare, totaque fere natura nutui unius viri parere videretur. Mirum quoque vel maxime fuit, praedictas plagas solos Aegyptios tetigisse, et terram Gessen, quam Israelitae inhabitabant, ab illis penitus intactam mansisse. Ecquis modum sciat, quo decem sibi succedentes plagae naturaliter explicentur? Multi demum eventus ejus sunt naturae, ut non solum naturaliter explicari non possint, sed legibus naturae omnino repugnent, uti sunt e. g. rubus ardens & non combustus, subitanea aquae in sanguinem mutatio, siccitas in fundo maris, et aqua ceu murus erecta persistens etc. Tum vero

2) si *modus* attendatur, constat, signa praefata non occulte, sed publice, spectantibus videlicet duabus nationibus eaque varia pro

opportunitate temporis et loci patrata fuisse, quorum quaedam per annos 40 durabant. Quae omnia illusionis, quae tanto tempore circa integram nationem ne probabilis quidem est, omnem suspicionem facile avertere poterant. Ipsi denique

3) *effectus* producti in illis, qui eventibus interfuerant, illosque examinare poterant, veritatem istorum miraculorum, philosophicam confirmant. Visis enim istiusmodi signis Aegyptii instant apud regem, ut Israelitas citissime dimittat; magi ipsi obstupefacti exclamant: digitus Dei est hic! Pharao, licet aegerrime, licentiam tamen Moysi cum populo suo abeundi tribuit; Israelitae ducem suum libenter in desertum sequuntur et in maximis angustiis positi, licet murmurent, viso tamen novo signo, Deum laudant, liberationem suam ipsi soli adscribentes; legibus tandem mosaicis, licet duris, se humiliter submittunt, easque ceu divinas venerantur; imo exterae quoque gentes Deum Hebraeorum propter signa, quae in Aegypto facta sunt, timere discunt. (1. Reg. IV. 8.) Quae si omnia rite considerentur, dubium superesse nequit, Deum ipsum extraordinaria causalitate praedictos eventus produxisse ac proinde hos vera miracula fuisse.

Miracula autem haec in confirmationem missionis et legis mosaicae facta fuisse, probant plurima Pentateuchi loca, in quibus Moyses aperte profitetur, se missum fuisse ad populum tamquam Dei nuntium (Ex. III. 16). Id deinde non semel Pharaoni inculcat, id populo universo frequenter verbis & signis declaravit. Sic (Num. XVI. 26) quum Core, Dathan & Abiron seditionem contra eum movissent, ait ad totam multitudinem: *In hoc scietis, quod Dominus miserit me ut facerem universa, quae cernitis & non ex proprio ea corde protulerim: si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, qua et ceteri visitari solent; non misit me Dominus.*

134. Prodigiis his accesserunt prophetiae per Moysen allatae et historia testante eventu quoque comprobatae, uti inter ceteras sunt: *a)* Moyses praedixit, omnes, qui jam annos viginti implevissent, in deserto morituros, excepto Josue & Caleb (Num. XIV. 29). *b)* Idem populo legem observanti felicitatem, pacem & victoriam de hostibus promittit, praevaricanti autem mala opposita comminatur, et hostem denuntiat e longinquo venturum, qui urbem devastet (Deut. XXIX. 25). *c)* Promittit anno sexto tantam benedictionem, quae tribus annis sufficiat; qua promissione munitur lex, ne anno septimo agros vel vineas in Palaestina colant. (Ex. XXIII. 10, 11. — Lev. XXV. 3, 4.)

Atqui hujusmodi praedictiones futurorum nonnisi ab illo, qui vitae ac mortis et naturae imperium habet, dependere & determinari possunt.

Probant ergo istae prophetiae, Moysen hominem fuisse a Deo speciali modo electum, ut anuntiaret populo verba Dei; ergo probant, legem, quam ipse tamquam a Deo traditam populum edocuit, vere a Deo originem habuisse; alias enim Deus fraudi patrocinatus fuisset, ac iis signis, quibus divina auctoritas evidentissime comprobatur, fidem ipse conciliasset impudentissimo impostori, qui cum summa supremi Numinis injuria nomen Dei in vanum assumpsisset, se Dei legatum mentiendo & legem a se fabricatam, tamquam a Deo ipso latam proponendo.

135. *Divinitas religionis mosaicae probatur denique ex ipsius conservatione.* Sane magnificae de Deo ideae in religione mosaica contentae perseverabant per saecula apud gentem hebraeam admodum rudem, sensualem, per se ad idololatriam summopere propensam, meris superstitiosis nationibus circumdatam; apud gentem inquam, in artibus & scientiis humanis inferiorem aliis non paucis. Aegyptii enim Phoenices, et Tyrii, postmodum Graeci ac Romani in scientiis et artibus humanis Hebraeis longe praestabant; attamen in scientia omnium praecipua Dei ac legis moralis, hi longe puriores, ampliores, firmioresque notiones habuerunt quam illi, huc inclusis etiam sapientibus aliorum nationum, qui integram vitam meditationi & studiis impenderunt. Hoc singulare phaenomenon nulla alia ratione explicari potest, nisi admittamus, Hebraeos immediate per revelationem fuisse hac in agnitione adjutos, manuductos, confirmatos et ab erroribus aliarum nationum propriis praeservatos. Hoc ipsorum historia satis abunde demonstrat. (Alb. a Buls. theol. gen. p. I. sect. I. c. II. — Lieb dem. chr. p. II. c. II. art. II. — Fej. de vera relig. sect. III. §. 71.)

Articulus II.

Contra mosaicam religionem Moysisque miracula nil solidi adversarii religionis revelatae proferre possunt.

136. Ut mosaicam religionem contra religionis revelatae adversarios sicut oportet vindicemus, praemittendas ducimus sequentes observationes:

Religio mosaica praeter dogmata seu doctrinam de Deo ejusque attributis ceteraque primae revelationis capita, magnam continet praeceptorum multitudinem, quae in *moralia, ritualia vel caeremonialia, & politica aut civilia* distinguuntur. Praecepta moralia sunt de illis, quae secundum se ad bonos mores pertinent. Praecepta caeremonialia dicuntur, quae praescribunt caeremonias, hoc est, certos ritus ad Dei cultum ordinatos, qui in sacrificia, sacramenta, festivitates & observantias dividuntur. Demum in lege mosaica multa reperiuntur praecepta civilia seu politica, quod mirum videri non debet, quum forma reipublicae Hebraeorum singularis omnino fuerit, in qua civilis constitutio & religiosa ita coaluerunt, ut una sine alia nequaquam poterit consistere. Praecepta haec, quae etiam judicialia vocantur, per quae publica & politica res administrabatur, alia erant principum ad subditos, alia subditorum ad se invicem, quaedam nationis ad extraneos, alia ad domesticos.

137. Religio mosaica imprimis neque prout theoretice consideratur, neque prout praecepta moralia continet, quidquam eorum complectitur, quae ab adversariis objiciuntur. Nam Deus a Moyse proponitur:

1) non ut egoismo plenus. Si enim Deus existit, ens primum, absolutum, unum, personale, infinitis perfectionibus plenum, omnium rerum creator & gubernator, ipsa sana ratio postulat, ut illi summa aestimatio, obedientia & dilectio exhibeatur.

2) Non ut injustus; qui furta Hebraeorum in Aegypto approbet et mendacia obstetricum remuneret, peccata parentum in tertiam & quartam generationem puniat. Deus enim absolutus rerum omnium Dominus potuit dominium vasorum ab Aegyptiis in Israelitas transferre; praeterea Hebraei tum in praemium laborum, quibus eos Aegyptii oppresserant, tum in compensationem domorum & agrorum in Aegypto relictorum poterant jure vasa secum ferre, etiamsi non admittatur, sicut Josephus Flavius cum plurimis aliis contendit, in versu 36. capitis XII. Ex., ubi habetur, Dominum dedisse gratiam populo coram Aegyptiis, ut Israelitis vasa argentea & aurea commodarent, vocem commodasse idem significare ac dono dedisse, quae explicatio satis rationabilis videbitur cuilibet consideranti, Aegyptios nimis afflictos vasa illa ideo dono dedisse Hebraeis, ut quo citius a plagis liberarentur.

Quoad obstetrices aegyptiacas, quarum mendacium remunerasse Deus ab adversariis dicitur, legimus Ex. c. 1. v. 15. et seq.: „Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebraeorum . . .: quando obstetricabitis Hebraeas & partus tempus advenerit: si masculus fuerit, interficite eum . . . Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt

... sed conservabant mares . . . Bene juxta praeceptum regis Aegypti, ergo fecit Deus obstetricibus . . . Et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domus". Obstetrices igitur aegyptiacas Deus remuneravit non propter mendacia, sed quia timuerunt Deum, nec voluerunt injustum regis mandatum exsequi.

Verba denique Ex. 20, 5., ubi Deus dicitur visitare iniquitates patrum in tertiam & quartam generationem, intelligenda sunt de mala & perversa sobole; scandala enim parentum in plures generationes propagantur, ideo etiam poenae non cessant. Hunc sensum exigunt ea, quae versu 6. subjiciuntur & tot alia scripturae testimonia, ex quibus Judaeis certum erat, Deum nunquam punire insontes. Ceterum divinae sapientiae & justitiae non repugnat, per tribulationes temporales filios ab imitatione parentum perversorum retinere.

3) Neque ut crudelis, qui gentem Chanaanaeorum absque ulla causa cruenta nece exstingui jusserit. Nam Chanaanaei propter scelera maxima promeriti sunt atrocissimam poenam, quam Deus per manus Hebraeorum ipsis infligere justissime decrevit, prout in lib. Sap. c. XII. legitur.

138. Frustra etiam adversarii contendunt, religionem mosaicam non esse divinam, quasi vero sacrificia humana praecipiat. Sacrificia enim humana in lege mosaica nullibi praecipiuntur aut permittuntur. Imo vero morem illum gentilium, homines in sacrificium offerendi, abominabilem vocat, et inter praecipua crimina numerat, quibus Chanaanaei iram Dei in se concitarint (Lev. 21 et Deut. XVIII. 10). Israelitae sub gravissimarum poenarum comminatione monentur, ne faciant similiter Domino Deo suo (Deut. XII. 4.). Si verum esset, quod ab adversariis objicitur, cur nullus humana sacrificia offerendi ritus in lege praescribitur? cur nunquam legitur principes et reges etiam eos, qui summo studio legis observantiam urgebant, humana sacrificia obtulisse? Nec obstant facta quaedam ex scriptura sacra, ab adversariis allata. Abraham enim non proprio motu ad sacrificandum filium se accinxit, non ut religionis officio perfungeretur, non animo placandi numen iratum, uti agere consueverant pagani; sed expresso Dei jussu excitatus, plenus fide in Dei promissa, non dubitavit se et filium suum Deo committere. Quumque post exploratam Abrahae obedientiam Deus aliam victimam suppeditavit, satis ostendit, nullo modo sibi gratas esse victimas humanas. Ex Jephte autem exemplo, quod in libr. Judic. (XI. 30. et 39.) affertur, nihil colligi potest. Illi enim, qui putant, filiam ab eo revera in holocaustum

oblatam fuisse, unanimi voce affirmant, illud factum fuisse contra legis praeceptum, neque acceptam Deo fuisse ejusmodi victimam. Multi tamen excusant Jephte per ignorantiam invincibilem, quod intentio offerentis esset bona, etiamsi oblatio mala, eo quod illo aevo rudi non esset propheta, imo nec summus sacerdos, qui sciret hunc casum resolvere. (S. Hier. in c. VII. Jerem.)

139. Nihil quoque inferre possunt adversarii contra divinitatem mosaicae religionis ex eo, quod *a)* magi dicantur similiter fecisse miracula sicut Moyses; *b)* quod quaedam, in scriptura contenta, videantur contraria rectae philosophiae e. g. solem moveri, terram basibus suffultam esse etc.; *c)* quod polygamia a Moyse permissa esse videatur. Nam

a) Magi arte sua aliquo modo et valde imperfecte quaedam Moysis miracula imitari potuerunt: erat in actione externa similitudo aliqua, nulla in opere. Illud significare voluit Moyses, cum dixit, magos fecisse *similiter,* quod ex iis clarius elucet, quae Ex. cap. VIII. v. IX. leguntur; nam Moyses ibi iisdem verbis utitur, quamvis magos eventus fefellerit. Igitur dicendum est, magos illos quaedam, quae a Moyse patrata viderant, imitatos fuisse i. e. aliquid produxisse, quod quandam haberet cum Moysis miraculis similitudinem; ideoque nec ulcera a se prohibere (Ex. c. IV. v. 11), nec plagas divinitus immissas a se avertere potuerint Pharaone pro medela non ad magos, sed ad Moysen confugiente. Si admittatur, magos diabolica virtute eos effectus produxisse, dicendum est, Moysis prodigia ita evidentibus divini operis characteribus fuisse insignita, ut etiam magi exclamare cogerentur: Digitus Dei est hic.

b) Auctores sacri juxta opiniones receptas locuti sunt, ut nempe captui vulgi sese accommodarent faciliusque intelligerentur; nec immerito. Nam 1) scopus revelationis est virtutis cultores efficere, non philosophos et rerum physicarum tractatores; 2) si scriptores sacri aliter locuti fuissent, dubia et altercationes excitassent, multumque auctoritati suae nocuissent; 3) etiam nostris temporibus viri omni doctrina ornati, ut facilius intelligantur et vulgo sese accommodent, de motu, ortu et occasu solis loquuntur, neque ideo mentiri dicendi sunt, quoniam non systemata naturalia declarare, sed id, quod occulis apparet, enuntiare volunt.

c) Quoad polygamiam notandum est, eam non esse contra prima praecepta legis naturae, sicut polyandriam, esse tamen contra

secunda praecepta, quae tamquam conclusiones ex primis deducuntur, et a quibus nullus nisi Deus dispensare potest. Est autem procreatio et educatio prolis finis principalis matrimonii; secundarius est communicatio operum in vita, secundum quod fidem sibi invicem debent conjugati. Porro lex de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta, nec umquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicuti et alia, quae ad legem naturae qualitercunque pertinent; natura enim humana absque omni defectu instituta est; et ideo non solum sunt indita ei illa, sine quibus matrimonii finis principalis esse non potest, sed etiam illa, sine quibus secundarius finis matrimonii sine difficultate haberi non posset. Et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quae quidem principaliter patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore, quo oportebat praedictum naturae praeceptum praetermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae. Semper enim principalior finis magis observandus est, quam secundarius. Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire, ad quod removendum praeceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.

140. Nimis longum esset, omnes leges caeremoniales singillatim ab incredulorum calumniis et ineptis cavillationibus vindicare. Sufficiat rationes quasdam generales afferre, ex quibus earum fines sapientissimi omnibus veri amantibus elucescent.

1) Plurima animalium nomina, quae Levit. XI. leguntur, nobis hodie incognita sunt, ita ut incerti simus, an nomen latinum eam animalis speciem exprimat, quam Moyses hebraeo nomine significare voluit.

2) Ex illis legibus quaedam videntur pro fine habuisse munditiem et sanitatem corporis, aliae morum mansuetudinem et lenitatem, quam praecipue populum Deo consecratum praeseferre oportebat.

3) Deus Israelitas a ritibus superstitiosis et turpissima corruptione aliarum gentium abstrahere voluit: quum autem nulla tunc temporis gens fuerit, quae non animalia quaedam ut sacra veneraretur, aut tamquam inimica divinitati aversaretur, aut aliis quibusdam ritibus numina sua placari somniaret: sapientissime hi ritus, apud gentiles sacri, lege mosaica prohibiti sunt, aliique instituti ab

his longe diversi. Haec itaque in detestationem idololatriae instituta sunt. Nam gentiles, et praecipue Aegyptii, inter quos Judaei erant nutriti, animalia prohibita Judaeis idolis immolabant, vel eis ad maleficia utebantur; animalia vero, quae Judaeis sunt concessa ad esum, non comedebant, sed ea vel tamquam Deos colebant, vel vero eis se abstinebant, quia ea tamquam sacra habebant, puta boves sacros habebant, quia iis utebantur ad agriculturam, quae inter res sacras numerabatur. Per praecepta ergo de sacrificiis idolorum et multis caeremoniis retrahebantur Judaei a sacrificiis idolorum et a modis sacrificandi, quibus idololatrae animalia idolis immolabant.

4) Praecepta illa, quae animalium et ciborum discrimina spectabant, ad sanctitatem illam legalem imprimis pertinebant, qua populus constanter admonebatur, se Deo consecratum esse, sicque Judaeos a gentium consortio arcebant. Praeterea justitia divina inter res mundas et immundas in sensibili mundo discrimen instituit ad demonstrandum sensibili modo dissidium ortum a peccato.

5) Demum certum est, eo tempore, quo leges illae latae sunt, plures exstitisse rationes speciales tam ex populi Judaici indole, quam et aliarum gentium moribus, aliisque circumstantiis desumptas, quae nunc ignorantur. Et sane plurimae mosaicarum legum, quarum ratio nobis primo intuitu clara non est, videntur omnino superstitionibus gentium fuisse oppositae. Sic ad vitandum idololatriae cultum Judaeis prohibitum fuit v. g. quominus induerentur vestimento ex lana et lino contexto, et quominus mulieres induerentur veste virili; hujusmodi enim variis vestibus ex diversis contextis gentiles in cultu suorum deorum utebantur, et etiam in cultu Martis mulieres utebantur armis virorum; in cultu autem Veneris viri utebantur vestibus mulierum. Quod quis non videat, ideo etiam prohibitum fuisse, quia occasionem libidini praestare suapte natura aptum sit?

141. Nec denique leges mosaicae servituti favent, prout adversarii objiciunt. Moyses enim servituti quidquid inhumanum aut nimis durum apud alias gentes habuit, sapientissimis legibus adimit, quae heris omnes sensus humaniores inspirant, et eorum in servos potestatem coercent, ita ut multo tolerabilior fuerit status servorum apud Judaeos, quam apud omnes alias nationes ante christianae religionis propagationem. (S. Thom. I. II. q. 102. art. III. et seq. — Lieb. dem. chr. p. II. c. II. art. II. — Alb. a Buls. theol. gen. p. II. sect. I. c. II. art. I.)

*

Caput III.

Legi mosaicae succedere debuit melior perfectiorque revelatio.

Articulus I.

Lex mosaica aliquando abrogari debuit per novum legislatorem seu per Messiam.

142. Quum legis divinam originem omni argumentorum genere demonstravimus, ea certe intentio non fuit, ut Judaeorum causam ageremus, quos nimius legum suarum zelus in crassissimum illum errorem conjecit, ut earum perpetuitatem inter fidei suae articulos numerent. Profecto si velamen ante oculos non haberent, et ipsi librorum suorum intelligentiam non repellerent inveterata pertinacia: petitis a Pentateucho initiis per universa prisci foederis volumina praenuntiatum uno consensu reperirent Christum ad novam legem condendam et salutem hominibus comparandam a Deo legatum.

Nobis sacra et divina sunt, quae in libris V. T. continentur; quia scimus, nos aedificatos esse super fundamentum apostolorum et prophetarum; quoniam finis legis Christus, ad salutem omni credenti. (Rom. X. 4.) Nihil est hac veritate clarius in Judaeorum sacris litteris expressum; et quicunque ad eas perscrutandas veracem et simplicem et ingenuum pectus adhibuerit, ubique novam, quae per Christum facta est, dispensationem tam luculentis argumentis expressam reperiet, ut vetus testamentum formam esse et apparatum novi dubitare non possit.

143. Habet quidem christiana religio tantum a se ipsa splendorem, tantam a suo auctore illustrationem, ut eam absolute necesse non sit a stirpis suae antiquitate et nobilitate commendare. Verum nihil nobis praetermittendum est, quod possit ad convincendos animos valere, quodque Dei in homines benevolentiam et sapientissimam illam divinae providentiae oeconomiam, quae finem suum, per omnes mundi aetates, certo et constanti cursu prosequitur, clariore in luce collocet. Antequam igitur ad ipsam christianam religionem accedamus, videamus ex ipso veteri testamento et gentis Judaicae conditione, abrogandam aliquando fuisse legem mosaicam, et tempus, quo interire debuit, jam dudum effluxisse.

144. Quum autem legem mosaicam dicimus, nolumus ita intelligi, ac si de dogmatibus naturalis religionis ageremus aut de

; quod autem an
quatur et senescit, prope interitum est.

praeceptis, quae ad legem naturalem pertinent; vel de primitivis illis revelationis veritatibus, quas tamquam sanctissimam haereditatem collegit religio christiana, et clarius perfectiusque evolvit: sed de legibus judicialibus et caeremonialibus loquimur, quae proprio sensu legem mosaicam constituebant.

145. *Lex mosaica aliquando abrogari debuit per novum legislatorem seu Messiam.* Id probatur ex illis V. T. vaticiniis, quae *a)* foedus novum praedicunt in locum veteris substituendum; *b)* sacrificiorum abolitionem et futuram sacerdotii translationem; *c)* populorum in unius verae religionis cognitione consociationem.

146. Mosaicae legi aliam legislationem et quidem auctoritate divina successuram esse, apertissime praenuntiatur Jer. XXXI. 31; *Ecce dies venient, dicit Dominus, et fériam domui Israel et domui Juda foedus novum . . . non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, . . . sed hoc erit pactum: dabo legem meam in visceribus eorum.* Nemo non videt, his verbis *foedus novum* a Deo promitti ab antiquo *diversum.* Porro *novum* dicens significavit, primum esse vetus et antiquum; quod autem antiquum et senex est, in propinquo est, ut evanescat seu intereat. Nec possunt verba Jeremiae intelligi de renovatione antiqui foederis post captivitatem babylonicam. Non enim Jeremias de renovatione antiqui, sed institutione pacti prorsus novi loquitur; ait enim *feriam, dabo;* sed antiquum jam dederat, quodque renovatur tantum, non datur aut fit simpliciter. Deinde pactum hoc novum legemque novam, quam se daturum promittit Deus, opponit legi veteri: *Foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum;* at in data expositione adhuc fuisset pactum idem, quod olim pepigerat cum Judaeis.

147. Probatur thesis secundo ex eo, quod Messiam novum sacerdotium et novum sacrificium instituere oportebat. Imprimis a prophetis stante adhuc lege mosaica promittitur et praedicitur novum sacerdotium ab Aaronico diversum, juxta Davidicum vaticinium: *Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech* (Ps. 109. 4). Similiter juxta vaticinium Isaiae (c. 66. 21) sacerdotes ex gentibus assumendi sunt: *Assumam ex eis in sacerdotes, et levitas, dicit Dominus.* Exinde sic argumentamur. Si perfectum fuisset Levi sacerdotium et homines sanctificare potuisset, frustra Deus aliud et secundum ordinem Melchisedech promisisset. Atqui Deus, qui nihil frustra facit, aliud et secundum ordinem Melchisedech sacerdotium stante adhuc lege mosaica promisit. Ergo primum

sanctificare non poterat, ideoque perfectum non erat. Porro quum individua sit sacerdotii Levitici et legis mosaicae societas, translato sacerdotio a Levi, necesse est, ut et legis forma commutetur. Translatum autem a Levi sacerdotium probat psalmus 109; is enim, de quo loquitur ille psalmus, non est ex tribu Levitica, sed ex tribu Juda, cui Moyses sacerdotium non attribuit. Constat ergo et de tribu in tribum translatum esse sacerdotium, et cum sacerdotio translatam quoque esse ipsam legem. Unde Messiae, de quo ille psalmus loquitur, tum sacerdotii et legis mosaicae immutatio tum introductio melioris legis adscribitur, ita ut ipse jure merito melioris testamenti sponsor sit. Lex ergo mosaica, utpote imperfecta et insufficiens ad homines justificandos, aliquando abrogari debuit per melioris testamenti sponsorem seu per Messiam.

Vetera quoque sacrificia abroganda et aliud sacrificium in illorum locum substituendum esse, probatur Malach. c. I. 10: *Non est mihi voluntas in vobis & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* In hoc vaticinio propheta diserte praedicit *a)* sacrificia externa & proprie dicta Judaeorum fore rejicienda, successurumque aliud esse sacrificium a prioribus prorsus diversum; *b)* hoc aliud sacrificium offerendum esse in omni loco, quo distinguatur a veteribus sacrificiis, quae ex legis mosaicae praescripto in unico templo offerebantur; *c)* veteribus sacrificiis substituendam esse victimam meliorem, victimam nimirum, quae non in cruenta hostiarum immolatione consistat, sed in oblatione munda seu dono ex frumenti farina confecto, et quidem puro, ac propterea non commaculando offerentium pravitate, propter quam Deus legalia sacrificia rejecturum se profitetur; *d)* hanc oblationem mundam futuram esse veluti praecipuum religionis characterem, quo cognoscent gentes, Deum coli in universo terrarum orbe, sicut prius cognoscebant, Deum a Judaeis in Hyerosolymitano templo per sacrificiorum externorum & publicorum immolationem coli. Quum vero sacrificia partem essentialem externi cultus seu religionis publicae constituant, consequitur, non posse sacrificia immutari, quin immutetur cultus ipse; insuper immutato sacrificio, immutetur necesse est et sacerdotium ob intimum utriusque nexum. Quapropter secundum Malachiam cultus mosaicus cum mosaico sacerdotio abrogandus & in ipsius locum novus cultus univer-

salis cum novo sacerdotio substituendus est. Quod perficiendum per Messiam a Daniele praenuntiatur; praedicitur enim a Daniele in medio hebdomadae septuagesimae, non tantum sacrificiorum cessatio, sed etiam et templi ipsius destructio, populique Judaici dispersio in poenam rejecti Messiae ac necis ipsi illatae. Dicitur enim Dan. IX. 26: *Occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.*

148. Probatur thesis tertio ex Judaeorum rejectione & gentium vocatione per Messiam.

Judaicum populum rejiciendum praenuntiavit Daniel, ut probant verba supra allata. Gentes autem omnes ad veri Dei cognitionem vocandas atque a novo illo legislatore in unam ecclesiam colligendas in innumeris veteris testamenti scripturae locis praedicitur. Osee c. II. 24. *Dicam non populo meo, populus meus es tu.* Soph. III. 9. *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini.* Malach. I. 10. *A solis ortu usque ad occasum magnum est nomem meum in gentibus.* Haec autem in Messia complenda esse, tam aperte scriptura loquitur, ut vix necesse sit alia scripturae testimonia afferre. Gen. XII. XXII. XXVI. XXVIII. clare expressam reperimus hanc pacti Abrahamitici conditionem, Isaaco deinde ac Jacobo renovatam: in semine eorum benedicendas esse omnes nationes. Ipsi Hebraei haec Ps. II. 8. verba: *Postula a me & dabo tibi gentes haereditatem tuam & possesionem tuam terminos terrae* de Messia intelligunt; et: Is. XI. 10. *In illa die radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Atqui haec omnia continent abrogationem veteris legis et substitutionem novae; annuntiant enim religionem natura diversam a mosaica, quum haec ipsa sua constitutione nationalis, id est ad solos Jacobi posteros restricta esset, et soli terrae Chanaan accomodata, nova autem, quae annuntiatur, sit ad exteras gentes, imo ad universum orbem extendenda. Ergo religio Judaica, quae tantum Jacobi posteros spectabat & ex ipsa sua constitutione nationalis erat, adveniente Messia consistere non potuit.

Aliquando dicitur utique lex mosaica duratura in aeternum; ast ista locutio in aeternum & aliae similes, quae a Moyse & prophetis usurpantur, saepissime aeternitatem aut indefectibilitatem relativam significant, non absolutam; saepe significant tempus tantum indefinitum, imo non raro etiam certum et determinatum, ut quum (1 Reg. XXII.) Samuel dicitur mansurus coram Domino in aeternum. Lex vetus itaque dicitur esse in aeternum, secundum moralia quidem simpliciter et absolute, secundum caeremonialia vero quantum ad veritatem per ea figuratam.

Articulus II.

Lex mosaica jam diu abrogata est.

149. *Praesens conditio Judaeorum probat, penitus sublatam esse religionem mosaicam.*

Prob. Ex praesenti Judaeorum conditione apparet: 1) Deum non amplius servare conditiones foederis mosaici; 2) legis observationem Judaeis factam esse impossibilem; 3) hunc populum tamquam perduellem a Deo esse rejectum. Ergo religio mosaica jam diu abrogata est.

Prob. 1. pars. In illo foedere, quod Deus per Moysen iniit cum Israelitis, praecipua conditio haec erat; quod Deus elegerit Israel, ut sit ei populus peculiaris in laudem & gloriam suam. Hoc foedere Deus se obstrinxit ad tuendam gentem illam, eamque regendam speciali providentia; quo etiam munere eum diligentissime olim perfunctum esse, ex veteri testamento discimus. Verum a multis jam saeculis omne cum hoc populo commercium abrupit Deus; nulla apud eos edidit miracula, nullos misit prophetas; a propriis sedibus ejectos sine templo, sine duce reliquit omni spe restitutionis destitutos.

Prob. 2. pars. Talis est praesens Judaeorum calamitas, ut jam legis observatio impossibilis sit. Juxta clarissima Moysis aliorumque prophetarum verba oportebat Judaeos, quamdiu foedus mosaicum subsisteret, terram Chanaan incolere. Neque aliter cultus Deo exhiberi poterat juxta legis institutum, nisi in solo patrio, et in templo Jerosolymis extructo, in quo sacrificare soli familiae Aaron concessum erat. Jam vero manifestum est, Deum locum illum, quem elegerat, deseruisse, et Judaeos per annos amplius mille octingentos esse sine templo, sine altari, sine certo genealogiarum censu, unde constare possit, qui sint, quibus sacra facere fas sit. Imo & leges judiciariae, ex quo civitas dissoluta est, omnem vim obligandi amiserunt. Ergo manifestum est, Deum legem veterem abrogasse.

Prob. 3. pars. Qui pristinam Dei in Judaeos providentiam, praesentemque eorum statum & calamitatem tam diuturnam, tam universalem attentius perpenderit, evidenter cognoscet, eos jam amplius populum Dei non esse. Numquam quamdiu staret pactum Moysis tanta fuit Dei in illis puniendis severitas; nam post gravissima etiam crimina semper ad meliora consilia redeuntibus praesens aderat Dei auxilium et certa spes futurae restitutionis: sed nunc omnis spes deperdita est. — Patet ergo, praesentem hanc calamitatem non poenam tantum esse et correptionem, sed rejectionem.

150. Idem probatur ex prophetia Jacobi. Gen. XLIX. 8. et seq. Patriarcha Jacob quum filiis benediceret et quasi testamentum suum jam moriturus faceret, his verbis Judam alloquitur: *Juda te laudabunt fratres tui . . Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est: et ipse erit exspectatio gentium.*

Haec prophetia 1) de *Messia* agit seu de illo duce & legislatore, per quem abrogandam fuisse religionem judaicam in praecedenti thesi demonstravimus. 2) Tempus adventus hujus Messiae ita determinat haec prophetia, ut certum sit, illud tempus jam a multis saeculis effluxisse. Ergo religio mosaica jam diu abrogata est.

151. *Prob. I. pars. In hoc vaticinio vere est sermo de Messia,* quod patet ex voce hebraica (schiloh), *missus* vel *mittendeus,* de quo Moyses dicebat: *Mitte quem missurus es* (Ex. IV. 13), quique ab exordio generis humani tamquam communis hominum liberator promissus fuerat (Gen. III. 15), quem ardentibus votis patriarchae expectarunt. Non minus character Messiae proprius exprimitur, si schiloh vertatur: *pacis auctor, cui repositum est regnum, vel semen ejus* (mulieris). Nam 1) de Messia dicitur: *Vocabitur nomen ejus princeps pacis* (IX. 6); 2) verba: *cui repositum est regnum* de Messia intelligi debere patet ex ps. II.; 3) expressione: *semen ejus* indicari Messiam, manifestum est tum ex Gen. c. III. 15, ubi Messias semen mulieris vocatur, tum ex promissionibus datis Abrahamo (ibid. Gen. 22. 18), Isaaco (26. 4) et Jacobo (28. 14), in quibus sermo est de semine, in quo benedicendae sunt omnes gentes.

Quocunque itaque modo vertatur, certum est, eum, qui in textu hebraico vocatur schiloh, alium non esse, quam ipsum Messiam. Quod ex contextu quoque apparet. Nam qui praedicitur appellatur *exspectatio gentium,* quae denominatio propria Messiae nota est in scripturis passim expressa, quaeque optime convenit ei, de quo alibi dicitur: *Veniet desideratus cunctis gentibus.* (Aggaei II. 8.)

152. *Prob. II. pars*, i. e. *tempus adventus hujus Messiae hac prophetia ita determinari, ut certum sit, illud tempus jam a multis saeculis effluxisse.*

In vaticinio Jacobi praedicitur, potestatem rectoriam, seu principatum et dominatum in tribu Judae futurum esse, quod indigitatur per sceptrum (schebeth) illi promissum. Vocis enim schebeth sensus sunt varii: virga, poena, tribus, autonomia tribus, summa potestas. Porro schebeth non potest significare poenam, quia scopus est Jacobi laetissima annuntiare (8—9). Neque de simplici virga intelligi potest,

tum ab eandem rationem, tum quia ad hoc explicandum *dux* adducitur. Sed neque de mera tribu intelligi potest, quia hujus tribus etiam dux futurus esse praedicitur; dux autem tribus ejus saltem autonomiam supponit. Quare vox schebeth ut symbolum alicujus potestatis, quam dux teneat, necessario accipienda est, eam autem esse autonomiam tribus, non vero summam potestatem, patet ex adjunctis.

Vox autem Juda de tribu Juda, non vero de Judaeorum gente intelligi debere, manifestum est; nam v. 28. de Jacobo dicitur: *Benedixit singulis benedictionibus propriis*: hic si nomine Juda natio omnis Judaeorum censetur, sequeretur, nihil peculiare precatum fuisse Jacobum in tribum Juda contra ipsius patriarchae enuntiatum. Praeterea hoc repugnaret Judaeorum traditioni, quae nunquam non infert ex hujus oraculi testimonio, Messiam e tribu Juda nasciturum.

Sceptrum porro juxta vaticinium non solum accedere debuit ad tribum Judae, sed et in illa perdurare, donec veniat, qui mittendus est i. e. usque ad Messiam; cessante ergo sceptro in Juda, Messias advenire debuit.

153. Quibus praemissis sic instituitur argumentum. In vaticinio Jacobi praedicitur, potestatem rectoriam seu principatum et dominatum in tribu Juda non solum futurum esse, sed etiam in ea perdurare debere, donec veniat, qui mittendus est, id est, usque ad Messiam. Atqui jam ante novemdecim saecula sceptrum in Juda cessavit; Judaei enim a mille et nongentis annis per orbem dispersi nullam amplius habent supremam potestatem, nullum regem aut principem ex judaica stirpe progenitum aut a se constitutum, a quo gubernentur, sed ubique dura servitute premuntur, ab omnibus derisi et contempti. Ergo certe Messias jam advenit, atque ideo lex mosaica jam diu abrogata est.

Et sane si respiciatur ad facta, haec revera tribus Juda ab aliis in eo differt, quod numquam dissoluta fuit, sed unum semper corpus constituit. Et licet diversas vices ac regiminis diversas formas subierit, diversosque duces ac principes nacta sit, propriis tamen legibus et institutis usa est, quod reliquis tribubus hac illac dispersis non obtigit. Etenim potestas in tribu Juda perduravit usque ad Herodem Idumaeum, quod ita ostenditur. Thronum regium tenuit tribus Juda, a Davide usque ad Jechoniam, in transmigratione Babylonis. Postea per Salathiel devenit potestas, licet subordinata Persis, in manus Zorobabel, post reditum a captivitate babylonica. Tunc autem potestas devenit ad senatum sic dictum synedrium, constan-

mutata est nempe per formam monarchiae in aristocrati

tem ex 70 viris de tribu Juda. Et licet ex sacerdotali genere nonnulli admissi fuerint in synedrium itemque ex tribu Benjamin; tribus tamen Juda, ad quam Jerusalem, regni metropolis pertinebat, semper inter omnes maxima et sola regno par, sicut numero sic auctoritate superior et dominatrix mansit. *Jus regni, electio principum* erat penes tribum Juda. Tribus Juda elegit sibi duces Machabaeos ob eorum fortitudinem eosque sibi praefecit. Machabaei ergo, de tribu Levi, erant tantum duces militares, dependentes a senatu et synedrio: potestas autem proprie dicta, judiciaria nempe, erat apud synedrium de tribu Juda: qui rerum status perduravit usque ad Herodem. Cujus facti haec inter alia afferri possunt testimonia. Lib. I. Machab. c. IX. v. 28. dicitur: *Et congregati sunt omnes amici Judae et dixerunt Jonathae ... Nunc te hodie elegimus esse nobis in principem, et ducem ad bellandum bellum nostrum.* Philo (libr. de temporib.) narrat: *Sanhedrin ex domo David delevit* (Herodes), *et Ananelum quemdam et Sanhedrin ex proselytis suffecit.* Idem tradit Josephus Flavius (Antiquit. Jadaic. l. 14. c. 17): *Herodes*, inquit, *regnum adeptus, omnes illos judices sustulit et regem, scilicet Hircanum de Assamonaeorum gente.* Igitur suprema potestas permansit semper apud tribum Juda eo fere modo usque ad Herodem Idumaeum, quo imperium romanum permansisse dicitur apud Romanos, quamvis imperator ab exercitu vel senatu constitutus Romanus patria non esset, sed v. gr. Hispanus, ut Trajanus, Hadrianus. Anno 37 ante Chr. regnum Judaeorum auxilio Romanorum ad Herodem, regem primum ex alienigenis est translatum.

Frustra igitur adversarii affirmant, multis annis post Christum natum et mortuum perstitisse synedrium. Nam Herodes illud synedrium de Juda et de domo David delevit substitutis proselytis, id est conversis ex gentibus. Neque poterat amplius quidquam illud synedrium sua auctoritate; sed si quid egit vel de consensu romani praesidis vel nulliter et suo periculo egit.

154. Igitur ex allato Jacobi vaticinio, Messiam pridem advenisse, ac proinde legem mosaicam jam diu abrogatam esse, manifeste ostenditur.

Non est reputandum, eodem temporis momento et nasciturum schiloh et sceptrum Juda subducendum, sed nunquam illud penitus ablatum iri e Juda, quin simul veniat Messias, et quum sceptrum e tribu Juda translatum perpetuo visum fuerit, tunc certo tenendum esse, jam venisse Messiam.

Articulus III.

Ex vaticinio Danielis IX. v. 24. et seq. invicte probatur, tempus adventus Messiae jam diu effluxisse.

155. Quum Daniel intellexisset, appropinquare numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam (cap.

XXIX. 10) ut solveretur captivitas babylonica, Deumque enixe deprecaretur, ne triste exilium propter populi peccata prolongaretur: Gabriel Archangelus ad eum accessit, eumque quo tempore Messias venturus esset docuit his verbis c. IX.:

V. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum.*

V. 25. *Scito ergo, et animadverte. Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum.*

V. 26. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.*

V. 27. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

156. In hoc Danielis vaticinio 1) agitur de Messia; 2) tempus, quod ibi adventui Messiae praefigitur, jam diu elapsum est. Ex vaticinio igitur Danielis IX. v. 24 et seq. probatur, tempus adventus Messiae jam diu effluxisse.

157. Probatur primo, *in vaticinio Danielis agi de Messia.* Hoc itaque colligitur *a)* ex nominibus, quibus praenuntiatus insignitur; appellatur enim *Dux*, *Christus*, *Sanctus Sanctorum*, quibus Messias etiam in aliis scripturae locis insigniri solet; *b)* ex praeclaris effectibus *de consummanda praevaricatione, de adducenda justitia sempiterna, de implenda omni prophetia,* qui omnes effectus soli Messiae adscribi possunt; *c)* ex fatis ducis praedicti, qui dicitur *non agnoscendus a suis, negandus et occidendus,* quae omnia saepius de Messia in V. T. praenuntiantur (Ps. 21. ps. 68. Is. 53); *d)* ex magnitudine poenae populo ob occisionem Christi irrogandae, dicitur enim *urbs cum templo evertenda, et desolatio perpetua inducenda*, qualis poena ob mortem aliis prophetis illatam, nullibi annuntiatur; *e)* ex consensu Judaeorum, qui teste Josepho Flavio semper crediderunt, per hoc Danielis vaticinium tempus adventus Messiae designatum esse.

158. Probatur secundo, *tempus, quod adventui Messiae praefigitur, jam diu elapsum esse.* Angelum inprimis tempus definitum annuntiare voluisse, ex verbis et adjunctis ipsius vaticinii apparet. Nam *a)* angelus ad annos 70 captivitatis babylonicae a Jeremia praedictos alludit, qui numerum annorum definitum constituebant, quos Daniel in mente volvens, de alio quam definito hebdomadum numero verba Gabrielis intelligere non poterat. *b)* Verba vaticinii: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt* cum indefinito, indeciso et indeterminato hebdomadum numero non consentiunt. *c)* Septuaginta hebdomades v. 24. postea in *septem*, *sexaginta duas* et *unam* dividuntur, quae divisio de tempore definito agi indicat. *d)* Terminus, a quo hebdomades computandae sint, indicatur, quod abunde ostendit, scopum vaticinii in ipso tempore adventus Messiae determinando ita versari, ut homines in hujus temporis computatione signum adventus Messiae quaerere debeant et invenire. Iste vaticinii scopus *e)* eo etiam manifestior est, quod angelus ad singulos eventus hac ratione determinandos accessurus attentionem Danielis ad hanc hebdomadum seriem singulari modo dirigit, v. 25. prosecutus: *Scito ergo et animadverte.*

159. Tempus, quod in vaticinio pro adventu Messiae determinatur, complectitur 70 hebdomades. Non aliae sane hebdomades in Danielis vaticinio intelligendae sunt, quam quas usus loquendi apud Hebraeos praesertim in sacris litteris habet. Hinc non possunt hic intelligi hebdomades mensium, jubilaeorum vel saeculorum, quae Judaeis notae non fuerunt. Sed praeterea nec possunt hic intelligi hebdomades dierum, intra quas utique omnia, quae angelus praedixerat, evenire haud poterant, quia historia teste, pluribus annis opus erat, ut Jerusalem aedificaretur, et muris cingeretur. Intelligendae itaque sunt hebdomades annorum, quia uti dies septimus, sic etiam annus septimus apud Judaeos sabbaticus erat, et ideo apud ipsos sicut septem dies hebdomadem dierum, sic septem anni hebdomadem annorum conficiebant. Sic Levit. XXV. 8. legimus: *Numerabis tibi quoque septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quae simul faciunt annos 49.* Tales hebdomades a Gabriele indigitatas esse, constans fuit antiquorum Judaeorum fides.

160. Istae vero 70 hebdomades conficiunt 490 annos. Tempus hoc ab Angelo determinatum dividitur in tres partes: prima pars constat ex 7 hebdomadibus seu ex 49 annis, quibus lapsis *aedificabitur platea, et muri* i. e. ad finem perducetur urbis, et murorum exaedificatio; secunda pars continet 62 hebdomades, quarum in exitu

ungendus erit Christus, seu *Messias* apparebit ut *Christus*, i. e. unctus a Domino; tertia pars complectitur unam et quidem ultimam hebdomadem, in cujus dimidio occidetur Christus et deficiet hostia et sacrificium.

161. Summi profecto momenti est, ut cognoscatur, quandonam septuaginta hebdomadarum calculus incipiendus sit, ut istarum finis, seu tempus pro Messiae adventu determinatum certo innotescat. Terminus, a quo hebdomades numerandae sint, in Vulgata ita determinatur: *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem* i. e. ab edicto regis de reaedificanda urbe Jerusalem; et cum Vulgata textus hebraicus adamussim concordat.

At vero quatuor extant edicta, quae a Persarum regibus in favorem Judaeorum emanarunt. Primum edidit Cyrus (1 Esd. I.) anno 536. vel 538. ante Christum; secundum Darius filius Histaspis (1 Esd. 6.) anno 519.; tertium Artaxerxes Longimanus (1. Esd. 7. 12.) anno septimo regni *sui* i. e. anno 466.; et quartum idem Artaxerxes anno vigesimo regiminis *sui* i. e. anno 453. a. Chr. qui annus incidit in annum 300 urbis conditae. Sed duo priora edicta in concedenda Judaeis licentia redeundi Hierosolymam ad templum reaedificandum et in restituendis illis, quae Nabuchodonosor rex e templo abstulerat, versantur, quin de urbe aedificanda in eis sermo sit. Tertium deinde decretum de solis sacrificiis offerendis agit, et solum quartum tale est decretum, cujus objectum ipsa urbs sit, ut vaticinium Danielis requirit. Cum hoc quarto decreto etiam congruit, quod vaticinium Danielis decreto (v. 25.) attribuit: ut iterum aedificentur muri et platea in angustia temporum (2. Esd. 3 et 4). Unde solum decretum (2 Esd. 2) quod anno Artaxerxis vigesimo datum esse dicitur, tale est, quod vaticinio Danielis plene satisfaciat.

Xerxes, qui anno 485 ineunte regnare coepit et 20 annos regnavit, anno regni duodecimo, quum Pausaniam interfectum esse audivisset, teste Justino (libr. III. c. 1–3) novam contra Graecos expeditionem paravit. Hinc Xerxes, morem regum Persarum secutus, qui, quum bellum pararent, successorem designare solebant, eo tempore de successore sibi designando cogitavit et Artaxerxem filium suum in consortium regni assumpsit. Hinc ab hac assumptione ad regnum annus vigesimus Artaxerxis computandus est. Nec obstat, quod illud bellum illatum non est. Nam Xerxes bellum parans aeque sibi successorem designare potuit, ac Darius fecit, quum bellum adversus Athenienses, quod pariter illatum non est, pararet, teste Herodoto lib. 7. c. 11. — His consentit, quod initium regni Artaxersis juxta Thucydidem (Hist. c. 137) incidit in tempus brevi praecedens fugam Themistoclis in Asiam; contigit autem fuga Themistoclis anno 472. Themistocles autem venit ad Artaxerxem.

162. Modo facile adstruitur, vaticinium Danielis jam dudum esse completum. Et re quidem vera Messias venturus dicitur

1) inter hebdomades 70 ordiendas ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem (v. 25);

2) ante civitatis iterum post exilium babylonicum exstruendae eversionem, templique secundi ruinam;

3) ante sacrificiorum mosaicorum abrogationem.

Atqui haec omnia jam a multis abhinc saeculis impleta sunt. Effluxerunt 70 hebdomades sive dierum fuisse dicantur, sive annorum, et quodcunque admittatur earum initium. Evidens quoque est, jam dudum cessasse hostias et sacrificia, dirutam esse civitatem, templumque dissipatum. Ergo et ea completa sunt, quae intra illud temporis spatium eventura erant; id est tum venit, tum inunctus est Messias, morti traditus est, completa est visio et prophetia, deleta est iniquitas et adducta justitia sempiterna; seu quod idem est, jam diu elapsam esse epocham futuri Messiae, ideoque Messiam jam diu advenisse. (Reinerding. theol. fund. tr. I. p. II. c. II. art. I. — Lieb. dem. chr. p. II. c. II. art. III. — Alb. a Buls. theol. fund. p. II. c. III. art. II.)

163. Confirmatur thesis ex vaticiniis Aggaei et Malachiae.

Judaei a captivitate babylonica soluti, et in patriam reversi, multis difficultatibus superatis, novo templo aedificando insudarunt.

Quum autem probe noscerent, hoc templum templo Salomonis structurae magnitudine, magnificentia et opulentia multo inferius futurum, animo ceciderunt et valde contristati sunt. Quos ut erigeret Deus et solaretur, pollicitus est, multo majorem fore gloriam hujus templi, quam primi, eo quod in illud venturus sit Messias. Id duo prophetae clare praedixerunt.

1) Aggaeus cap. II. 7—11 ita loquitur: *Haec dicit Dominus Deus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum, et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes* (i. e. inter gentes magna bella excitabo) *et post haec veniet desideratus cunctis gentibus* (i. e. Messias, per quem gentes benedicendae sunt) *et tunc implebo domum istam* (i. e. templum modo aedificatum) *gloria, dicit Dominus exercituum . . . Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus* (i. e. hoc templum equidem non scatet argento, et auro, quo ego non indigeo, et quod meum est, ubicunque inveniatur) *sed tamen magna erit gloria domus istius novissimae, quam primae, et in loco isto dabo pacem* (nimirum per Messiam, reconciliatorem, qui ideo frequenter princeps pacis vocatur).

2) Malachias, postquam cap. I. oblationem mundam in omni loco offerendam, et nomen Dei in omni loco, et in gentibus magnificandum praedixit, hortatur cap. III. 1. ad sanctificationem templi, et sic Deum loquentem inducit: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.*

164. *Haec vaticinia de Messia agunt;* nam characteres in utroque vaticinio expressi Messiam aperte designant. Solus enim Messias a prophetis ad Judaeos loquentibus vocari potuit desideratus cunctis gentibus, quem patriarcha Jacob expectationem gentium appellavit, pacis auctor; Dominator, quem Judaei desiderabant; angelus foederis, id est qui olim foedus illud celeberrimum antiquum cum Hebraeis pepigit, et novum pacturus erat; atque templi Dominus. Non aliter haec vaticinia intellexerunt plerique ex veteribus Judaeorum magistris.

165. *Haec vaticinia probant etiam, tempus adventus Messiae jam diu effluxisse.* Nam Messias, his vaticiniis designatus, stante adhuc templo secundo seu zorobabelico debuit advenire et tantam sua praesentia illi domui gloriam conciliare, ut templum Salomonicum splendore suo longe superaret. Atqui jam diu templum cum urbe Jerusalem destructum est. Ergo certe Messias jam advenit, atque ideo abrogata lege mosaica nova revelatio hominibus facta est, quae sollicite est investiganda; potest autem tutissime inveniri, si ex characteribus, a prophetis praesignatis, verus Messias dignoscatur, de quibus statim erit sermo. (Alb. a Buls. theol. fund. p. II. sect. I. c. III. art. II. — Lieb. dem. chr. p. II. c. II. art. III.)

Articulus IV.

Ut homines Messiam, per quem abroganda erat lex mosaica, certo dignoscerent, Deus pro infinita bonitate sua etiam characteres ipsius per prophetas assignare voluit.

166. Venturus Messias, per quem abroganda erat lex mosaica, tutissime invenitur, si ex characteribus, a prophetis praesignatis, dignoscatur. Jam vero Deus, ut homines Messiam pro ipsorum salute missum certo dignoscerent, pro infinita bonitate sua non solum tempus pro illius adventu determinari, sed etiam characteres ipsius per prophetas assignari voluit. Plurimae prophetiae in hunc finem editae in sacra scriptura V. T. reperiuntur.

167. Vaticinia, in quibus characteres Messiae praenuntiantur, commode in quatuor classes dividi possunt: alia enim I. referuntur ad ejus *ortum* et *nativitatem;* alia II. ad ejus *vitam;* alia III. ad ejus *passionem* et *mortem;* alia IV. demum ad ejus *resurrectionem* et *exaltationem.*

168. *I. Vaticinia, quae referuntur ad Messiae ortum et nativitatem.* Messias imprimis *Deus* esse debuit et *homo: Deus* ab aeterno Patre genitus, *homo* in tempore natus. Divinam ejus naturam probant 1) tum nomina, quae illi attribuuntur: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus.* (Is. IX. 6) 2) tum ejus origo ab aeterno e sinu Patris: *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te* (Ps. II. 7), et: *Dixit Dominus Domino meo . . . ex utero ante luciferum genui te.* (Ps. CIX. v. 1—3.)

169. Verum autem hominem Messiam fore, evidens est ex pluribus s. scripturae locis. Gen. c. III. v. 15. dicitur semen mulieris. Praedicitur oriundus ex Abrahamo, Isaaco et Jacobo, ex Juda et Davide. Dicit Is. XI. 1.: *Egredietur virga de radice Jesse.* Determinatur etiam locus, quo nasciturus erat Messias, quod constabat apud Judaeos tum ex veteri traditione, tum ex prophetia Michaeae (cap. V. 2): *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.*

170. Messiam concipiendum et pariendum esse a virgine, praedixit Isaias his verbis Achaz regem Juda allocutus: *Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (Is. VII. 14). Relate ad hanc prophetiam imprimis observandum est, prophetas in suis de Messia vaticiniis saepe ex orationis contextu excurrere, et ab eventu aliquo proxime futuro ad tempora ea transferri, quae in omnium Judaeorum votis erant; nec mirum, quum nullus apud hunc populum alicujus momenti eventus exstiterit, qui non aut spem futuri liberatoris, aut ejus desiderium de novo accenderit.

Contextus itaque allatae prophetiae est sequens. Rasin rege Syriae et Phacee rege Israel Hierosolymam obsidentibus, quum Achaz rex Juda signum a Deo petere detrectaret, Isaias (c. VII. v. 13) dixit: *Audite ergo domus David . . . dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,* i. e. nascetur ex virgine filius Davidi promissus, qui sessurus est super thronum ejus: ipse liberabit populum; erit enim Deus nobiscum. Quod autem ad praesentem, quae vos premit, calamitatem attinet, scitote, quod antequam ille Virginis puer eam attigerit aetatem, qua

v. 15 Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere
v. 16 bonum. Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur
terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum. —

pueri boni eligendi et mali reprobandi sunt capaces; antequam et ipse exterius praebeat, se bonum inter et malum discernere, derelinquetur terra, quam tu (Achaz) detestaris a facie duorum regum suorum.

In hoc itaque loco de Messia sermonem esse, apparet ex eo

a) quod Emmanuel i. e. Deus nobiscum dicatur is, quem Virgo erat paritura;

b) quod maxime opportunus fuerit is locus disserendi de Messia; veritus est enim rex Achaz, a duobus regibus oppugnatus, internecionem domus suae ac familiae Davidicae; praeterea vera religio, rege Achazo cultui idolorum addicto, atque fides in venturum Messiam plurimum periclitabatur. Neque obstat, in signo adeo remoto testimonium afferri de irrito conatu duorum regum foederatorum contra Judam; saepius enim confirmatur promissio beneficii proprioris per promissionem certissimam beneficii remotioris. Caeterum signum hoc non datum est immediate regi Achazo, sed domui David, ac proinde nec fuit necessarium, ut statim adimpleretur, sed suffecit sponsio, qua Deus se obstrinxit, se revera daturum esse signum. Ergo ante datum signum non erat delendum regnum Juda; signum autem, a Deo datum erat: Virgo concipiens et pariens Filium Dei. Ergo hoc loco promissa proxima liberatio ab hostibus confoederatis certior reddi potuit per promissionem Messiae pariendi a Virgine certissime adventuri.

171. II. *Vaticinia, quae referuntur ad Messiae vitam.* Messiam praecedere debuit, qui pararet vias ejus (Malach. 3. v. 1): *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.*

172. Messiam munere docendi functurum esse, variis in locis praedictum fuit. Isaias dicit (LXI. 1): *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam . . .*

173. Messiam multis et stupendis miraculis divinam hanc suam doctrinam divinamque missionem confirmaturum esse, testatur Isaias (XXXV. 4): *Deus ipse veniet & salvabit vos; tunc aperientur oculi caecorum & aures surdorum patebunt; tunc saliet. sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum.* His verbis non tantum potestas patrandi miracula exprimitur, sed et genus ipsum miraculorum, quod futuro redemptori et servatori hominum imprimis conveniebat.

174. Messias futurus erat etiam propheta juxta ea, quae Deus dixerat ad Moysen: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus: ipsum audies.* Et: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum, similem tui & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi; qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam.* (Deut. 18. 15. et seq.) Moyses ergo postquam monuit Hebraeos, ne divinos et augures vel sustinerent vel consulerent, subdit rationem: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Promittitur hic propheta κατ᾽ ἐξοχήν, qui similem sibi inter prophetas non habuit. Non enim *surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem* (Deut. 34. 10). Hic igitur sermo est de propheta, qui promissus est a Deo, quando dedit legem ore proprio in monte Sinai, universo audiente populo (huc enim tendit universa haec commemoratio dictorum a populo in die, quo adunatus est populus ad audiendam ex ore Dei legem) ut hinc haurias, quod non de propheta in genere, sed de propheta legislatore est sermo. Deum siquidem timebant audire ad ulteriora legis procedentem, atque ideo aptissime . . . ex tunc promittitur ipsemet Deus in natura humana allocuturus populum humanissime, non majestate . . . Extra propositum erat tunc Deum revelare Moysi futurum prophetam, similem ipsi Moysi, nisi de propheta *legislatore* loqueretur. (Cajet. in h. l.)

175. III. *Vaticinia, quae referuntur ad Messiae passionem et mortem.* Nihil ab imagine, quam sibi posteriorum temporum Judaei de Messia effinxerunt, magis abhorret, quam mors Jesu Naz. et quae eam comitata sunt opprobria et cruciatus. Quod autem Judaeis a prima christianae religionis origine scandalum fuit, id gentibus stultitia visum est. Scilicet homines rerum inanium blandimentis implicati et corpori ac sensibus servientes aliam sibi felicitatis et summae excellentiae ideam fingere non poterant, quam potestatis temporalis et rerum omnium in hac mortali vita affluentiam. Ut autem animalem hanc sapientiam confunderet Deus et animos nostros firmaret in fide Christi, omnes passionis et mortis ejus circumstantias diu ante eventum tam clare praenuntiavit, ut ex prophetis confici posset tota Jesu patientis et morientis historia in omnibus similis illi, quam evangelistae conscripserunt.

Consilium principum, sacerdotum et seniorum de perdendo Christo, et causam odii praedicit Sapiens c. 2, David ps. 2: *Prin-*

*

adversus Dominum, et adversus Christum cipes convenerunt in unum ejus. Vendendum triginta argenteis iisque emendum agrum figuli, Zacharias (c. 11. v. 12): *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos; et dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Messiam tempore passionis a suis desertum iri praedixit Zacharias (c. 13. v. 7): *Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem et dispergentur oves* Conspuendum, caedendum in faciem, Isaias (c. 50. v. 6): *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Flagellandum et accusandum a falsis testibus, David ps. 128: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Ps. 26: *Insurrexerunt in me testes iniqui.* Mortis supplicio afficiendum, Daniel (9. 26.): *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Genus autem mortis, ps. 21., quem de Messia explicandum esse, apparet ex eo, quia varii ipsius versus (17. 19. etc.) litteraliter de Davide intelligi non possunt et v. 28. et 29. de conversione gentium sermo est. Dicit autem ibi Messias: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me.* Messiam, dum mortis supplicio afficitur, cum iniquis reputandum, illisque consociandum esse, praenunciavit Isaias (53. 12.): *Tradidit in mortem animam suam et cum iniquis reputatus est.* Messiam in cruce pendentem, maximo despectui habendum, contumeliisque afficiendum ps. 21.: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis: omnes videntes me deriserunt me. locuti sunt labis et moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Felle et aceto potandum, 68. v. 22; ps. 68: *Dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto.* Divisionem vestimentorum, ps. 21: *Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.* Messiam morientem pro adversariis suis precaturum, Isaias (53. 12.): *Ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit.* Messiam vere moriturum esse, clare Isaias vaticinatus est (53. v. 7. 8. 10.): *Oblatus est quia ipse voluit; . . . sicut ovis ad occisionem ducetur . . abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum.* Messiae crura confringenda non esse, praefiguratum fuit in agno paschali, circa quem Israelitis praeceptum fuit (Ex. 12. 44.): *Nec os illius confringetis.*

176. IV. *Vaticinia. quae referuntur ad Messiae resurrectionem et exaltationem.* Occisus Messias resurgere debuit juxta ps. 15. v. 10: *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem,* quae non alium, quam Messiam attinent; hic enim *Sanctus Dei* autonomastice dicitur, sicut Dan. 9. *Sanctus Sanctorum.* Certe de David intelligi non possunt. David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei dormivit, et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem.

Demum ascensionem Messiae praedixit David ps. 67. v. 19: *Ascendisti in altum: cepisti captivitatem:* Ps. 109 v. 1.: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.* Missionem Spiritus sancti Joel (c, 2. v. 28.): *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae.*

177. Multa ergo et praeclara vaticinia in s. scriptura V. T. leguntur, variis temporibus prolata ac conscripta et ad unum nobilissimum thema collineantia, i. e. ad venturum Messiam et ad instituendum ab ipso regnum. (Lib. dem. chr. p. II. sect. II. art. II. Alb. a Buls. theol. fund. p. II. sect. I. c. III. art. III. — Theol. Wirceb. tom. II. diss. I. sect. I. art. IV.)

Caput IV.

De religione christiana.

Articulus I.

Christi character tam insignis est, ut naturali modo nullatenus explicari possit.

178. Praeterlapsis jam circiter quatuor mille mundi annis, ad finem vergentibus hebdomadibus praedictis a Daniele, quum foedus polytheismus sub variis formis late dominaretur et deterrimam morum corruptionem inter gentes produceret, apud Judaeos autem vera religio tum per sectas Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum, tum per praeposteros conceptus de Messia terrestri ac nationali valde corrupta esset; regnante caesare Augusto sub praeside Syriae Cyrino natus est in Judaea in civitate David, quae vocatur Bethlehem, puer ex Maria, quae erat de domo et familia David, et vocatum est nomen ejus Jesus, qui, factus vir, instituit novam religionem, quae, ab ipso *christiana* dicta, jam per novemdecim saecula totum per orbem terrarum disseminata florescit.

179. A Jesu religionem christianam fundatam esse, certum est 1) tum ex testibus domesticis, synchronis atque oculatis: Mathaeo, Joanne, Petro, Jacobo, Juda Thaddaeo; et coaevis: Paulo, Marco et Luca; tum ex testibus extraneis: Tacito, Plinio jun., Suetonio, Josepho Flavio. Consentiunt etiam ipsi Judaei et Muhamedani. Tacitus (l. 15. ann.) referens persecutionem christianorum ait: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus est.* 2) Ex factis historicis, quia cum annunciatione religionis per Christum jam per novemdecim saecula gravissimae politicae, religiosae ac morales mutationes atque eventus sunt connexi: uti praedicatio apostolorum, subversio religionis mosaicae et politheismi per religionem christianam, conversio rationis cogitandi, sentiendi et vivendi in parte humani generis maxima, dissensus et discessus ab Ecclesia catholica per haereses et schismata. Revindicatio locorum natalium Christi per expeditiones cruciatas. Festa denique ac memorialia alia in honorem Christi instituta. Tam insignis eventus causa nec casus fortuitus, nec traditio vaga, nec commentum humanum esse potest, sed ipsa veritas historica christianismi qua sufficiens et adaequata ratio necessario admittenda est.

Quae de Christo ipsiusque religione dicenda sunt, potissimum ex sacris libris N. T. petuntur, quos genuinos, integros et omni fide dignos esse, in studio biblico probatur.

180. *Character Christi, auctoris religionis christianae, tam insignis est, ut naturali modo nullatenus explicari possit.* Quod ut demonstretur, sufficit ex vita Christi, quae potest ut nota supponi, duo tantum momenta proferre, i. e. Christi doctrinam ipsiusque characterem religiosum; neutrum potest ex causa naturali explicari; utrumque expostulat causam supernaturalem, divinam.

181. Et Christi quidem doctrina, psychologice considerata apparet nobis ut inexplicabile aenigma; tam sublimis, tam salutifera illa est, ut naturali modo nullatenus explicari possit. Nam

1) Christus ex proprio ingenio mere naturali tam excellentem doctrinam invenire non potuisset, quum praeclarum etiam ingenium, nisi circumstantiae loci, temporis et educationis faveant, vix ultra mediocritatem excrescat, ac rudi sub climate et natione fors poeta aut heros, non autem sublimis omnique exceptione major religionis doctor exsurgat. Etiamsi ingenium singulare sibi propriam viam sternat, circumstantiis tamen foveri debet, quibus activitas illius incitetur. Ipsi philosophi ethnici, maximo ingenio praediti, ab optimis

magistris instructi, et in oppidis, scientiarum laude florentibus, constituti doctrinam tam sanctam et ab erroribus liberam invenire haud potuerunt; quomodo id nuturaliter valuit vir Nazarenus, in medio gentis Judaicae in lucem editus, quae nunquam eruditione celebris fuit, quae, cultui caeremoniali supra modum addicta, nationali ambitione politicum Messiam praestolabatur, a pauperibus parentibus nutritus, quorum laus fuit a probitate et justitia, non a litteris ac scientia?

2) Neque Christus apud exteros potuit ad hanc sapientiam incitari, quia ad eos profectus non est. Qua infans quidem a parentibus delatus fuit in Aegyptum, at mox reductus in patriam est defuncto Herode. Etiamsi sublimior obtinuisset in Aegypto penes sacerdotes religionis scientia, hac ergo Christus adjuvari non potuit, nullaque apparent eruditionis aegyptiacae in ipso vestigia; et annorum quum esset duodecim, *stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus* (Luc. II. 47), vitamque duxit privatam in oppidulo Nazareth, quod apud ipsos nationales suos in vili supposito erat: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* (Joa. I. 46.) Ideo admirabantur concives ejusdem, dum publice prodit: *Omnes testimonium illi dabant: et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius et dicebant: Nonne hic est filius Joseph?* (Luc. IV. 22.) Ideo admirabantur etiam Jerosolymae sapientiam ejus: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* (Joa. VII. 15.)

3) Christi doctrina rationem sufficientem nec habet in doctoribus gentilibus, quia Christus nec more philosophorum ad eos peregrinationem instituit, ut ex conversatione cum ipsis doctrinam colligeret, nec libros eorum comparare pauper, nec intelligere indoctus Nazarenus potuit, et si potuisset, tam sanctam et erroribus expertem doctrinam nullibi invenisset: et tamen Graeciam & Romam sua doctrina superavit incomparabiliter.

4) Neque demum a Judaeis Christus doctrinam suam haurire valuit. Religio enim mosaica, licet divinitus revelata, perfectionem tamen doctrinae christianae non attigit. Praeterea ipsa religio mosaica illo tempore valde corrupta fuit per falsas traditiones, et spurias doctrinas tum Pharisaeorum, tum Sadducaeorum, tum Essenorum; quomodo solus vir Nazarenus dispersas veritates colligere, ab omnibus nationis suae praejudiciis et erroribus liberare et ad universalem generis humani religionem elevare potuisset?

Quam longe aliter res se habebat cum Socrate & aliis viris sapientibus! Ipse Rouseau scribit: „Socrates invenit quidem doctrinam moralem, postquam

non erat igitur necessarium aliud, quam
tamen alii eam deduxerunt in praxim; non erat necessarium aliud, quam literis mandare eorum
exprimere jam factum; non erat necessarium aliud, quam Socrates dixit, quid esset justitia; Leo-
exempla. Aristides prius justus erat, quam Socrates officium injunxit
nidas prius jam mortuus est pro suis civibus, quam Socrates sobrietatem laudavit,
amandae patriae; Sparta erat sobria prius quam Socrates sobrietatem laudavit,
prius quam ipse definivit virtutem, Graecia multis jam abundabat hominibus vir-
tute praeditis. Sed ubi Christus accepit a suis illam doctrinam moralem tam
excellentem, tam puram, quum ab ipso solo exemplum alii sumere potuissent?
(Videte in sermone facto in monte illam comparationem, quam ipse de morali
doctrina instituit, sec. Mathaeum c. 5. v. 55). Ex sinu fanatismi perquam fer-
ventis effloreseit sapientia quam maxima, et simplicitas virtutum perquam heroi-
carum honoratur a populo omnium vilissimo".

182. Christi ergo doctrina, psychologice considerata, tam insignis est, ut naturali modo nullatenus explicari possit.

183. Quod deinde ad Christi characterem religiosum attinet, et ipse tam insignis est, ut a causa naturali explicari nequeat. Christus Jesus non solum se ab omni peccato immunem praestitit, adeo ut, etsi in omnibus humanis malis tentaretur nobiscum, ipsos suos hostes provocare posset: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (Joa. VIII. 46). Non solum discipuli Christi, sed etiam judices ipsius Pilatus et Herodes confessi sunt Christi innocentiam; inimici, qui ejusdem vitae insidiabantur, non habebant, quod contra ipsum exciperent, praeterquam quod leges caeremoniales, quarum spiritum ipsi non intellexerunt, non observaret et regnum sibi arrogaret, titulum Messiae sinistre interpretati. Ipse proditor ipsius desperans palam confessus est, prodidisse se sanguinem justum. Praeterea Christus praestitit se etiam sanctissimum, dum in vita sua privata exhibuit se erga Patrem et matrem subditum, erga superiores ecclesiasticos et civiles morigerum et obsequentem, erga parvulos et pauperes benevolum, erga peccatores mitem et misericordem; erga gaudentes congaudentem, erga miseros compatientem, erga benefacientes gratum; erga amicos addictissimum, erga discipulos patientem et benignum; honorificavit nuptias, Petrum se abnegantem gratiose respexit, matris in ipsa ara crucis sollicitam curam gessit, item discipulorum, sicut illius ultima valedictio demonstrat.

Erat igitur Christus Jesus veri nominis *ideale* humanitatis perfectae, in quo pura ac simplex virtus sine naevo et defectu in maximo gradu eminet. Et quidem erat Christus *ideale originale*, quia spiritui suorum coaetanaeorum ac sapientum gentilium et Judaeorum oppositis penitus ducebatur principiis; non erat ipse pure legalis ut

Pharisaei, non mollis ut Sadducaei, non rigidus ut Esseni, non apathicus ut Stoici, non paradoxus ut Diogenes. (Fej. de relig. §. 61.)

184. Christi igitur character, tam psychologice quam religiose consideratus, tam insignis est, ut naturali modo nullatenus explicari possit.

Articulus II.

Christus palam professus est, se esse Dei legatum, Messiam, Deum ipsum.

185. Christi characterem, tam psychologice, quam religiose consideratum, esse naturali modo inexplicabilem, jam vidimus. Cuilibet studio et ira vacuo perspicuum est, judicium personae talis characteris multum valere. Videamus igitur, quid Christus judicet de se ipso.

186. Christus tum provocat ad adversarios, ut examinent, an ipse sit a Deo missus, tum expressis verbis id affirmat. Quod ad primum attinet, narrat Joannes (c. VII. v. 14—17): *Festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. Et mirabantur Judaei dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Judaei itaque mirabantur tantum, quum perspicere debuissent, nihil puri hominis in Jesu fuisse. Verum quia hoc illi confiteri nolebant, sed mirabantur solum, ideo Christus dicebat: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Rursus eorum suspicioni respondet ad Patrem illos abducens, ut inde illis silentium imponat: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar*, i. e. si quis virtutis sit amator, doctrinam meam non esse puri hominis, sed a Deo, cujus unius nomine, non meo, loquor.

Christus secundo expressis quoque verbis affirmat, se esse legatum Dei. Etenim *clamabat Jesus in templo docens, et dicens: Et me scitis, et unde sim scitis: et a meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum: quia ab ipso sum, et ipse me misit.*

Idem evangelista (XII. 44. 45.) sic refert verba Christi: *Qui credit in me non credit in me, sed in eum, qui misit me. Et qui videt me, videt eum, qui misit me.* Similiter (c. XVII. 3): *Haec est autem vita aeterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.*

Est ergo factum historicum, Christum coram discipulis, populo, scribis et Pharisaeis publice saepius professum esse, se esse legatum Dei.

187. Eodem modo palam appellat Christus praesentes suos auditores, ut testimonium perhibeant, an ipse sit promissus Messias.

Joannes — ita narrat S. Mathaeus (c. XI. 2—7) — *cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es? an alium expectamus? Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Jesus nimirum provocat ad miracula, quibus Messias se ceu talem tamquam argumento validissimo secundum Isaiam prophetam (XXXV. 5. LXI. 1) confirmaturus erat. Cum Isaiae prophetia comparare ergo debebant Joannis discipuli opera Jesu Nazareni, quae viderunt et audierunt, et sic poterant sibi ipsi responsum dare, utrum Jesus sit promissus Messias.

Imo Jesus expresse etiam asserit, se esse Messiam. *Scio*, dixit mulier Samaritana, *quia Messias venit*, (*qui dicitur Christus*): *cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dixit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum* (Joa. IV. 25—26).

188. Christus denique provocat ad opera tamquam ad testimonium irrefragabile suae divinitatis: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre* (Joa. X. 37—38).

Imo Jesus publice professus est, se esse filium Dei. *Audivit Jesus*, sic narrat, (Joa. c. IX. 35—38), *quia ejecerunt eum* (caecum natum) *foras: et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? respondit ille et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.*

Adjuro te, ait Christo princeps sacerdotum, *per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dixit illi Jesus: Tu dixisti.* Hanc Christi responsionem in proprio sensu intellexisse principem sacerdotum, manifestum est ex sequentibus. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit! Quid adhuc egemus testibus?* (Matth. XXVI. 63—66.)

Idem colligi potest ex pluribus locis s. Scripturae: *Ego et Pater unum sumus* (Joa. X. 31). *Deus erat Verbum . . . et Verbum caro factum est* (Joa. I. 1 et 14).

189. Non est necessarium, ut omnia hic afferantur, quae Christus de se ipso affirmavit. Allati textus abunde demonstrant, Jesum Nazarenum coram populo, discipulis, scribis et Pharisaeis saepe publice et manifeste declarasse, se esse legatum Dei, Messiam, Filium Dei.

Vel ergo haec Christi declaratio vera est, vel dicendum esset, Christum fanaticum fuisse et se a Deo inspiratum falso credidisse; aut insignem impostorem, qui divinam missionem mentitus esset, ut homines deciperet. Atqui nihil ejusmodi de Christo vel suspicari tantum permittit tota ejus inter homines conversatio, plus quam humana sapientia et sanctitas, quae ex omni ejus vitae ratione elucent. Quis enim sibi persuadeat, virum tam longe ab omni mali suspicione remotum homines decipiendi consilium cepisse et, quum ubique tam purum Dei amorem spiraret, omnem tamen Dei amorem ita abjicere voluisse, ut Dei legatum ac promissum a prophetis Messiam et Filium Dei se dicere non vereretur, nisi tanta ipsi dignitas competeret?

Praeterea an homo fanaticus in illa potuisset religionis dogmata incidere, quae religio christiana docet? quae vis imaginandi potuisset admirabilem illum legum complexum invenire, atque omnia, quae Deum et religionem, quae virtutes et officium hominum attinent, tam clare sine omni errore et confusione evolvere? Ergo neque decipiendi consilium habere potuit Christus, neque fanatico errore ipse deceptus fuit. Hinc tum ex his, tum ex illis, quae de Christi charactere dicta sunt, concludi potest, Christum re vera esse Dei legatum, Messiam promissum, Filium Dei.

190. Licet res ita se habeat, non sunt tamen haec sufficientia ad scientificam demonstrationem.

Si Christus est a Deo promissus et missus Messias, si ille est Filius Dei, adsint necesse est alia adhuc testimonia, quae eum ut talem demonstrent.

Si Christus est promissus Messias, debent in ipso impleri omnes prophetiae, quae praenuntiatae sunt a prophetis.

Si Christus est Dei Filius confirmetur necesse est testimonio divino ut talis.

Si Christus est promissus Messias, demonstret oportet hanc suam missionem miraculis, sicut et ceteri legati Dei demonstrarunt suam a Deo missionem.

Si Christus est promissus Messias et Filius Dei, redemptio per ipsum facta apparere debet ut opus, quod nonnisi *a Deo* effici potest.

Et re quidem vera Christus ipse provocat ad testimonia prophetarum, ad testimonium coelestis Patris, ad miracula a se patrata, ad fructus suae doctrinae et operationis. Haec igitur testimonia per partes sunt modo examinanda.

Articulus III.

Vaticinia messiana cum omnibus suis adjunctis in solo Christo adimpleta sunt.

191. Prophetiae ex V. T. desumptae primum quidem ad convincendos Judaeos vim maximam habent; deinde etiam contra deistas argumentum non leve suppeditant, quia probant, Christum Dei legatum fuisse, ac divino charactere insignitum, quem spernere non possumus, nisi spernamus et Patrem, qui misit eum. Quoniam porro supra jam probatum est, abrogationem legis mosaicae per Messiam fieri debuisse; sequitur omnes prophetias, quae probant, Christum Jesum esse Messiam Judaeis promissum, etiam divinam legis ejus originem probare. Hae autem prophetiae vel I. *tempus* respiciunt, quo venire debuit Messias; vel II. *Messiae characterem;* vel III. individuas notas tum *personae tum vitae.* Jam vero hae omnes prophetiae in solo Jesu Christo sunt impletae. Animadvertendum est denique, has omnes prophetias, in Christo impletas, simul considerandas esse, ut majorem vim persuadendi exerant.

192. *Dem. I. partis.* Prophetias, quae tempus Messiae respiciunt, in Jesu Nazareno impletas esse, probatur sequentibus rationibus.

1) Tempus adventus Messiae jam diu effluxisse, ex Jacobi vaticinio jam probavimus. Atqui Messias ille alius esse non potest, quam Jesus Nazarenus. Ex Jacobi videlicet morientis oraculo apertum est, Messiam eo tempore venire debuisse, quo sceptrum erat a Juda auferendum, seu antequam penitus dissolveretur Judaeorum natio. Sed tunc praecise apparuit Jesus Nazarenus. Jam sceptro seu suprema regni potestate privati erant Judaei, jam Herodes alienigena regnum Judaeae a senatu et populo romano acceperat, cum Jesus in Bethlehem natus est. Paulo post Herodis mortem Judaea Idumaeis erepta et in provinciam romanam redacta est, nullumque amplius principem habuit sua auctoritate constitutum. Ergo tunc jam defecerat sceptrum de Juda. Mortuo autem Christo tota Judaeorum natio multo magis ad exitium properavit, ita ut triginta octo annis post tota eorum constitutio incenso templo et diruta urbe eversa fuerit. Ergo tempus adventui Messiae a prophetia praefinitum cum tempore Jesu Nazareni accurate concurrit. Confirmatur assertio nostra etiam ex eo, quia eisdem temporibus exploratum erat Judaeis, propinquum esse adventum Messiae.

2) In Danielis vaticinio tempus adventus Messiae clare exprimitur. Occidendus erat Christus, antequam civitatem et sanctuarium

dissiparet populus cum duce venturo, et quidem ita dissiparet, ut statuta esset perpetua desolatio. Atqui nullus alius nominari potest, qui eo tempore advenit, et cui omnes characteres, in prophetia expressi, possint applicari quam *Jesus Nazarenus.*

Et sane secundum Danielis prophetiam Messias, ut in alia thesi demonstravimus, anno 483 post decretum de urbe reaedificanda, qui in annum 29 vel 30 aerae vulgaris incidit, stante adhuc templo et urbe advenire debuit. Hoc esse ipsum tempus, quo Christus magisterium suum inceperit, facile sic ostenditur.

a) Terminus, a quo prophetia Danielis incipit, est edictum, quod Artaxerxes dedit anno XX regni sui de reaedificanda urbe. Ergo hebdomades Danielis decurrere coeperunt, sicut alibi demonstratum est, anno 453 ante Christum i. e. anno 300 Urbis conditae. Hinc si ineamus calculum 70 hebdomadarum anno 20 Artaxerxis et Urbis conditae 300, habebimus finem hebdomadis 69, nempe anno 483, et initium hebdomadae septuagesimae anno Urbis conditae 783, qui est Tiberii imperatoris annus 15; sed hic annus est annus publicae manifestationis Christi. Nam s. Lucas c. 3. Joannem scribit poenitentiam praedicare coepisse anno Tiberii Caesaris decimo quinto h. e. inter 19. mensis Aug. anni 28 p. Chr. et 19 mensis Aug. 29 an. p. Chr., cum Imper. Augustus 19. Aug. anni 14. obierit. Jam vero Christus aliquanto temporis post Joannem praedicare coepit. Ergo Christus ante finem anni 29 vel ante initium anni 30 aerae vulgaris praedicare non coepit, et si christianae traditioni baptismum Christi die 6. Januarii recolenti aliquid deferendum sit, jam probabilissime initium magisterii Christi in initium anni 30 referendum est, quod idem tempus Daniel assignavit.

b) Christus anno 33 aerae Christianae mortuus est. Nam mirabilem ecclipsim tempore plenilunii, quam evangelistae in morte Christi contigisse narrant, chronicon Alexandrinum in annum 19 Tiberii (Tiberius anno 14 post Chr. regnare coepit) et Phlegon in annum 13 olymp. 202 h. e. in annum 33 aerae vulgaris referunt (olymp. computantur ab anno 776 ant. Chr.) Varro dicit 3° 6ae olymp.

Nec minus cetera omnia, quae Daniel in vaticinio suo tamquam signa dedit, evenerunt. Imprimis decretum de Hierosolyma rursus aedificanda emanavit; muri etiam et platea in angustia temporis, uti futurum esse praedixerat, aedificati sunt. Evenit pariter, quod v. 26 supponit, ut loco templi destructi novum aedificaretur. Quod deinde ad praecipuum vaticinii objectum attinet, Christus in media hebdo-

madā septuagesima occisus est et cum ejus morte sacrificia Judaeorum, quae hujus mortis praefigurativa erant, legaliter cessaverunt, ut vaticinium postulat. In hebdomada etiam septuagesima, ab anno sc., quo Christus Judaeam peragrans praedicare coepit, usque in quartum annum post ejus mortem multi Judaeorum ad fidem Christi sunt conversi, quibus pactum est confirmatum. Christus porro delevit peccatum et justitiam adduxit, dum dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni peccato et justitiam promereret, dum paganismi abominandos cultus sustulit, et sanctam instituit religionem, quae per novemdecim saecula laetissimos reddit fructus.

Nec minus vaticinium Danielis in illis eventis verificatum est, quae mortem Messiae subsecutura esse praedicuntur. Urbs et templum, ut Daniel praedixerat, hostili manu destructa sunt, et quam vere Daniel praedixerit, ipsam templi destructionem perpetuam esse futuram, hoc quoque eventus confirmavit.

3) Quae in Aggaei (II. 7—11) et Malachiae (III. 1) de Messia et tempore adventus ipsius dicuntur, nulli nisi Christo Jesu, convenire possunt. Hic enim in mundum venit stante adhuc secundo templo, cui sua praesentia decus attulit maximum. In eo praesentatus est, in eo docuit et miracula edidit, in eo summam muneris sui prophetici auctoritatem exercuit. Secundum Malachiam angelus Domini praeparare debebat populum ante Messiam. Sanctus Joannes affirmat, se esse illum angelum, et ut talis confirmatur ab ipso Christo dicente de Joanne: *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.* (Math. XI. 10.)

193. *Dem. II. partis.* Prophetias, quae futuram legis mosaicae abrogationem praedicunt, in Jesu Nazareno impletas esse, manifestum est. Nam

a) Christus foedus novum in locum veteris substituit et novi testamenti angelum, novi foederis mediatorem se dixit vivens, et moriens etiam probavit. Sic in ultima coena sanguinem suum discipulis porrigens dixit: *Hic est sanguis meus novi testamenti.* (Math. XXVI.) De novo hoc foedere, cujus sequester fuerat Jesus, saepe loquuntur apostoli: *Qui nos idoneos fecit ministros novi testamenti* (II. Cor. III.). Et: *Melioris testamenti sponsor factus est Jesus.* (Hebr. VII. 22. VIII. et seq.)

b) Sacrificia V. T. Jesus Nazarenus abolevit, quum seipsum obtulit pro peccatis nostris, ut constat ex ep. ad Hebr. X: *Impossibile enim est, sanguine taurorum, et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.* In locum horum sacrificiorum Christus novum sacrificium instituit, quod ubique terrarum offertur; item novum sacerdotium instituit, quum extincto ritu Aaronico ipse „appellatus est a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech" (Hebr. V). Quod autem mors ejus et rejectio per populum judaicum perpetuam civitatis eorum et templi ruinam adducturae essent, ipse flens praedixit Luc. XIX.

c) Nihil est in V. T. clarius et frequentius a prophetis praenuntiatum, quam gentium vocatio ad verae religionis cognitionem. At nihil quoque est in lege nova clarius, crebriusque expressum, quam haec gentium vocatio per Jesum Nazarenum: et si sacrae litterae silerent, facta ipsa et orbis universus loquerentur. Itaque illud, quod futuri Messiae characterem praecipuum efficere debuit, in Jesu Christo apertissimum est, et tot habet testes, quot fere ab eo tempore extiterunt christiani. Id Jesus vivens praedixerat: *Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus* (Math. XXIV). Id apostolis suis, antequam ad Patrem ascenderet, injunxit: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* (Marc. XVI).

194. *Dem. III. partis.* Prophetiae, quae Christi vitam et mortem praenuntiant, in Jesu Nazareno impletae sunt. Et sane

1) certum est, Jesum Nazarenum verum Deum et hominem se probasse atque ut talem a suis habitum esse, quemadmodum in evangelio perspicuum est. Item Christus juxta consentientem omnium discipulorum vocem et genealogias ab ipsis contextas e stirpe regia Davidis ortus est. Jesum ex progenie David esse clamant caeci (Matth. IX. 27): *Miserere nostri, fili David!* turba plurima in ipsa urbe Jerosolyma et templo: *Hosanna filio David,* Chananaea (Matth. XV. 22): *Domine, fili David!* — Jesum Nazarenum ex virgine Maria natum esse in Bethlehem Matthaeus docet (c. I. 20. et seq. II.).

2) Verba Isaiae, juxta quae praedicitur Messias evangelium praedicaturus, Christus ipse ad se applicat Luc. IV. 18. et seq. Quam vere id fecerit, historia evangelica probat. Item Christus doctrinam suam, ut videbimus, miraculis et prophetiis confirmavit.

3) Varias Messiae aerumnas relate ad passionem in variis prophetarum locis singillatim praedictas ad apicem in Christo Jesu esse impletas, testatur historia.

4) Esse quoque impletas prophetias tractantes de Christi resurrectione et regno, videbimus suo loco.

195. Comparemus itaque prophetias in alia thesi allatas cum ipsarum impletione et faciamus debitam conclusionem.

Omnes prophetiae, de quibus hic sermo, ab omnibus usque ad Christi tempus, imo et postea a scribis et legis peritis agnoscebantur ut prophetiae, quae ad Messiam, ad unam tantum et concretam personam in tempore venturam pertinent. Istae prophetiae sunt tam *copiosae*, tam *clarae* et Messiae vitam et personam tali modo designant, ut ipsa tempore, quo ventura praedicitur, a quolibet homine cum certitudine cognosci possit. — Istae prophetiae conservabantur a populo per plura saecula ante Christum, vertebantur in alias linguas, innotescebant etiam aliis nationibus.

Ratione harum prophetiarum exspectabant Judaei tempore Christi adventum Messiae. Ipsae gentes, in quantum hujusmodi promissiones cognoscebant, hoc tempore exspectabant aliquem a Deo missum redemptorem, sicut testantur Suetonius et Tacitus. Prior (in vita Vespasiani c. IV.) scribit: *Percrebuerat Oriente toto vetus ac constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur.* Posterior autem (histor. lib. 5) ait: *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur.*

Quae omnes prophetiae in Jesu Nazareno et per Jesum ad apicem impletae sunt, et Jesus ipse provocat ad prophetiarum impletionem ipso momento, quo implebantur. Ipse a magna parte nationis ut Messias agnitus est. Nam *cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilaeae* (Math. XX. 10, 11).

Qui haec omnia rite considerat, necessario convincitur, Christum esse promissum Messiam. Sacrae enim litterae judaici populi Messiae promissiones continent ipsiusque imaginem perfecte exprimunt. Historia populi hebraici aliam personam designare nequit, quae huic imagini responderet, licet tempus adventui Messiae praefinitum jam diu elapsum sit. Ergo *Jesus Nazarenus est promissus Messias, in quo benedicendae sunt omnes gentes.*

196. *Scholion.* Inter characteres Messiae hunc praecipuum reponunt Judaei, quod advenire debeat ceu rex potentissimus, qui populum israeliticum ab adversariis suis liberet, super alias gentes exaltet, omnique felicitate temporali referciat.

Ast falsam prorsus hanc ideam esse, multa sunt, quae commonstrant. Nam

a) praeconcepta Judaeorum opinio ipsis promissionibus divinis contradicit, juxta quas Messias non solis Judaeis, sed cunctis gentibus benedictionem allaturus dicitur.

b) Si magnifica de Messia ipsiusque regno in prophetiis leguntur, quorum tamen plura ad Christum ut Deum vel ut hominem sed in gloria constitutum pertinent, multa tamen praedicuntur de illo, quae cum idea regis temporalis potentissimi conjungi nullatenus possunt. Dicitur enim (Is. 53) vir dolorum, (Zach. 9. 9.) pauper, (Daniel IX.) negandus et occidendus a suis, (Ps. 21.) vermis & non homo; opprobrium hominum & abjectio plebis, quae omnia magnificentiae terrenae & felicitati temporali e diametro opposita sunt.

c) Ideo ut oracula prophetarum conjungantur, necessario asseritur, Messiam futurum fuisse regem, sed non temporalem verum spiritualem. Id in ipsis vaticiniis non obscure indigitatur: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus. (Ps. II. 6.) Arma quoque, quibus Messias gentes erat victurus sibique subjecturus, spiritualia praedicantur. Isaias enim c. XI. de Messia inquit: Percutiet terram virga oris sui & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Effectus quoque, quos Messias super populum judaicum & super urbem sanctam producturus erat, mere spirituales recensentur. Ideo enim a Daniele advenire dicitur: ut consummetur praevaricatio & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas & adducatur justitia sempiterna.

Ex his omnibus apparet, Messiam ut regem mere spiritualem a prophetis praedicatum fuisse.

d) Opinio demum Judaeorum nulli solido fundamento innititur. Loci enim, quos ipsi ex prophetis pro re sua citant, vel ad Messiae tempora non spectant, sed solum ad liberationem ex captivitate babylonica referuntur, uti est locus Jeremiae c. XXIX. v. 14. vel ad regnum Messiae spirituale spectant, quod ad omnes gentes extendendum dicitur. (Reinerding dem. chr. pars pot. sect. I. c. II. art. I. — Alb. a Buls. theol. gen. p. II. sect. I. c. III. art. III. — Lieb. dem. chr. p. II. sect. II. art. III.)

Articulus IV.

Christus missionem suam divinam miraculis demonstravit.

197. Si Christus est legatus Dei, promissus Messias & Verbum caro factum, jure expectari potest, ut quemadmodum ceteri legati Dei, ita et ipse qua talis a Deo extraordinariis signis confirmetur, jure expectari potest, ut ipse suam divinam missionem miraculis demonstret. Hoc expostulat:

1) Ipsa natura rei, quia ad religionem aliquam, qua divinitus revelatam, universalem reddendam, divina etiam testimonia requiruntur. Intima veritas ac comprobatio religionis ex scripturarum documentis provocare utique potest attentionem et efficere persuasionem virorum doctorum, nequaquam vero indoctorum: pro his signa extraordinaria sunt necessaria.

2) Finis Christi, qui alius non fuit quam religionem inter homines existentes perficere. Fieri autem non potuit, ut finis iste obtineretur absque signis; nam pauper Jesus ex Nazareth veniens alio modo auctoritatem sibi conciliare nullatenus potuit, et eo quidem minus, quod ceteri religionis auctores, doctores, prophetae signis inclaruerint. Sic v. g. Moyses multis miraculis introduxit ac fundavit religionem a se promulgatam.

3) Praesens status, in quo natio judaica tempore Christi versabatur; expectabat enim illa Messiam terrestri majestate illustrem, & missionis veritatem ex signis (Joa. II. 18. — VII. 31.) fere aestimabat. Unde perfectio religionis mosaicae & introductio novae ex auctoritate divina illustria plane miracula exigebat.

198. Ante omnia ipse Pater testimonium dedit Jesu Nazareno.

1) *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei* (S. Paul. Hebr. I. 6). Claritas autem Dei circumfulsit pastores in regione Bethlehem et angelus Domini dixit illis: *Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David* (Luc. II. 10, 11). Et sicut pastoribus angeli, sic magis stella, jubente Domino, demonstrat Christum, quippe quae ad ostensionem ipsius erat creata. Viderunt enim magi *stellam ejus in Oriente*, et venerunt adorare eum (Matth. II. 2).

2) Deus testimonium quoque dedit Jesu Messiae munere fungenti. Aperti sunt enim coeli, quando baptizatus Jesus ascendit de aqua. *et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (Matth. III. 17). Idem testimonium dedit Pater Jesu

tempore transfigurationis. Vix nube obvoluti sunt Moyses et Elias, cum ex nube exivit vox Patris dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipsum audite* (Matth. XVII. 5). Ipse Jesus invocat Patrem: *Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de coelo: Et clarificavi, et iterum clarificabo* (Joa. XII. 28).

3) Sicut nato et Messiae munere fungenti Jesu, sic et morienti Dominus testimonium dedit. Etenim in passione Jesu magna signa facta sunt, ut crucifixum Dominum suum et coelum, et terra, et omnia demonstrarent. In passione Domini Salvatoris *tenebrae factae sunt in universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol: et velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Jesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens expiravit* (Luc. XXIII. 44—47). *Et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt: et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis* (Matth. XXVII. 51—54).

Igitur *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo* (Joa. V. 9, 10).

199. Miracula, quae Christus ipse in confirmationem suae doctrinae patravit, pertinent ad res inanimatas & omnis generis languorum & infirmitatum sanationes, ad mortuorum resuscitationem & liberationem a daemonibus.

200. Ut argumentum ex Christi miraculis petitum valeat, constare debet I. facta illa mira revera contigisse, II. ea esse vera miracula, eadamque III. patrata fuisse in confirmationem missionis Christi divinae atque doctrinae illius, quam Christus Dei nomine promulgavit.

201. *Dem. I. partis.* Certum est imprimis, facta illa mira revera contigisse. Supposita demonstratione authentiae & integritatis sacrarum litterarum, demonstranda tantum venit auctoritas virorum, qui illa miracula narrant. In quo negotio duo constare debent: *a)* testes rem, quam narrant accurate cognovisse, et *b)* eos, ut sciebant, rem dixisse.

Dem. a) Jam vero evangelistas res, quas tradunt accurate cognovisse, manifestum est. Evangelistae enim

*

1) Vixerunt eo tempore eoque loco, quo Jesus inclaruit et vel praesentes viderunt effectus (1. Joa. I. — Act. I. 21.) vel a spectatoribus, quos testes oculatos vocant, hauserunt traditiones suas (Luc. I.). Narrant autem facta tam diligenter per partes singulas et publice (Act. II. 22.) coram adversariis, ut veritatem eorum ne judicia quidem in dubium vocent. Narrationes autem ipsae sunt consentaneae tum indoli hominum, temporum, locorum, et morum, tum rationi legum et institutorum. Imo quae evangelistae per occasionem tantum commemorant cum narrationibus testium fide dignissimorum omnino consentiunt.

2) Character hominum, quos evangelistae describunt, ita conspirat cum ingenio agentium et loquentium, ut aut callidissimos confictores personarum fuisse statuas oportet homines rudes, aut eos vivorum imagines depinxisse agnoscas.

3) Evangelistae constanter fidem narrationum suarum tuebantur, licet initio tardi fuerint corde et diffidentiores potius quam creduli. (Marc. XVI. 14.)

4) Cum evangelistis consentiunt qui in ea regione ac urbe, in qua res a Christo gestae sunt, paulo post eandem doctrinam cupide atque sine dubitatione amplexi sunt. Frustra sane conciliare tentabit mendaciis suis fidem, qui in patria, quasi rerum publice gestarum sede, cives suos fallere conabitur.

Dem. b) Evangelistas porro praeditos quoque fuisse voluntate vera tradendi, quae non modo errores devitare studet, verum etiam nihil aut sumit precario, aut temere addit, aut callide demit in narrationibus rerum gestarum, consilio fraudulento, ut facilius ingeretur in animis lectorum opinio effectuum insolitorum et admiratio rerum supernaturalium, quum plenam seriem rerum et remedia, quibus quis usus est, ignorant. Haec igitur voluntas sincera intelligitur:

1) a vitae morumque castitate et religione, quae vetat fraudes serere. Neque ex falso testimonio ullum emolumentum sibi comparare vel divitias, honores aut voluptates exspectare poterant; neque mercedem pro altera vita sibi polliceri fas erat, quum mendacium in re gravissima aeternis suppliciis mulctandum esse, et scirent et profiterentur.

2) Accedit ratio simplex, aequabilis, modesta, styli cultioris fere negligentior atque ita composita, ut appareat, scriptorum curam consiliumque non id fuisse, ut probarent et commendarent rerum

gestarum veritatem lectoribus suis, sed ut memoriam earum, quae aliunde essent notae, conservarent. Quum jam eos sriptores, qui in descriptionibus personarum, copiosiores ornatioresque sunt, merito suspectos habeamus judicemusque eos majorem ingenii laudis consequendae et voluptatis curam habuisse; quomodo non probemus scriptores, qui, dum facta magistri sui laudant, verborum encomiis penitus abstinent, et in genere sic loquuntur, ut ne vestigium quidem affectus vehementioris vel enthusiasmi appareat?

3) Neque consensus scriptorum negligi debet per varias regiones dissitorum atque ita narrantium, ut in his traditionibus conspirent. Hoc consensu triumphavit de gentibus Arnobius (lib. I. adv. gent. pag. 32): „Non creditis gesta haec? sed qui ea conspicati sunt fieri et sub oculis suis viderunt agi, testes optimi certissimique auctores et crediderunt haec ipsi et credenda posteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam isti sint fortasse quaeritis? gentes, populi, nationes et incredulum illud genus humanum; quod nisi res aperta esset, nunquam rebus hujusmodi credulitatis suae commodarent assensum. An dicemus illius temporis homines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos et brutos, ut quae numquam viderunt, vidisse se fingerent? gratuita susciperent odia? quod si falsa historia illa rerum est, unde tam brevi tempore totus mundus religione completus?“

Locos igitur, qui de miraculis agunt, cupiditate miracula narrandi ab evangelistis interpolatos fuisse, admittere nullo modo possumus. Sed neque sive aetate apostolorum immediata sive subsequa statim sive posterioribus temporibus potuerunt corrumpi ob recentem factorum memoriam, sollicitudinem Ecclesiae, multiplicationem manuscriptorum tum inter christianos, tum etiam horum hostes Judaeos et gentiles. Constat ergo, facta illa, quae uti miracula ab evangelistis narrantur, revera contigisse.

202. *Dem. II. p.* Quod ad secundam quaestionem attinet, patet Christi miracula esse vera miracula, nec posse a causa naturali repeti.

1) Miracula Christi transcendebant omnem potestatem creatae virtutis, et ideo non poterant fieri nisi virtute divina. Et propter hoc caecus illuminatus dicebat (Joa. IX. 32): *A saeculo non est auditum, quia quis aperuit oculos caeci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.*

2) Idem deducitur ex modo, quo Christus miracula faciebat: non enim orando sicut alii, sed ex propria potestate miracula pa-

trabat: (Luc. VI. 19.) *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes:* patrabat autem uno verbo innumerabilia miracula: *ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit* (VIII. 16). Et ex hoc ostendebatur habere virtutem coaequalem Deo Patri, secundum illud (Joa. V. 19): *Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit:* et ibidem: *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius hominis quos vult vivificat.*

3) Idem demum infertur ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat. quae. nisi vera esset, non confirmaretur miraculis divina virtute factis: et ideo dicitur (Marc. I. 27): *Quaenam doctrina haec nova, quia in potestate* etiam *spiritibus immundis imperat, et obediunt ei?* (S. Thom. Suppl. q. XLIII. art. IV.)

203. Christum naturalia adhibuisse media in patrandis signis, falsum est. Terram sputo mixtam (Joa. IX. 6.) non esse medium naturale visum caeco nato restituendi, certum est, sicut tota Hierosolyma agnovit. Fiducia etiam, quam Jesus non raro requisivit a curandis, causa sufficiens non est curandorum subito omnis generis morborum, etiam absentium (Math. VIII.) et eorum, qui ad intercessionem aliorum sunt protinus sanati. (Iv. IV.) Fiducia ergo haec non erat causa sanationis, sed conditio impertiendi, sanatio fuit saepe praemium fidei.

Christus venit salvare mundum non solum virtute divina, sed per mysterium incarnationis ipsius. Et ideo frequenter in sanatione infirmorum non sola potestate divina utebatur, curando per modum imperii, sed etiam aliquid ad humanitatem ipsius pertinens apponendo. Unde Christus spuit quidem et manus imponit caeco, volens ostendere, quod verbum divinum operationi adjunctum miracula perficit: manus enim operationis est ostensiva, sputum sermonis ex ore prolati. (S. Thom. Suppl. q. XLIV. art. III. ad sec.)

204. Christi miracula neque a casu, neque a fraude repeti possunt. Non a casu ob insignem multitudinem et varietatem voluntati Christi in quibusvis circumstantiis semper respondentem, tum ob exquisitum eorumdem cum doctrina et scopo consensum. Neque a fraude; hanc enim excludit character Christi, varietas miraculorum certo tempori et loco non adstrictorum et acies hostilium animorum atque oculorum Christi facta observantium. Cur Judas artem, casum, fraudem non prodit? Cur de iis Judaei Jesum coram Caipha et Pilato non accusant? Cur solus Jesus cum discipulis talia signa patrat? Insuper Christus vitutem miraculorum effectricem legatis quoque suis, quin et primis fidelibus sua auctoritate concessit. — Si demum signa Christi fraus et deceptio fuissent, hoc facto pessime

consuluisset suae auctoritati et dotrinae. Quomodo etiam potuisset a nemine non detegi, sed evangelii fide corroborari?

205. *Dem. III. p.* Quod denique ad tertiam quaestionem attinet, certum est, miracula a Christo in confirmationem suae missionis et suae doctrinae patrata esse. Etsi enim Christus importunas miraculorum postulationes (Joa. IV. 48.) rejiciat, sibique tum ob internae doctrinae naturam (Joa. VII. 17.) tum ob auctoritatem (Joa. VIII. 40-46.) fidem haberi velit, tamen saepius declaravit, miraculorum suorum hunc quoque esse finem, ut missionem et doctrinam suam confirmet: dum

a) declaravit Judaeis (Joa. X. 37. 39.): *„Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere operibus credite.* — Ante resuscitationem Lazari (Joa. XI. 41—2.) Jesus elevatis sursum oculis dixit: *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quod semper me audis, sed propter populum. qui circumstat dixi: ut credant, quia tu me misisti.* Dum

b) discipulis Joannis ad ipsum missis et sciscitantibus, an esset Messias, ad sua miracula, tamquam certissimam Messiae notam provocans respondit: *„Euntes renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt."* (Matth. XI. 3.)

c) Idem comprobat etiam finis iste actu obtentus, dum multi visis Christi signis in Christum crediderunt. Christum filium Dei, Messiam, prophetam magnum professi sunt, magnificaverunt Deum, celebrarunt beneficentiam ejus, uti Nicodemus (Joa. III. 2), discipuli ejus (Joa. II. 11), populus (Joa. VII. 31) et concilium Judaeorum (Joa. XI. 47).* Non est itaque dubitandum, Christum vera miracula patrasse in confirmationem divinae suae missionis divinaeque doctrinae a se traditae.

206. Hinc falsa est adversariorum deductio sequens: Si Christi miracula vim probandae religionis et missionis divinae habuerunt, oportuit Judaeos non paucos solum et rudes. sed omnes etiam doctos ea spectantes converti: falsa est, inquam, haec deductio. Nam ab adversariis non advertitur, quantum abhorrere solent homines a religione. quae inolitis ab infantia opinionibus repugnat, ipsorum vitiis et passionibus contraria est simulque eosdem aerumnis, suppliciis ac morti exponit, prout religio Christi primos suos sectatores exposuit; non advertitur ab adversariis, aliud esse intellectum convinci,

* Collegerunt ergo Pontifices et Pharisaei concilium et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Haec sunt dicta [illegible] ... crediderunt in Ch. propter resusc. Lazari v. 4[illegible]

aliud voluntatem moveri. Plerique mortalium amore bonorum temporalium excaecati ea, quae ad animae salutem spectant, aut leviter aut omnino non attendunt; prout aetate Christi fecerunt Judaei, qui Messiam expectabant quidem, sed terrenum et qui Judaeorum regnum redderet florentissimum, qualem quum Christus sese non praestiterit, mirum non est, quod falsis de Messia ideis delusi illum non agnoverunt. Dein ad delendam cordis caecitatem et corruptionem non sufficiunt signa externa, sed requiritur quoque interna gratia Dei. His ex causis restiterant religioni plerique etiam sapientes, donec praedicata et promulgata satis de his quoque triumphum ageret. Falsum est etiam, rudes tantummodo et ignobiles esse Christum secutos; non enim rudes erant aut plebei regulus Capharnai, centurio, Lazarus, Nicodemus, nobiles mulieres, Joseph ab Arimathaea, multa turba sacerdotum (Act. Ap. VI. 7), Paulus etc. Postea plures adhuc nobiles ac sapientes sunt sacra christiana amplexi. (Fej. de rel. sect. III. §. 66.) Ceterum *non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, ut ea quae sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* (1 Cor. I. 26 –30.)

Articulus V.

Christus missionem suam divinam prophetiis etiam demonstravit.

207. Non tantum miracula, verum etiam prophetias adferri oportuisse per Christum demonstrant: *a)* natura rei, quia, vix tutius ac melius divinam efficientiam adjuvisse in annuntianda religione virum quempiam, percipimus, quam ex prolatis veris prophetiis; *b)* convenientia ordinis, quia Moyses et alii religionis doctores non doctrina solum et miraculis, sed etiam prophetiis inclaruerunt; *c)* indoles nationis judaicae, quae prophetiis assueta erat.

208. Et sane Christus in vita sua publica cognitionem occultorum ac libere et contingenter futurorum ostendit; nam varia praedixit tum circa *fata sui ipsius*, tum circa *fata religionis et Ecclesiae*, tum circa *fata urbis Hierosolymae et nationis judaicae.* Prophetiae autem istae tales sunt, ut omni jure ex illis argumentum pro religionis christianae divinitate et Christi divina missione petatur. Praedictiones enim Domini, etsi alios etiam fines haberent, editas simul esse, ut apostoli et discipuli ac futuri christiani in fide confirmarentur, et in his argumentum divinae Christi missionis haberent, merito ex rei natura infertur. Inde quoque id recte colligitur, quod facta mirabilia, ad quae etiam vaticinia impleta referuntur, generatim a Christo fiebant, ut auctoritatem sibi vindicaret. Harum prophetiarum veritas historica quoad debitum tempus, quo prolatae fuerunt, iisdem argumentis probatur, quibus veritas historica miraculorum probata fuit. Veritas autem historica quoad eventum rite secutum, uti etiam veritas philosophica et relativa commonstranda venit.

209. Praecipuas Domini praedictiones jam recenseamus. Quoad *seipsum* praedixit Christus, a Juda se proditum iri, discipulos fugam capturos, se a Petro ter negatum iri antequam gallus bis cantaverit; porro se tradi oportere Judaeis et gentilibus, multa pati, flagellari, illudi, conspui, morte condemnari ac tandem crucifigi; at vero se triduo post mortem resurrecturum et deinde ad Patrem esse ascensurum.

Christus praedixit etiam fata *religionis a se traditae;* praenuntiavit enim, tum evangelium ante excidium Hierosolymae in toto orbe praedicatum iri, tum ritum eucharisticum in memoriam probrosae suae mortis celebratum iri, tum Ecclesiam suam perpetuo esse duraturam.

Praedixit demum Christus etiam fata *urbis, templi* et *nationis* dum praenuntiavit: 1) casus excidium praecedentes: seductionem per pseudo-prophetas, persecutionem apostolorum et successum evangelii; 2) mutationem subito ingruentem: angustias, urbis oppugnationem, urbis ac templi eversionem, ut nec lapis super lapidem maneret; 3) eventus subsequos: dispersionem Judaeorum ac jugem desolationem (Matth. XXIV.).

210. Erant autem praedictiones hae veri nominis prophetiae, utpote omnibus verae prophetiae notis praeditae. Nam *a)* concernunt eventus futuros contingentes, qui ab arbitrio hominum et consilio Dei pendent. — *b)* Praenuntiant sermone claro, haud ambiguo, determinato et per partes singulas eunte ac firmo, omissis conjecturarum dubitationibus. — *c)* Omnia haec praedicta evenerunt vere ac plene attestantibus fide dignis testibus, uti patet ex historia cuilibet verum amanti et consideranti omnia ea, quae passionem, mortem et resurrectionem et ascensionem Christi in coelum, praedicationem evangelii, celebrationem eucharistiae, perdurationem Ecclesiae ac fata urbis et templi Hierosolymitani gentisque judaicae spectant.

211. Quod speciatim attinet ad fata urbis Hierosolymae, certum est, eventus omnes in obsessione et excidio civitatis omnino respondisse Christi vaticinio.

Et profecto 1) plures seductores et pseudochristos recenset Josephus Flavius l. 2. de bello judaico, inter quos praecipue notat aliquem Aegyptium, qui multa millia Judaeorum falsis vaticiniis et promissione variorum signorum deceperat. Idem Josephus testatur, Judaeos obsidionis tempore praecipue per seductores, qui se divinos legatos jactitabant, ad tam obstinatam contra Romanos resistentiam exstimulatos fuisse (de bello jud. l. 6. c. 5. — Conf. Act. Ap. V. 36, XXI. 38, VIII. 10.)

Omnes apostolos, excepto Joanne jam ante urbis excidium post plurimas tribulationes occisos fuisse antiquissima monumenta ostendunt (Sandini hist. apost.)

Evangelium tunc autem in toto orbe romano et extra illum praedicatum fuisse, historia ecclesiastica docet. Ideo Paulus scripsit ad Romanos: „*Fides vestra annuntiatur in universo mundo*". (I. 8.)

2) Tacitus (Hist. lib. I. c. 2.) et Plinius (Hist. lib. 11. c. 84.) Siciliam, Campaniam, Calabriam, Pontum, Macedoniam et Achaiam terrae motibus hoc tempore concussas fuisse tradunt. Terrores etiam de coelo et signa excidium urbis praecedentia, Josephus Flavius (De bello jud. 4. c. 7.) contestatur, ut e. g. exercitus visos in aere pugnantes, auditas lamentabiles voces circa templum: *abeamus hinc.* Ipse Tacitus (Hist. l. 5. c. 15.) de Hyerosolyma refert: *Visae per noctem concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucescere templum, expansae repente delubri fores et audita major humana vox excedere deos!* De fame in Judaea (Act. ap. XI. 28.) et apud Josephum Flavium (Antiq. l. 20. c. 12) legimus. In Italia ter famem fuisse scriptores memoriae tradiderunt. Prima, Suetonio & Tacito (Ann. l. 13. c. 43) testibus, sub Claudio universum orbem depopulata est. Secunda Suetonio teste Romae sub Nerone triginta millia hominum absumpsit. Tertia, cujus Tacitus (Ann. l. 16. c. 13) meminit, anno aerae vulgaris 66. grassata est.

Quae Christus Dominus de urbis & templi Hierosolymitani excidio praedixerat, anno 70. adimpleta sunt. Anno quippe 67. Judaica natio, Gestii Flori, procuratoris Judaeae, tyrannidis pertaesa, romanum jugum obstinata mente excutere attentavit. Flavius Vespasianus cum ingenti exercitu in Galilaeam irrupit, pluribusque proeliis commissis, in quibus multa Judaeorum millia caesa sunt, urbes arcesque Galilaeae cepit. Judaeam omnem mox subegisset, sed post Neronis interitum imperator salutatus, curam conficiendi belli demandavit Tito filio suo . . . . Reipsa Titus obsidionem urbis Jerusalem

paravit, castra in monte Oliveti collocavit & copiosissimum exercitum applicavit. Judaei, quorum ingens multitudo e cunctis regionibus Hierosolymas convenerat ad celebrandum pascha, ad urbis defensionem certatim conspirarunt.

Quum Titus urbem obsidione cinxit, brevi tanta annonae inopia civitas laboravit, ut etiam matres natorum suorum carnes comederent. Accesserunt: saevissima pestilentia, feralia incolarum in seipsos odia, seditiones & caedes adeo, ut ipsum templum sanguine & abominatione repleretur (Hist. eccl. Vouters tom. I. p. 53, 54). Hinc christiani memores vaticinii Salvatoris: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto . . . tunc, qui in Judaea sunt, fugiant ad montes* (Matth. XXIV. 15) fugam ceperunt atque versus montana in oppidum Pellam, vicinum deserto, quod est in finibus Syriae, sese receperunt, prouti narrant Eusebius (hist. l. 3. c. 5), Epiphanius (haer. 7), Josephus Flavius (de bello jud. l. 2. c. 41). Tandem Titus, obsessis, ut manus victas sponte darent, invitatis, urbem vi cepit & expugnavit; et licet Titus magna cura tum urbem tum templum conservare studeret, sic tamen incendiis devastata, armorum vi destructa fuit, ut solo aequaretur, ac si, ut dicit Josephus Flavius, aedificia ibi numquam stetissent (de bello jud. l. 7.). Hoc urbis excidium factum est 37 annis post mortem Christi, ergo antequam praeteriret generatio, quae communiter ad 30—40 annos computatur.

3) Teste Josepho Flavio hac obsidione & expugnatione plus quam undecies centena millia Judaeorum perierunt, et reliqui captivi abducti & ubique locorum dissipati sunt, quorum dispersionem inter omnes populos in toto terrarum orbe propriis oculis videmus. Sine exemplo enim Judaei soli, cunctis gentibus exosi, in medio nationum, per quas dispersi sunt, sine pernicione conservantur. Perierunt antiqui Medi, Graeci, Romani, qui toties Judaeos vicerant; soli Judaei victoribus suis omnibus supervixerunt, licet misserrimo jugo ubivis terrarum oppressi vagentur, sine rege & sine lege, prae ipsa etiam urbe ac templo magis dejecti. Unde Judaei „qui cum tot Imperatoribus bella gesserunt, qui tanta pecuniarum, armorum, militum vi pollebant, qui duces innumeros repulerunt, unum excitare templum non potuerunt; sed synagogas quidem per urbes exstruxere multas; locum vero illum, qui reipublicae suae praebet auctoritatem, ubi omnem cultum persolvere consueverant, atque unde judaismus constituitur, hunc, inquam, solum instaurare non potuerunt". (S. Chr. l.

Quod Christus sit Deus n. 17). Sic sane crucifixionis Dominicae scelus in fronte gerunt, atque, ut ait Augustinus, per omnes gentes dispersi testes iniquitatis suae & veritatis nostrae sunt. (in ps. 48.)

212. Haec omnia vaticinia naturali divinatione, aut praesagio, vel conjectura resciri, nec casu fortuito impleri potuisse, et res ipsa docet & communis experientia; nonnisi proinde a Deo omniscio & omnipotente mundi rectore ac gubernatore repeti queunt. Hinc absurda est assertio adversariorum, Christum suas praedictiones ex antiquis vaticiniis naturali sagacitate compilasse. Christus enim oracula praecedentia contra nationalium suorum mentem explicuit, novisque vaticiniis adjunctis determinavit:

a) Quoad fata sua; nam utut mortis supplicium spectato gentis suae spiritu Christus naturaliter exspectare potuerit, at sui etiam proditionem & abnegationem per unum suorum discipulorum, tum crucifixionem per gentes, quum prophetarum Judaeorum supplicium ordinarie fuerit lapidatio et decapitatio; item resurrectionem die tertia nec ex prophetiis antiquis pro omni sua sagacitate potuit Christus naturaliter praescire.

b) Quoad fata regni sui; nam etsi Christus triumphum veritatis de errore et superstitione naturaliter sperare potuerit, at simul celerrimam evangelii propagationem per mundum universum quum aliae sectae apud paucas tantum gentes & per breve solum tempus obtinuerint; tum crucis suae adorationem, quae Judaeis erat scandalum & gentibus stultitia; item Ecclesiae suae inter omnes regnorum populorumque casus perdurationem usque ad finem saeculi, naturaliter nulla sagacitate potuit indubitate praevidere.

c) Quoad fata etiam suae gentis; nam intuitu externorum internorumque adjunctorum etsi Christus potuerit impendentem revolutionem conjicere, consequenter & cladem Judaeorum, qui viribus & potentia erant Romanis inferiores; at adjuncta etiam: adhuc superstite hac generatione, quum necdum advenisset Messias, qualem Judaei expectabant, necdum essent Romanis infesti armis; Romanos nec civitate Jerosolymitanae nec templo esse parcituros, sed destructuros utrumque, ut lapidem super lapidem non relinquerent, quamquam cum aliis rebellibus urbibus processum ita ab ipsis non fuit; nationem denique judaicam excidio suo superstitem futuram, quum aliae subjugatae sensim interierint, templumque destructum amplius non esse reparandum,

utut alias reparatum: haec adjuncta Christus naturali sagacitate determinate praenuntiare haud potuit.

213. Christus certe non ex alio fine fata sua discipulis praedixit, nisi ut omniscientiam suam ostendendo ipsos in fide firmaret & spe futurae resurrectionis consolaretur. In hunc finem etiam discipulorum fata Christus praenuntiavit, ut illis, quos ad propagandam religionem suam destinavit, se ut verum prophetam ostenderet, ipsosque tentationis tempore in fide solidaret; ideo post praedictas diras persecutiones ait: *Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini . . . Sed haec locutus sum vobis: ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.* (Joann. XVI 1, 4.) Imo nobis quoque se Christus per has prophetias ut verum legatum divinum monstravit, qui. non obstantibus passionibus plurimis praevisis, intrepide tamen Hierosolymam petiit, ut testimonium perhiberet veritati (Jo. XVIII. 37).

Vaticinium autem de excidio Hierosolymae intimam cum religione christiana connexionem habere, manifestum est, quia excidium Hierosolymae cum dispersione gentis judaicae secuta praedictum fuit ut poena non agniti & occisi Christi (Luc. XIX. 44; Matth. XXIII. 37).

214. Christus ergo veras edidit prophetias in confirmationem suae divinae missionis & religionis, quia multa praedixit, quae nulla creata intelligentia praesciri possunt; & hae omnes prophetiae impletae sunt. Necessario ergo Christo credendum est, quum se dixit a Patre ad homines missum, atque religio ipsius habenda est ut divinitus revelata.

215. *Scholion.* Quum Christus excidium urbis Hierosolymae praedixit, simul locutus est de mundi consummatione, cujus praeludium & imaginem nobis exhibent extremae gentis judaicae calamitates. Id enim omnibus prophetis solemne est, ut res temporibus disjunctas, sed in Dei mente adunatas, conjungant, idque tunc maxime, quum una alterius typus est & figura. Difficile tamen non est ea, quae ad Judaeorum cladem pertinent, ab iis distinguere, quae in saeculi consummatione habitura sunt suum complementum, imprimis in ea narrationis serie, quae a S. Marco refertur; nam de urbis Hierosolymae destructione agitur cap. XIII. a. v. 1—24., & de totius orbis subversione a v. 24—27. Utroque eventu praenuntiato Christus respondet ad hanc discipulorum interrogationem: „Dic nobis, quando haec erunt?“ et quidem v. 28. ad primum eventum rediens eum tanquam propinquum annuntiat v. 30. . . . „non trasibit genereratio haec, donec omnia fiant“, quod autem ad tempus attinet extremae mundi con-

summationis, ait v. 32. illud ad occulta Dei judicia pertinere: „De die autem illo, vel hora nemo scit". (Fej. de rel. sect. III. §. 67. — Alb. a Buls. theol. gen. p. II. sect. I. c. IV. art. III.)

Articulus VI.

Christum a Deo fuisse legatum, divinamque esse, quam tradidit doctrinam, speciatim probatur ex miraculo resurrectionis.

216. Eminenti quadam ratione missio, imo et divinitas Christi demonstratur resurrectione a mortuis. Ex rei natura & in se considerata resurrectio Christi est prodigium summum signumque splendidissimum & peremptorium ad demonstrandam veritatem religionis, quam Dominus praedicabat. Sed directe etiam ipse hoc miraculum elegerat veluti summam confirmationem & argumentum ineluctabile missionis suae eorumque, quae fecit & docuit. (Matth. XII. 38 coll. Marc. VIII. 11.) Resurrectionem Christi etiam apostoli praedicant ut compendium et confirmationem supremam & peremptoriam religionis, quam Dominus instituit, ac veritatem suae testificationis & praedicationis multiplicibus prodigiis demonstrant. (Act. IV. 10 seq.) Resurrectio Christi denique proponitur ab apostolis ut factum, quod in se summas veritates dogmaticas et morales complectitur. (I. Cor. XV. 12 seq. Rom. XIII. 11.) Hac enim resurrectione ostenditur Christus Deus et homo & redemptor generis humani, qui regnum mortis & peccati a primo Adamo invectum ut secundus Adam per triumphum suum destruxit futuraeque resurrectionis nostrae gloriosae paradigma est & causa efficiens. Sed resurrectio haec etiam est exemplar renovationis morum, argumentum futurae vitae ac sustentatio spei in omnibus tribulationibus.

217. Imprimis nemo rerum peritus dubitare potest, Christum revera mortuum esse in cruce. Testes mortis ipsius fuerunt discipuli, pharisaei & multitudo illa ingens, quae crucifixioni & morti ejus adstabat. Ipsi milites, qui venerunt, ut frangerent crura eorum, qui crucifixi erant, „ad Jesum cum venissent, ut viderunt jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Sed unus militum lancea latus ejus aperuit & continuo exivit sanguis et aqua" (Jo. XIX. 34.) Ictu lanceae miles Domini latus perfossit, ut, si nondum mortuus esset, necaretur; sed jam obiisse eum inde patuit, quod sanguis & aqua ex ejus latere manarunt. Dein Domini corpus syndone involutum in sepulcro Josephi ab Arimathaea depositum, a Judaeis ipsis

sepulchrum sigillo munitum militumque custodia ante illud collocata est, ne corpus auferri posset.

218. Nunc probatur ipsa thesis. Si Christus a mortuis surrexit, divina est Christi legatio, divina quam attulit doctrina. Atqui Christus vere surrexit. Ergo divina est Christi legatio, divina quam attulit doctrina. *Prob. major.* Si Christus surrexit, vel sua virtute ad vitam rediit, vel a Deo fuit suscitatus. Si primum, hoc ipso se Deum probavit; si secundum, de divina ipsius missione dubitari non potest. Impossibile enim est, ut Deus, quem summe bonum, veracem et providum nobiscum admittunt Deistae, virum, qui in re tanti momenti falsum committeret, eo ornaret et approbaret testimonio, quo majus dari non potest; nullum enim est Dei testimonium certius miraculo, nec inter miracula aliquod splendidius et ad probandum efficacius, quam mortui in vitam revocatio. Huic argumento major adhuc vis accedit ex eo, quod Christus ipse, dum adhuc viveret, et mortem suam, et mortis genus, et reditum in vitam praedixerit suis, et quidem addito, haec ideo eventura, ut omnibus constaret, se a Deo venisse legatum. (Math. XII. 40 etc.)

Prob. min. Christus vere surrexit. Nam factum illud certissimum est, cujus testes nec *a)* decipi potuerunt, nec *b)* decipere voluerunt, nec *c)* si voluissent, decipere potuissent. Atqui tales sunt testes resurrectionis Christi. Ergo Christus vere resurrexit.

219. *Prob. minoris pars a).* Christus se redivivum ostendit non uni aut alteri ex discipulis, sed pluribus; apparuit enim plus quam 500 fratribus simul. (1. Cor. XV. 6.) Non semel aut iterum visus est, sed pluries, in aperta luce, diversis in locis, non a longinquo, sed prope; ita ut cum eis loqueretur, manducaret, se ipsis palpandum daret, nihilque omitteret, quo omnem ab apostolis anxietatem, omne dubium excuteret. Quibus praebuit seipsum vivum in multis argumentis per dies 40 apparens eis, et loquens de regno Dei (Act. 1, 3.). Neque dici potest, ad credendum proclives fuisse apostolos: contrarium enim ex historia evangelii patet (Luc. XXIV. II. Joan. XX. 24. etc. sequ.).

220. *Prob. min. pars b).* Decipere noluerunt evangelistae, si nihil potuit eos ad fallendum inducere, et omnia debuerunt eos a fallendo absterrere. Atqui ita est. Et sane nihil ex hoc mendacio fallendo absterrere. Atqui ita est. Et sane nihil ex hoc mendacio sperandum erat Christi discipulis a *Deo*; sciebant enim, Deum mendacium abominari, atque imprimis scelus esse detestabile et insigne nefas, falsum testem agere adversus Deum. Omne enim genus fraudis,

praesertim omne falsum testimonium tam a judaica quam a christiana religione severissime prohibetur. Non *ab hominibus*, a quibus praecise hujus lati testimonii gratia praeter contemptum et supplicia exspectare nihil poterant. Non a *Christo ipso;* nam ipsi fatentur, vanam esse et inanem fidem nostram, si Christus a mortuis non surrexit. Ergo quum se deceptos cognovissent vana resurrectionis pollicitatione, necessario omnem antea conceptam fidem abjecissent.

Imo discipulos a fallendo absterrere debuit propria, quam ubique ostendunt, *vitae probitas;* si enim improbi fuissent, nunquam talem doctrinam aut talem religionem, quae tam magnificas de summo Ente notiones et tam praecellentes morum regulas in se complectitur, praedicassent; *rei ipsius difficultas et conjuncta cum hac fraude pericula;* quum Judaeis Christi resurrectionem annuntiare non potuerint, quin totam nationem ac imprimis potentissimos ex gente immanissimi sceleris reos arguerent; *summa denique tam nefariae fraudis impietas;* nisi enim omnem religionis sensum exuissent, nunquam potuissent tam insigni mendacio avitae religionis ruinam meditari. Apostoli igitur falsum testimonium ferre non poterant, nisi tam religionem, cui innutriti fuerant, quam eam, quam praedicabant, abnegarint. Adde quod apostolos, nisi sensu communi destitutos dicas, latere non potuit, insanum esse, ejusmodi fraudem vel moliri, neque decipere se posse, etiamsi vellent.

221. *Prob. min. pars c)* Decipere non potuisse et si voluissent. Ad id enim duo praestanda fuissent: sc. corpus Christi clam auferendum fuisset et persuadendum hominibus, eum ad vitam rediisse. Atqui neutrum efficere potuissent discipuli. Ergo.

Probatur primum. Apostoli corpus Christi si sustulissent, sustulissent vel per vim, vel per seductionem, vel per callidam fraudem. Atqui non potuerunt adhibere vim. Unde enim subito tanta hominum illorum audacia, ut cum armatis custodibus congredi auderent? cur nulla in eos poena est animadversum a Judaeis, quorum quam maxime interfuisset, ut apostolos hujus facti convincerent, quibusque convictionis media in hac hypothesi deesse non potuissent?

Sed supponamus seductos fuisse custodes a Christi discipulis. Quis sanae mentis credat, homines inopes, nulla apud alios gratia valentes efficere potuisse, ut custodes officio suo deesent in re tam gravi, ubi a principibus et sacerdotibus omnia pertimescere debebant? Cur inter tot homines, quibus secretum committendum fuisset, nullus aliquid prodidisset, quum tamen omnia ad secretum prodendum impellebant? Cur nulla a synedrio facta disquisitio?

An fraudulenter corpus Christi surripuerunt discipuli insciis custodibus? Sed praeterquam quod id cuilibet loci, temporis et personarum adjuncta consideranti impossibile videri debeat; cur a synedrio in fraudis auctores non injectae manus? cur custodes dormientes testes adhibiti? Cur paulo post apostolis Christi resurrectionem palam annuntiantibus, Scribae, Pharisaei, totumque synedrium obmutescunt? Cur apostoli apud Judaeos in ipsa urbe Jerosolyma fidem inveniunt?

Probatur secundum. Etiamsi Apostoli corpus Christi auferre quocumque modo potuissent, quomodo potuissent hominibus persuadere, Christum ad vitam rediisse? Ad id necesse fuisset, ut hoc demum pacto fraus nullo modo detegi posset; necesse fuisset, ut nullus inter tot conjuratos reperiretur, qui aut conscientiae stimulis, aut spe praemiorum, aut suppliciorum metu mortisque comminatione ad detegendam fraudem commoveretur. Et si omnes velut conspiratione facta tantum mendacium pertinaciter asseverassent, quomodo potuissent universo orbi illudere? quomodo miraculis confirmare quod de resurrectione Christi reddebant testimonium, et quidem miraculis tam evidentibus, ut Judaei et Graeci, nobiles Romani et philosophi hominibus imperitis crederent, et rei fidem adhiberent, quae omnem fidem superat? Igitur incredibile est, Christum resurrexisse in carne, et in coelum ascendisse cum carne; incredibile est, mundum rem tam incredibilem credidisse; incredibile est, homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos, rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, in illo etiam doctis persuadere potuisse. Jam ergo tria sunt incredibilia, quae tamen facta sunt.

222. Christus resurrectionem suam testimoniis signisque in suo genere sufficientibus manifestavit. Usus est enim duplici testimonio, quorum primum est angelorum, ut patet ex omnibus evangelistis, aliud autem est testimonium scripturarum, quas ipse proposuit ad ostensionem suae resurrectionis, ut dicitur (Luc. ult. 44.): *Oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege, et psalmis, et prophetis de me.* Christi resurrectio perfecte manifestata est:

1) *Ex parte corporis*; Christus enim ostendit, se habere corpus verum et solidum, quia corpus suum palpabile praebuit; unde ipse dicit (Luc. ult. 39.): *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ostendit quoque, suum corpus vere

humanum, ostendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur. Ostendit demum, suum corpus esse idem numero, quod prius habuerat, ostendendo eis vulnerum cicatrices. *Videte*, inquit, *manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum* (Luc. ult. 34.).

2) *Ex parte animae iterum corpori unitae.* Ostendit autem veritatem suae resurrectionis tum per opera vitae nutritivae, quia cum discipulis manducavit et bibit (Luc. ult.); tum per opera vitae sensitivae, quia discipulis ad interrogata respondebat, in quo ostendebat, se videre et audire; tum per opera vitae intellectivae, quia discipulis loquebatur et de scripturis disserebat.

3) *Ex parte gloriae;* gloriam enim suae resurrectionis ostendit discipulis per hoc, quod ad eos januis clausis intravit; palpandum enim carnem Dominus praebuit, quam januis clausis introduxit, ut esse post resurrectionem ostenderet corpus suum et ejusdem naturae et alterius gloriae (S. Greg. in hom. XXVI. in evang.). Similiter etiam ad proprietatem gloriae pertinebat, quod *subito ab oculis eorum evanuit* (Luc. ult.), quia per hoc ostendebatur, quod in potestate ejus erat videri et non videri, quod pertinet ad conditionem corporis gloriosi. (S. Thom. Suppl. q. LV. art. VI.)

223. Cum ea, quae communem hominum cognitionem excedunt, mediantibus superioribus ad inferiores perveniant, gloriosa Christi resurrectio non omni populo manifestari debuit, sed quibusdam testibus a Deo praeordinatis, per quos manifestata ab aliis crederetur. Debuit autem Christus ad credendum dispositis in propria post resurrectionem apparere effigie, ceteris autem minus dispositis effigiem mutare pro varia illorum dispositione. Unde discipulis euntibus in Emmaus talem se exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente: quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, ire se longius finxit, scilicet ac si esset peregrinus. (Greg. hom. XXIII. in evang.)

Christus tertia die resurrexit; fuit ergo in sepulchro tribus diebus et tribus noctibus non quidem completis, sed tamen incompletis. Sepultus enim fuerat in die parasceve, per totum sabbatum in corde terrae permansit, et prima hebdomadae die summo mane surrexit. Hebraei autem, qui noctem diei initium computabant, duas noctes cum partibus primi et tertii diei tres dies, et tres noctes vocabant, tempus incompletum pro completo habentes, ut in omnibus fere linguis pars diei, mensis, anni, dies, mensis, annus per synechdochen dici solet. Sic v. g. lex circumcisionis se habebat: *Infans octo dierum circumcidetur.* (Gen. XVII. 12.) Nihilominus ad numerum octo dierum pertinebat tum dies nativitatis tum dies circumcisionis nulla habita ratione horarum. Christus ergo Hebraeorum morem secutus est, de tribus diebus loquens. Christum praedictionem suam sic intellexisse appa-

ret ex locis parallelis. Alibi enim de filio hominis dixit: tertia die resurget. (Luc. 18, 33.), Neque aliter verba Christi ipsi Judaei intellexerunt, qui ad Pilatum dixerunt: *Jube . . . custodiri sepulchrum usque in diem tertium.* (Matth. 27, 64.) Primus ergo dies computatur ab extrema parte sui, qua Christus in sexta feria est mortuus et sepultus; secundus autem dies est integer cum viginti quatuor horis nocturnis et diurnis; nox autem sequens pertinet ad tertium diem. (Matth. XXVII. 64. — Jungm. de ver. rel. p. 165. et seq. — Lieb. theol. fund. p. II. sect. II. art. IV.)

224. *Scholion.* Quod attinet ad difficultates, quae solent contra resurrectionem Christri afferri, summi momenti est sequens generalis animadversio. Quoad substantiam rei, quam apostoli aperte in sola Christi resurrectione et apparitione atque in ejus sermonibus reponunt, nequaquam inter se dissentiunt. Ipsae etiam pugnae ad circumstantias attinentes, quae in illorum relationibus occurrunt, sunt apparentes tantum et non verae, inde ortae quod quivis solummodo rei primariae praecipuam rationem habuit, de reliquis minus sollicitus. Unde hic brevius scribit, ille prolixius; unus nonnulla silet, quae alter commemorat; hic facta diversa reapse a se invicem separat, ille contrahit, ita ut duo eventa aut etiam plura unum videantur. Quod si haec attendantur et difficultates non consulto captentur, discrepantiae disparent.

Ut autem ad quaedam speciatim etiam respondeamus, imprimis falsum est, quod ab adversariis asseritur, apparitiones, prout ab evangelistis referuntur, secum non posse conciliari. Christus videlicet primo apparuit Mariae Magdalenae. Maria Magdalena nimirum quum lapidem a monumento devolutum conspexisset, perterrita rata est, corpus Christi furto ablatum esse, atque relictis reliquis mulieribus statim reversa est et nuntiavit Petro, quem primum inter apostolos, et Joanni, quem Domino dilectum noverat, quid acciderit. Interea autem, quum Maria Magdalena Petro et Joanni nuntium afferret de eo, quod accidisse opinata est, et cum his duobus discipulis ad sepulchrum properaret: caeterae mulieres monumentum ingressae angelos viderunt et ab iis audierunt, Christum revera resurrexisse. Deinde de monumento egressae alia via, quam qua duo apostoli cum Maria Magdalena ibant, revertebantur nuntiaturae discipulis, quid contigerit. Quum vero hae mulieres redirent, contigerunt ad sepulchrum, quae apud Joannem leguntur. Petrus nempe et Joannes, postquam viderunt, quae contigerant, abierunt, Maria Magdalena autem remansit juxta sepulchrum et vidit Christum; mox abiit et caeteras mulieres curriculo consecuta est; quumque una cum illis pergeret, Christus apparuit illis simul euntibus, ut Matthaeus scribit. Dein visus est Christus

Simoni Petro, prout referunt Lucas (24. 34.) et Paulus (1. Cor. 15. 5); tunc duobus dicsipulis secundum Lucam (24. 13—35) et Marcum (16. 11—12); et vespere eadem prima die atque iterum post octo dies congregatis discipulis, quam utramque apparitionem Joannes (20. 19—29) speciatim describit, Marcus autem (16. 14) et Lucas (24. 36—43) conjungunt. Hae omnes apparitiones factae sunt Jerosolymis. Postquam autem apostoli finitis diebus festis in Galilaeam reversi erant, apparuit primo Christus simul Petro, Thomae, Nathanaeli, duobus filiis Zebedaei et aliis duobus discipulis piscantibus in mari Galilaeae. Hanc apparitionem Joannes vocat tertiam, earum videlicet, quae omnibus discipulis aut plerisque est facta. Deinde apparuit adhuc in monte Galilaeae apostolis et plurimis aliis discipulis, ut referunt Matthaeus (28. 16, 17) atque Paulus dicens ad Cor. I. XV. 6.: *Visus est* (Christus) *plus quam quingentis fratribus simul.* Tandem postquam etiam Jacobo, ut narrat Paulus (1. Cor. XV. 7.), et probabilius saepius adhuc apostolis manifestatus erat, visus est apostolis iterum Hierosolymis ante suam ascensionem, ubi iis praecepit, ut in civitate manerent, donec acceperint Spiritum sanctum, eosque Bethaniam eduxit ipsisque cernentibus in coelum elevatus est, quod narrant Lucas (24. 44—50. Act. I. 9) atque Paulus (1. Cor. 15. 7).

Caput V.

De religionis christianae propagatione, conservatione et efficacia.

Articulus I.

Mirabilis christianae religionis propagatio nec non conservatio manifestam facit divinam ejusdem religionis originem.

225. In praecedentibus thesibus demonstravimus:

a) Christum, ut historicam personam consideratum, esse phaenomenon extraordinarium, ipsiusque characterem esse tam insignem, ut naturali modo explicari nullatenus possit;

b) hanc historicam personam, quae nota erat omnibus sub nomine Jesu Nazareni, palam professam esse, se esse legatum Dei, Messiam promissum, Filium Dei;

c) in Jesu Nazareno impletas esse omnes prophetias, quae de venturo Messia a prophetis editae fuerant;

d) Patrem coelestem palam testimonium saepe perhibuisse Christo ut suo legato suoque Filio ac Messiae;

e) Christum ad hoc Patris sui testimonium provocasse, nec non missionem suam divinam religionisque suae divinitatem pluribus miraculis et prophetiis confirmasse.

226. Praeter haec omnia restat adhuc examinandum opus Christi. Si enim Christus est Messias et Filius Dei, redemptio per ipsum appareat necesse est ut opus, quod nonnisi a Deo solo effici potest. Huc illud pertinet Gamalielis, qui quum apostolis praedicatio severe interdiceretur, publico in concilio dixit: *Sinite illos abire, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur, si autem a Deo est, non poteritis dissolvere illud.* (Act. V. 38.) Porro opus Christi decursu novemdecim saeculorum non est dissolutum neque unquam dissolvetur; est ergo a Deo. Et re quidem vera, si attente consideremus, quomodo religio, a Christo tradita, in mundo propagata sit, quantum corruptos mores hominum emendaverit iisdemque hominibus stupendam in perferendis tribulationibus fortitudinem tribuerit, et quam mire inter plurimos sibi adversantes tumultus per novemdecim saecula conservata fuerit: nova ad ipsius divinitatem vindicandam argumenta invenimus. Nam in religionis christianae celerrima propagatione miraque conservatione ac stupenda efficacia occurrunt vera miracula in ordine morali, id est, tales eventus extraordinarii, qui, licet nihil habeant, quod cum legibus naturae physicae pugnet, specialem tamen Dei operationem ac divinae providentiae ordinationem probant prorsus singularem, quia praeter exspectationem & communem rerum cursu mcontingunt, atque spectatis hominum moribus & naturali rerum humanarum cursu contingere non potuissent. Itaque sicut miracula prius allata physice impossibilia sunt, ita haec eventus complectuntur moraliter impossibiles. In illis se Deus Dominum naturae ostendit, in his se Dominum gratiae commonstrat. Utriusque autem generis miracula, sive in ordine naturali sive in ordine supernaturali patrata, causalitatem divinam sive immediatum ac supernaturalem influxum divinum ostendunt et sic religionem christianam divinitus revelatam esse probant.

227. Christianae religionis itaque mirabilis propagatio phaenomenon est tam stupendum, ut nonnisi divinae virtutis ac potentiae opus esse possit. Ergo mirabilis religionis christianae propagatio manifestam facit divinam ejusdem religionis originem.

Ut hujus propositionis veritas evidenter pateat, inspiciamus I. quam celeriter haec religio per totum orbem sit difusa; II. quanta fuerit hujus operis difficultas; III. quae ad illud efficiendum adhibita sint media; IV. quam stabiliter haec religio sit conservata.

228. *Dem. p.* I. Notum est, christianam religionem ante Tiberii imperatoris tempora incognitam fuisse, Christum vero, ejus auctorem, eodem Tiberio imperante cruci affixum, paucissimos discipulos reliquisse eosque trepidos & inermes.

Verum statim atque crucifixus est, *omnia traxit ad semetipsum*, ut ipse praedixerat. Apostolus jam in sua epistola ad Rom. anno 58. data, religionis christinae praeconibus illud psalmi XVIII. attribuit: *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.* (ad Rom. X. 18.). Ad eosdem Romanos (c. I. 8.) scribit, fidem eorum annuntiari in universo mundo (c. XV. 19.), seipsum replevisse a Jerusalem per circuitum usque Illyricum evangelium Christi. Deinde in epist. ad Colos. I. 6., quae est Romae anno 62. scripta, ait apostolus: *„Evangelium pervenit ad vos sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit sicut et in vobis"*. Tum vero sub apostolorum discipulis mirum est, quanta in dies incrementa ceperit religio christiana, ut vix regio superesset, quam non divina haec & orbi hucusque ignota sapientia pervaserit, et ita pervaserit, ut non aliquot paucos eosque obscuros nacta sit cultores, sed innumeros omnis sexus, conditionis & ordinis. Justinus martyr, qui anno 163. mortuus est, testatur, nullam fuisse nationem aut barbarorum aut graecorum, aut cujusvis alterius nominis, ad quam christiana religio non pervenerit. Justini testimonium confirmat S. Irenaeus, qui in catalogo ecclesiarum enumerat, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Aegyptum, Lybiam eodem lumine fidei illustratas, et pari omnium concordia, sicut uno solis lumine universus terrarum orbis illustratur (l. I. adv. haer. c. 3). Similia apud Origenem, Lactantium, Eusebium aliosque legimus. De propagatione per imperium romanum agens Tertullianus († 240) jam suo tempore ita ethnicos alloquitur: „Hesterni sumus & vestra omnia implevimus: urbes, insulas, castra ipsa, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa". (Apolog. c. 37.) Ex quibus testimoniis tamquam exploratum deduci potest, christianam religionem trium saeculorum spatio majorem imperii romani partem sibi subjecisse et apud omnes jam gentes tunc notas suos cultores habuisse.

229. Nec aliud ex ethnicis scriptoribus colligere possumus. Jam Seneca, qui Nerone imperatore, ergo paulo post exortam christianam

religionem diem supremum obiit, in fragmentis haec de christianis habet: „Quum usque eo consuetudo convaluit scelestissimae gentis, ut per omnes jam terras recepta sit, victi victoribus leges dederunt". Similia habent ex gentilibus viri gravissimi, ut Suetonius, Tacitus, Plinius etc. Nota est Plinii junioris, Bithyniae proconsulis ad Trajanum imperatorem epistola sub finem saeculi primi scripta, in qua ait: „Visa est mihi res consultatione dignissima, maxime propter periclitantium numerum, multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum: neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est". (L. X. ep. 97.)

230. *Dem.* II. *p.* Quantae molis fuerit, christianam religionem in orbem inducere, facile dijudicabit, qui hujus religionis naturam et innumera, quae se ejus propagationi impedimenta objecerunt, perpenderit. Erat enim haec religio hominibus inaudita & omnibus sacris ritibus ac opinionibus, quae per orbem vigebant, repugnans; Jesum praedicabat crucifixum: Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; idque efficiendum sibi proposuit in toto orbe terrarum: ut Judaei relicta lege mosaica, quam a Deo ipso latam sciebant; pagani autem relicto deorum cultu, quem tot saeculorum auctoritas commendabat, hunc Jesum, quem sui crucis supplicio interemerunt, ut Salvatorem hominum verumque Deum adorarent. [„Siquidem hortabantur, ut ab idolis absisterent, aras despicerent, quas et patres et majores eorum coluerant, ab impuris dogmatibus resilirent, riderent solemnitates, initiationes respuerent, quae ipsis maxime tremenda et formidabilia videbantur: pro quibus animam dare maluissent, quam eorum dicta admittere, et in natum ex Maria credere, qui ad praesidis tribunal ductus, sputis dehonestatus, innumeraque passus, execranda morte affectus sepultusque ressurrexisset. Quodque stupendum erat, cruciatus omnibus noti erant, flagella nempe, colaphi, contumeliae oris sputo dehonestati, plagae, crux, cachinni multi, comoedia omnibus oblata, sepultura quasi gratiae nomine impetrata; sed quae ad resurrectionem spectabant non item: illis enim solis post resurrectionem apparuit. Attamen haec dicendo persuadebant et sic Ecclesiam aedificabant, certe virtute divina. Nisi enim divina quaedam virtus haec perpetrasset, ne vel principium quidem aut exordium haec habuissent".] (S. Chrys. l. Quod Chr. sit Deus. n. 13.)

231. Accedit, quod eadem haec religio omnibus cupiditatibus bellum indicat: praecipiens voluptates fugere, injurias condonare, omnesque pravos animi motus reprimere, mundum odisse, honores et

vitae commoda parvi ducere et alia multa, quae omnia ita sunt comparata, ut humanam naturam exterreant et odium pariant ejus religionis, quae ea praecipit. Inde factum est, ut evangelium, mox ubi annuntiatum fuit, innumeros ubique et infensissimos hostes expertum fuerit. Hinc repeti debet, quod conspirarint contra evangelium paganismus ubique vigens, philosophorum subtilitas, rhetorum eloquentia, politicorum prudentia, populorum superstitio, sacerdotum invidia, Judaeorum perfidia, tyrannorum immanitas, omniaque suppliciorum genera.

232. *Dem.* III. *p.* Media ad religionis christianae propagationem destinata, si naturaliter considerentur, maxime infirma imo et inepta esse perspicuum est. Nam ad praedicandum evangelium missi sunt duodecim apostoli, qui maxima ex parte erant piscatores, homines nullis litteris exculti, nullis armis nullisque divitiis instructi, nullo principum favore adjuti, pauperes, simplices, obscuri. Una iis scientia: scire Christum et hunc crucifixum; una eloquentia: verbum crucis aperte ac simpliciter exponere; una prudentia: quidquid injuriae inferebatur, patienter sustinere ac pro malis bona reddere. Sectatoribus suis non tantum bona temporalia nulla proponunt, sed ignominiam, aerumnas, supplicia. Quis jam sanae mentis dicat, tales vires synagogam naturaliter superare, idolorum templa destruere, pro iis vexillum crucis erigere novamque religionem in universo mundo propagare potuisse?

Quod si ad patriam apostolorum respiciamus plerosque ex Galilaea fuisse comperimus. (Act. I. 11.) Judaeis autem sat communis persuasio inerat, neque Christum (Joan. VII. 41) neque prophetam i. e. legatum divinitus missum a Galilaea venire (Joan. VII. 52). Quam arduum ergo erat, ut viri ignobiles, Galilaei, a Judaeis ut divini praecones reciperentur.

Etnici autem generatim Judaeos ut osores idolorum spernebant et ut gentem devictam, contumacem & rebellem vilipendebant. Quantae ergo difficultatis erat, ut superbi gentiles a praeconibus, ex Judaea venientibus, religionem Christi, in humili Judaeae loco nati assumerent.

233. „Neque hoc solum mirabile est: sed quod idiotae, pauperes, pauci, ignobiles, illiterati ac viles, alterius linguae, despicabilesque homines, quibus totius orbis emendatio commissa fuerat, jussumque fuerat ad difficiliora ipsum traducere, non illud in pace fecerint, sed innumeris undique bellis exagitati. Per singulas quippe gentes et

urbes, et quid dico per singulas gentes et urbes? per singulas etiam domos bella contra ipsos movebantur. Ingressa namque doctrina, filiumque a patre saepe dividens, nurum a socru, fratrem a fratre, servum a domino, subditum a principe, virum ab uxore, uxorem a viro, patrem a filiis; non enim simul omnes credebant.

Quotidianas inimicitias, bella frequentia, mille mortes doctrina catholica credentibus inducebat, efficiebatque, ut sese mutuo quasi communes hostes aversarentur. Etenim eos pellebant universi: reges, principes, idiotae, liberi, servi, populi, civitates: neque illos tantum, sed quod gravius erat, neophytos in fide, quos illi instituebant. Commune namque bellum et doctoribus et discipulis excitabatur, quippe quum doctrina illa et regiis sanctionibus et consuetudini et paternis moribus adversari videretur.

Et dum ex iis, qui crediderant alii in carcere habitarent, alii in exsilium abducti essent, alii pecuniis mulctati, alii occisi, et in frusta concisi, alii igne consumpti, alii demersi essent, alii omne genus supplicii subirent, ignominia affecti, pulsi, quasi communes hostes undique ejecti; alii numero plures accesserunt, nec modo ex aliorum cruciatibus nihilo segniores evaserunt ad fidem amplectendam, sed multo alacriores fuerunt, et in pulchram hanc capturam insilierunt; sicque a piscatoribus capiebantur, non coacti sed accurrentes, gratiamque habentes iis, qui se in hanc rem deducerent ac cum sanguinum torrentes ex jam credentibus erumpentes cernerent, ferventiores fidentioresque circa fidem erant. Cumque non tantum discipuli, sed etiam magistri, alii vincti, alii pulsi, alii verberati essent, alii demum innumera paterentur mala, discipuli tamen et plures et ferventiores fiebant. Et qui tanta patiebantur, non solum non aegre ferebant, sed et gaudebant, gestiebant, exultabant.

Sic igitur per universum orbem Ecclesiam aedificabant. Atqui ne parietem quidem unum quisquam possit exstruere lapidibus et calce utens, si expellatur et impediatur: hi vero tot Ecclesias ubique terrarum aedificarunt, percussi, vincti, pulsi, fugati, facultatibus mulctati, flagellati, jugulati, combusti, demersi una cum discipulis. Et aedificabant non lapidibus, sed animabus et institutis, quod plane difficilius est, quam lapidibus construere. Non enim par est murum construere, et animam tanto tempore a daemonibus agitatam ad resipiscendum persuadere, ut ab insania illa desistat, et ad tantam perveniat temperantiam. Attamen hoc potuerunt nudi et calceis carentes, una induti tunica per universum orbem circumeuntes: habebant

enim commilitantem Christum. (S. Chrys. l. Quod Chr. sit Deus, n. 13. 14.)

234. *Conclusio.* Itaque quum religio christiana tam celeriter per orbem diffusa sit, quumque ex una parte omnis generis obstacula huic propagationi validissime obsisterent, ex altera vero parte illa subsidiis omnibus naturalibus, ad ea superanda idoneis, penitus esset destituta: homines ad religionem hanc, quae bellum omnibus cupiditatibus & flagitiis indicebat & cultores suos communi apud ceteros homines infamiae, continuis vexationibus ac certissimo mortis periculo exponebat, amplectendam nonnisi omnipotenti influxu Dei, in cujus manu sunt corda hominum, permoveri poterant.

Ergo orbis universus religionem christianam amplexus est vel propter miracula, vel sine miraculis. Si primum, eam divinam esse nemo negabit; si secundum, hoc ipsum maius omni miraculo habendum est, quod religio, cui tot et tanta ex omni parte impedimenta obstabant a paucis infimae plebis hominibus, tam brevi tempore sine ullis humanis subsidiis per totum orbem fuerit propagata. Itaque qui propagationem ingentem religionis christianae, quamvis media naturalia tam exigua et cum operis arduitate comparata paene nulla fuerint, nihilominus tanquam effectum naturalem spectare vellet, is profecto effectum sine causa posse esse statuere deberet. Quamobrem nullum dubium esse potest, quin Deus in religione christiana dilatanda intervenerit.

235. *Dom. IV. p.* Idem confirmat et probat religionis christianae perpetua inter vehementissimas persecutiones stabilitas. Christus enim religioni et Ecclesiae a se institutae non obstantibus plurimis persecutionibus perpetuam stabilitatem promisit, dicens: „Portae inferi non praevalebunt adversus eam". (Mat. 16. 18.) Quod autem Christus praedixit, jam per novemdecim saecula verificatum est. Religio enim christiana in tribus prioribus saeculis in toto imperio romano dirissimis agitata est persecutionibus. His vero cessantibus ex ipsius gremio aliud saevissimorum adversariorum genus enatum est, nimirum haeretici, ac imprimis Ariani, qui imperatorum favore suffulti, vehementissimos motus excitarunt ad rectam Christi fidem labefactandam. His successerunt Donatistae, Pelagiani, Nestoriani, Eutichiani, Monothelitae, Iconomachi, aliique, quorum in Christianos recte sentientes insultus historia ecclesiastica exhibet. Quot dein turbines posterioribus saeculis produxerunt Albigenses, Hussitae, et praecipue saeculo decimo sexto Novatores, qui sub specioso reformationis nomine omnem

lapidem moverunt ad genuinam doctrinam Christi corrumpendam. Ultimis demum temporibus extiterunt increduli, athei, rationalistae, qui sub philosophiae larva, qua incautos deceperunt, conatus suos nonnisi eo direxerunt, ut omnis religio positiva, praecipue catholica e mundo eliminaretur. Hanc tum verbis tum scriptis publice editis insectati sunt; ab hac homines per falsa sophismata, per malignas calumnias, per temerarias illusiones, per sacrae scripturae et historiae corruptiones ac per alia inordinata media avertere studuerunt; adversus hanc foedera et societates inierunt, quibus sese singuli jurerando obstrinxerunt, ut nullis parcerent sumptibus, nullis incommodis, itineribus, nullisque mediis ad finem hunc suum assequendum.

236. Sed nihilominus vera Christi religio et Ecclesia, licet internum et externum bellum permanens sustinere ac per vicissitudines saeculorum modo prosperas modo adversas transire debuerit ac debeat, cernit tamen quotidie ex innimicis suis „cadere a latere suo mille. et decem millia a dextris suis" (Ps. 90.), et novis insurgentibus veteres deficere, semper sibi constans, semper victrix, ex sua virtute fortis, semper una, semper foecunda ac majestate plena.

„Ab his de futuris crede, nullum fore, qui obsistat. Si enim cum ex paucis constaret, cum nova res esse videretur, cum nuper plantata doctrina esset, cum tot bella instarent, tot undique commissa proelia nihil potuerunt, neque praevaluerunt; quanto magis nunc, cum universam terram occupat, omnemque locum, montes, saltus, colles; etenim et maria et gentes sub sole positas omnes apprehendit; cum impietas apud paucos jam obtineat, atque arae, templa, idola omnia sublata fuerint, festa item, initiationes, fumus, nidor et profanae conciones. Quomodo igitur talis tantaque res, tot oblatis impedimentis, tam conspicuum finem habuerit, et exitum veritati fidem facientem, nisi divina quaedam et invicta virtus esset ejus, qui haec praedixit et perfecit? Nemo sane his contradixerit, nisi admodum insaniat, ac mente captus sit". (S. Chrys. Quod Christus sit Deus, n. 15.)

237. Quod si serio perpendamus, quam incertae sint omnes res humanae, quum nihil sub sole permaneat, sed innumeris casibus in omnem partem cuncta agitentur, si imprimis omnium humanarum institutionum, potentissimorum etiam regnorum, imo et systematum philosophicorum et variarum sectarum vicissitudines et continuas mutationes attendamus, hisque opponamus invictam religionis christianae firmitatem, quae inter alias res torrentis instar cum impetu decurrentes sola permansit immota, dubitare profecto non possumus, divi-

nam illam esse, et Illius potentia sustineri, qui res omnes nutu suo moderatur et gubernat.

238. Nec quisquam cum incredulis nostris propagationem ethnicismi tamquam facta similia objiciat. Nulla enim inter hanc propagationem et eam religionis christianae paritas invenitur. Ethnicismus, cujus varii orientales cultus quaedam quasi formae sunt, una cum defectione generis humani a veri Dei cultu ortus est et ex rationis infirmitate ad veritates naturales certo cognoscendas et a pravis cupiditatibus adeo explicatur, ut tunc tantum, si haec defectio non accidisset, mirari et hujus rei causam quaerere deberemus.

239. Quod deinde ad protestantismum attinet, disparitas non minus manifesta est. Etenim *a)* protestantismus nullibi ut nova quaedam religio, sed ubique sub reformationis praetextu introductus est, quod in propaganda religione christiana non contigit. Idem *b)* non tamquam res difficilior, sed tamquam excussio alicujus jugi cervicibus impositi annuntiatus est, quo et omnes cupiditates in suam societatem accivit. *c)* Ubicunque protestantismus propagatus est, ibi principes, viri nobiles et mali sacerdotes, alii aliis promissis allecti, ejusdem antesignani fuerunt, et tantum abest, ut ejus propagatio difficultates invenerit, ut etiam plurimos potentes socios habuerit. Si reformatores, ut se vocabant, non falsam illam reformationem, quae cupiditatibus fraena laxabat, sed talem, quae disciplinam ecclesiasticam severiorem inducendam sumeret, eamque ut diversam omnino religionem introducendam sumpsissent; si in hoc negotio ubique principes, nobiles, populum et sacerdotes sibi contrarios invenissent et persecutionem durissimam per tria saecula sustinere debuissent; et si his non obstantibus opus suum perfecissent: tunc protestantismi propagatio nobis objici posset.

240. De mahumetismi propagatione idem fere dicendum est, quod dictum est de illa protestantismi. Etenim *a)* Mahumetes religionem suam, non ut novam, sed ut ipsam Moysis et Christi religionem denuo instauratam annuntiavit. Ipse *b)* non difficiliorem, sed potius faciliorem legem proposuit. Propagatio demum *c)* armorum vi facta est. (Reinerding th. fund. p. 206. — Alb. a Buls. th. f. p. II. sect. I. c. IV. art. V. — Jungmann de vera rel. p. 190.)

Articulus II.

Religionem christianam divinam esse probant stupendi quos in orbe produxit effectus.

241. Dum ex mutatione, quam christiana religio in doctrinam et mores induxit, argumentum pro divinitate et veritate ejus derivamus, illi fundamento insistimus, quod agentes de necessitate divinae revelationis praestituimus. Ostendimus enim, humanum genus a defectione circa sanam doctrinam et mores, in quam inciderat, nullis mediis humanis revocari potuisse; et ex facto hoc explorato moralem remedii supernaturalis seu divinae revelationis necessitatem merito deduximus. Christiana autem religio inde ab initio ut divinitus revelata hominibus fuit annuntiata et proposita. Itaque si humanum genus a sua defectione humanis mediis revocari non potuit, per religionem autem christianam ex tristissimo suo statu erutum est, imo et per dies eruitur, consequens inde est, religionem christianam esse revera divinitus revelatam.

242. Religio christiana itaque, ab apostolis praedicata, stupendos in orbem terrarum effectus produxit, dum homines a crassa ignorantia liberavit, dum mores corruptos emendavit, homines quoque pessimos quasi in momento in sanctos mutavit, plurimisque imbecillibus personis invictam ad atrocissima martyria perferenda fortitudinem contulit. Isti autem effectus, qui sine divini numinis influxu explicari nequeunt, miraculis in ordine morali patratis jure accensentur, ac ideo religionis christianae divinitatem probant.

243. Ad doctrinam igitur quod spectat, certe christiana religio homines a crassa ignorantia et foeda superstitione liberavit. Ante Christum Dominum universum terrarum orbem, sola Judaeorum gente excepta, infecerat idololatria, quae erat morbus generis humani inveteratus ita, ut neque philosophorum, neque politicorum quisquam eam aggredi ausus sit. Perpetua caligo orbem premere videbatur. Ast quum Christus apparuisset, apostolos in universum orbem ablegasset et religio christiana magis magisque propagaretur: disparuerunt crassae superstitionis atque inscitiae tenebrae et nova rerum conditio introducta est. Loco errorum priorum mentem perfudit doctrina de Deo, ente perfectissimo, universi creatore, conservatore et gubernatore, hominum clementissimo Patre, sanctissimo legislatore et justissimo judice; de animae immortalitate & sublimi fine ei divinitus praestituto; de sanctissima voluntate et lege divina. Atque doctrina haec non penes nonnullos electos remansit discipulos, sed hominum omnis conditionis et omnis dignitatis animos occupavit, ita ut modo etiam infimae plebis homines de rebus ad salutem pertinentibus clare ac secure loquantur, de quibus olim philosophi etiam praestantissimi ancipites haerebant.

244. Nec minus stupenda est mutatio, quae per hanc religionem in hominum moribus contigit. Mores hominum ante evangelium praedicatum corruptissimos fuisse, omnis historia testatur. Neque id mirum fuit apud gentiles, qui numina flagitiis dedita colebant, & in eorundem honorem scelera committebant. Ideo ubique injustitiae, foedae libidines atrocesque caedes praevaluerunt. Qui autem religionem christianam susceperunt, ita mox mutati sunt in alios, ut non tantum vitiis temperarent, sed etiam exempla exhiberent maximarum virtutum. Et haec exempla non rara fuerunt et aliquorum tantum, sed generatim in christianis ita conspicua, ut magnam etiam paganis christiani nominis reverentiam injecerint. Stupebant enim omnes hanc religionem castam moribus et bonis operibus abundantem, religionem, quae animos ab omni ambitione et cupiditate sanet et homines omnis conditionis atque aetatis edoceat, quod summum est sapientiae: dominari sibi; quae ex universo hominum genere unam familiam efficiat; quae quidquid humanam naturam decet perficiat.

245. Speciatim religio christiana saluberrimam vim exserebat in vitam publicam atque domesticam. Seditiones atque regum expulsiones multo rariores effectae sunt, quum haec religio obedientiam potestatibus propter conscientiam praestandam atque omnem potestatem a Deo ordinatam esse doceat. Feritates atque immanitates amphitheatrorum sunt rescissae, bella evaserunt rariora, victores mitiores, et magnanimiores; servitus vel abrogata vel saltem sors servorum melior reddita est, quum evangelium nonnisi caritatem, pacem et injuriarum condonationem praedicet, atque omnes homines inter se aequales, filios ejusdem Patris coelestis esse tradat. Vinculum matrimoniale firmatum ac sanctificatum, dignitas uxorum restituta, et potestas paterna, cui in omnem crudelitatem et imanitatem degenerare licebat, coercita est. Pauperibus miserisque hominibus aperta sunt ubique refugia, erectae sodalitates, et virorum ac feminarum instituta fundata ad juventutis institutionem, captivorum liberationem, aegrotorum curationem et pauperum sustentationem.

Ad rem S. Aug. de morib. Eccl. cath. c. 30: Tu (religio catholica) pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces et doces; tu feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis; tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis; tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia quadam dominatione praeponis; tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore quam sanguinis nectis; tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitatem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis; tu dominis servos, non tam conditionis necessitate quam officii delectatione doces adhaerere; tu dominos servis summi Dei, communis Domini consideratione placabiles et ad consulendum quam ad coereendum propensiores facis; tu cives civibus, tu gentes gentibus, ac prorsus homines hominibus primorum parentum recordatione non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis; tu doces reges prospicere populis, monens populos se subdere regibus, ostendens, quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas et nulli debeatur injuria. (Hett. Theol. fund. p. I. l. I. sect. I §. 6.)

246. Sic ergo religio Christi mentem benigna luce, animam virtute, cor tranquillitate perfundens, mala quibus humanum genus premebatur aut tollens aut saltem imminuens, et omnis generis instituta ad succurrendum miseriae hominum resuscitans, salutem tam singulorum quam familiarum atque etiam societatum civilium insigniter promovit. Si vero mala illa omnia non abstulit, nonnisi homines in culpa erant, quibus aut religio christiana vilescebat, aut qui pravis suis desideriis potius, quam Christi mandatis atque gratiae obsequi volebant.

247. Hujus tam subitae et extraordinariae conversionis testes habemus primum auctores christianos, qui de ea loquuntur ea cum fidentia et securitate atque in illis circumstantiis, ut in eorum verbis falsum suspicari non liceat. Apostolus in omnibus fere epistolis, in quibus sane nulla est adulatio, virtutes christistianorum extollit. Vide 1. Cor. VI. Qui postmodum secuti sunt christiani scriptores in hoc argumento saepius versati sunt, ut Clemens Rom. in sua epist. ad Cor., Justinus, Athenagoras, Tertullianus, in apologiis, quas scripserunt pro christianis, Lactantius et alii. Hi omnes viri, eruditionis et sanctitatis fama illustres, non verentur stupendam illam mutationem ex evangelii praedicatione ortam mire praedicare in publicis scriptis ad imperatores, ad senatum, ad populum romanum missis, fidemque appellare infensissimorum hostium christiani nominis.

Habemus etiam ipsorum paganorum testimonia, et quidem ut cetera omittam, celebrem Plinii proconsulis Bithyniae ad Trajanum epistolam, in qua, ait, nihil se aliud de christianis comperisse, quam „quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent".

248. Talis morum emendatio nonnisi divinae virtuti adscribi potest. Nemo enim nescit, quantae molis sit vel unius hominis men-

tem immutare et ex flagitioso homine vere probum et sanctum efficere. Non est hoc humanae virtutis opus, sed miraculum gratiae in ordine morali, sicut resuscitatio mortui in ordine naturali. Quis jam, quum viderit tam mirabiles effectus non in uno aliove, sed in multitudine prope infinita ubique terrarum contigisse, ita ut fere juxta prophetica verba facta sit nova creatio, novi coeli & nova terra, quis, inquam, haec videns non exclamare cogitur: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?* (Ps. 117.) Quod nulla humana sapientia, nulla principum etiam potentissimorum auctoritas efficere unquam potuisset aut voluisset; id crux Christi effecit, quam apostoli ubique confidentissime praedicarunt. Manet ergo totius orbis testimonio confirmatum, quod ait apostolus: *Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est.* (Cor. I. 18.)

Sane divinae virtutis argumentum est „potuissse tantum orbem confestim a prava tanti temporis consuetudine liberari, in aliam vero consuetudinem longe difficiliorem traduci. Neque tantum consuetudo adversabatur, sed etiam voluptas detinebat, duo tyrannici obices: nam quae a multorum annorum curriculo a patribus, avis, abavis, majoribus, philosophis et rhetoribus acceperant, ea respuere, quae res admodum difficilis erat, docebantur, et novam accipere consuetudinem, eamque, quod gravius erat, valde duram et molestam. Abduxit a voluptate, et induxit in jejunium: abduxit ab amore pecuniarum, et induxit in paupertatem: abduxit a lascivia, et induxit in temperantiam: abduxit ab ira, et induxit in mansuetudinem: abduxit ab invidia, et induxit in benignitatem: abduxit a via lata et spatiosa, et induxit in angustam, arctam et praeruptam, induxit, inquam, assuetos viae latae. Non enim alios assumpsit homines extra mundum et hanc consuetudinem viventes; sed eos ipsos qui jam in ea computruerant, et luto molliores erant, hos jussit in angusta, aspera et arcta incedere via, et id persuasit eis". (S. Chrys. l. Quod Christus sit Deus, n. 12.)

249. *Scholion.* Christum esse Deum ejusque religionem esse divinam, probatur ex sequentibus quoque animadversionibus. „Viventibus iis, qui gloria fruuntur, res eorum florent; iis vero mortuis pereunt haec omnia. Quod non in divite, neque in principe tantum, sed in ipso Imperatore animadvertas. Etenim et leges eorum abrogantur, et imagines obscurantur, memoria eorum exstinguitur, nomen in oblivionem venit, clientes despiciuntur: illorum scilicet, qui prius arma moverant, qui nutu solo populos, urbes resque publicas mutaverant, quibus licebat et occidere, et ad supplicium ductos a morte liberare. Attamen haec omnia pereunt, licet antea floruerint. At secus in Christo: nam ante crucem in luctu res erant. Judas prodidit, Petrus negavit, reliqui fugerunt, solus ille inter inimicos comprehensus est, multi ex iis, qui crediderant, retrorsum abierunt. Postquam autem occisus vitam clausit, ut discas eum, qui crucifixus est, non purum hominem fuisse, res ejus clariores, illustriores, ac sublimiores evaserunt. Ante crucem princeps apostolorum, ne ostiariae quidem minas tulit, sed post tantam initiationem, ajebat se nescire quis esset: post crucem vero orbem terrarum peragravit: hinc innumeri populi martyrum jugulati sunt, praeoptantes occidi, quam ea loqui, quae locutus fuerat princeps apostolorum, unius ostiariae terrore superatus. Hinc omnes regiones, et omnes civitates, desertum, habitata et inhabitata terra, crucifixum praedicant. Reges, duces, principes, consules, liberi, servi, idiotae, sapientes, insipientes, barbari, variaque hominum genera, demum universa, quam sol respicit, terra tam ampla hoc nomine et ejus adoratione frequentatur. Locus autem, qui corpus illud occisum recepit, licet admodum parvus et angustus, innumeris regum aulis venerabilior, ipsisque regibus pretiosior: *Et erit requies ejus honor* (Is. XI. 10). Quodque mirabile dictu est: id non ipsi tantum, sed etiam discipulis ejus contigit: nam qui vi ducebantur et circumagebantur, contempti, vincti, innumeris malis affecti, post mortem ipsis regibus honorabiliores sunt. In regia urbe Roma, missis aliis omnibus, ad sepulcra piscatoris et tentoriorum opificis accurrunt Imperatores, consules, exercituum duces: Constantinopoli vero non prope apostolos, sed foris ad ipsa limina optaverunt ii, qui diademate rediminuntur, corpora sua sepeliri: atque ita Imperatores piscatorum ostiarii facti sunt: sic in obitu hoc non dedecori, sed honori sibi esse putant non solum ipsi, sed etiam eorum nepotes.

Facinorosorum olim alii comburebantur, alii lapidabantur, alii alio supplicii genere vitam claudebant: crucifixus autem, in ligno pendens, non id solum mali patiebatur, quod eam subiret damnationem, sed quod maledictus esset: *Maledictus enim*, inquit, *omnis qui pendet in ligno* (Deut. XXI. 23). Attamen maledictum illud exsecrabile, extremi supplicii symbolum, nunc desiderabile amabileque factum est. Nam

a) Nihil imperatoriam coronam sic exornat, ut crux universo mundo pretiosior: et quod omnes olim exhorrescebant, ejus nunc figura

ita certatim exquiritur ab omnibus, ut ubique reperiatur, apud principes et subditos, apud mulieres et viros, apud virgines et nuptas, apud servos et liberos. Hoc in sacra mensa, hoc in sacerdotum ordinationibus, hoc ubique celebratum est: in domibus, in foro, in desertis, in viis, in montibus, in saltibus, in collibus, in mari, in navibus, in insulis, in lectis . . . in corporibus a daemone obsessis, in bellis, in pace . . . adeo certatim donum hoc mirabile, ejusque ineffabilem gratiam omnes perquirunt. Nemo pudore afficitur, vel erubescit dum cogitat hoc maledictae mortis symbolum esse; sed illo omnes magis exornamur, quam coronis, diadematibus, et mille margaritarum monilibus: ita non modo non avertamur crucem, sed etiam amabilis illa desiderabilisque omnibus est: ubique illa fulget, in parietibus domorum, in tectis, in libris, in urbibus, in vicis, in incultis et cultis locis. Hic libenter Gentilem interrogarem, undenam fit, ut damnationis maledictaeque mortis symbolum, omnibus ita amabile optabileque sit?"

b) „Sunt judicibus multa suppliciorum genera, lignum, lorum, ungues, plumbata, quibus corpora lacerant, membra discerpunt atque suspendunt: quisnam vellet haec in domum suam inferre? Quis vellet carnificis haec agentis manum contingere, vel ut id videret, propius accedere? Annon plerique haec exsecrantur, aliique hinc male ominantur, ac neque tactum, neque aspectum ferunt? Annon etiam procul fugiunt, et oculos avertunt? Talis olim crux erat, imo illis multo gravior. Nam, ut ante dixi, non tantum mortis, sed etiam maledictae mortis symbolum erat. Unde ergo, dic mihi, jam ita desiderabilis optabilisque facta est, omnibusque antefertur?"

c) „Illud vero ipsum lignum, in quo sacrum corpus passum et crucifixum est, cur certatim omnes adeunt? Cur particulam ejus multi sumentes auro inclusam tum viri tum mulieres a collo suspendunt ad ornatum: etsi damnationis et ultionis symbolum hoc lignum fuerit? At qui omnia facit, et immutat ea, qui orbem ex tanta nequitia transtulit, et terram coelum effecit, etiam rem hanc vituperio plenam, et mortem omnium ignominiosissimam supra coelos adduxit. Haec igitur omnia praevidens propheta dicebat: *Et erit requies ejus honor.* Hoc quippe mortis symbolum multis benedictionis argumentum effectum est, et omnimodae firmitatis murus, diaboli lethiferra plaga, daemonum fraenum, camus adversariarum virtutum. Hoc mortem sustulit, hoc inferni portas

aereas confregit, vectes ferreos contrivit, diaboli arcem destruxit, peccati nervos excidit, totum orbem damnationi subjectum eripuit, immissam divinitus naturae nostrae plagam curavit. Quid dico? Quod non potuere mare divisum, petrae scissae, manna quadraginta annis tot hominum millibus erogatum, lex et alia signa cum in deserto, tum in Palaestina facta, haec potuit crux, non in una gente, sed in toto orbe; crux, inquam, maledictum symbolum, omnibus horrendum, omnibus exsecrandum, post crucifixi mortem potuit omnia nullo negotio perficere". (S. Chrys l. Quod Christus sit Deus, n. 9—11.)

Articulus III.

Ingens martyrum numerus invictaque eorum in tormentis constantia demonstrat, divinam esse Christi religionem, pro qua sanguinem suum fuderunt.

250. Martyres considerari possunt vel ut *factum stupendum*, ad cujus explicationem requiritur interventus divinus, vel ut *testes*, qui religioni Christi ceu divinae dant testimonium.

In martyribus, prout sunt phaenomenon in historia novum et stupendum, considerare debemus I. ingentem numerum; II. exquisita supplicia, quibus martyres aetatis omnis, utriusque sexus omnisque conditionis cruciabantur; III. constantiam et fortitudinem, qua prompte, alacriter atque hilariter martyres cruciatus ferebant, aliasque virtutes, quas martyrii tempore exercebant.

251. *Dem. I. partis. Martyrum ingens numerus.* In decem diris persecutionibus ab imperatoribus romanis motis ingentem christianorum numerum martyrium pro fide Christi sustinuisse tum ex apologetis christianis, tum ex testimonio Eusebii (Hist. eccl. l 8. c. 4.), Lactantii (de morte pers. c. 16.), Taciti (annal. l. 15. n. 44.) et aliorum constat. Idem ex tempore et extensione persecutionum, ut romanae in toto antiquo imperio romano grassantis et ad tria saecula protractae, Persicae, Vandalicae, Anglicae, Japonicae & Sinensis colligitur. Jam in sola romana persecutione ingentem christianorum numerum obiisse Tacitus, Suetonius, Plinius ex ethnicis, et Origenes, Tertullianus, Lactantius, Sulpitius Severus et alii ex christianis testantur. Ex quibus Tacitus in sola Neroniana „multitudinem ingentem" periise scribit (Annall. l. 15. n. 44.) Quod ad persecutionem Vandalicam, quae solam Africam afficiebat nec admodum diu perdurabat, attinet. Victor. Vit. in ea 40.000 occubuisse narrat. Nec minori in Persia

& Japania furore contra christianos saevitum est. Quas omnes persecutiones si simul comprehendimus, merito myriades, qui veritatem religionis Christianae proprio sanguine testati sint, fuisse dicuntur. Quis tot millia hominum naturam humanam exuisse dixerit?

252. *Dem. II. partis. Tortorum crudelitas et furor immanis.* Ex iisdem monumentis & ex genuinis martyrum actis certo liquet, exquisitissima fuisse supplicia, quibus christiani ubique subjecti fuerunt. Ad hos enim cruciandos inhumani persecutores adhibuerunt: tauros aeneos candentes, ferreas laminas, faces, sarmenta, pectines ferreos, equuleos forcipes, rotarum varia genera, torcularia, cruces, compedes, ungulas, plumbata, uncos, lebetes, sartagines, craticulas aliaque innumera, quorum usus et applicatio sine maximo horrore ne legi quidem aut cogitari possunt. — Haec autem in toto qua late patet terrarum orbe tolerarunt christiani plurimi cujusque conditionis, aetatis ac sexus, delicati, nobiles, servi, senes decrepiti ac infirmi, fragiles feminae, pavidi pueri, tenerae puellae. Data enim optione, ut aut a fide deficientes aucuparentur delicias & honores, aut, si malint, in fide constantes experirentur supplicia: haec potius eligebant ac saevos quosque cruciatus cum fortitudine et alacritate subibant.

253. Triplex praesertim cruciatuum genus vim sensumque augebat:

a) *Pugna adversus carnem et sanguinem.* „Majorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum, quam persecutiones insectantium. Quam multos enim tenebant filii, ne paterentur? Quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduae relinquerentur? Quam multos parentes filii prohibebant mori, sicut novimus et legitur in passione beatae Perpetuae? Facta sunt ista. Sed lacrymae quantaelibet ut quantolibet impetu fluerent, quando ardorem caritatis exstinguerent?“ (S. Aug. Enarrat. in ps. 47. n. 13.)

b) *Summa persecutionum injustitia.* Subjiciebantur enim martyres dirissimis tormentis omni defensione negata, quae vel nefandissimorum reis concedebatur. „Respondendi, altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari. Sed christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod judicem non faciat injustum. Sed illud solum exspectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis: quando si de aliquo nocente cognoscitis, non statim confesso eo nomen homicidae vel sacrilegi vel incesti vel publici hostis . . . contenti sitis ad pronunciandum, nisi et consequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, modum, tempus, consocios, socios. De nobis nihil tale“. (Tertull. Apolog. c. 2.)

c) *Summa persecutorum saevities.* „Contendunt igitur, scribit Lactantius, ut vincant, et exquisitos dolores corporibus immittunt, et nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur“. (Divin. instit. l. 5. c. 11.) Idem testatur Hieronymus: „Sub Decio et Valeriano persecutoribus . . . multas apud Aegyptum et Thebaidem ecclesias tempestas saeva populata est. Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora, et ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait: *Volentibus mori non permittebatur occidi*“. (Hurter SS. PP. opusc. IV. Diss. III. Martyrum sanguis vox veritatis.)

Dem. III. partis. Martyres crudeles hos cruciatus magna animi fortitudine et constantia tolerabant. „Latrones et robusti corporis viri, ita Lactantius, ejusmodi lacerationes perferre nequeunt; exclamant et gemitus edunt, vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem (ut de viris taceam) *pueri* et *mulierculae* tortores suos taciti vincunt et exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani et Mutio glorientur aut Regulo, quorum alter necandum se hostibus tradidit, quod captivum puduit vivere; alter ab hostibus deprehensus, cum videret se mortem vitare non posse, manum foco injecit . . . Ecce sexus infirmus et fragilis aetas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, sed voluntate, quia confidunt Deo“. (Divin. instit. l. 5. c. 13.) Sed non solum constanter atque fortiter, sed prompte etiam, alacriter atque hilariter saevissima tolerabant tormenta. Unde Tertullianus (Apolog. c. 1. n. 6, et ad nat. l. 1. c. I.): „Neminem pudet, neminem poenitet nisi pristinorum. Si denotatur, gloriatur, damnatus gratias agit“. Denique martyres martyrii tempore eminebant praeclaris virtutibus, praesertim: tranqillitate et hilaritate animi, humilitate et modestia, salutari timore orto ex cognitione propriae infirmitatis juncto tamen cum fiducia in Dei auxilium, prudentia. „Tenemus ecce arma — inquit Mauricius cum suis commilitonibus Maximiano — et non resistimus, quia mori quam occidere satis malumus, et innocentes interire, quam noxii vivere peroptamus. Si quid in nos ultra statueris, si quid adhuc jusseris, si quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum subire parati sumus“. (Apud. Euch. Lugd. ep. ad Salv. de pass. Maur. n. 4.)

254. Quis talem animi fortitudinem et alacritatem naturaliter explicabit? Certe quicunque tantam fortitudinem, et in natura infirma et imbecilli tantam animi virtutem diuturnam tam universalem, tam incredibilem considerat; fatebitur nobiscum, naturam hominum istius constantiae capacem non esse; sed Christum adfuisse martyribus suis et humanis mentibus indidisse vim divinam omnibus humanis affectionibus potentiorem. Nam nec emolumenti temporalis spes aderat, ubi relictis omnibus, quae in hac terra possidebant, tormentis et morti se tradebant. Neque eos gloriae cupido incitare poterat, qui crucis ignominiam amplectebantur et malefactorum supplicia alacri animo sustinebant. Neque fanatico errore agitari potuit tanta multitudo omnis generis sexusque hominum tot locis & saeculis distinctorum, quorum plerique in fide christiana a pueritia innutriti non fuerant, sed accesserunt libenter ad hanc disciplinam, quamquam sciebant, se eam amplectendo acerba quaeque et nefanda passuros. Constat enim, quod christiani plerique religionem, pro qua mortem obierunt, non a parentibus quasi haereditate acceperunt, sed eam amplexi fuerunt contradicentibus primis educationis suae principiis. „De vestris fuimus, ait Tertullianus (Apolog. c. XVIII), fiunt, non nascuntur christiani."

Fateantur igitur increduli, quod ipsi gentiles, quum martyrum fortitudinem spectarent, fateri toties coacti sunt, a Deo profectam esse religionem illam, quae in omni aetate, in omni sexu, in omni conditione athletas formaverat tantae virtutis et tam excelsae mentis, ut quamvis homines, hominibus tamen majores viderentur. Ipsi tortores fiebant christiani, ita ut jure merito Tertullianus praesides alloqui potuerit: „Cruciate, torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra . . . nec quidquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra, illecebra est magis sectae. Plures efficimur quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum". (Apol. c. 50.).

255. Considerari quoque possunt martyres prout sunt *testes,* qui facta historica religionis christianae testantur usque ad sanguinis effusionem. Jam vero ejusmodi testimonium, nisi omnes criticae leges conculcentur, censeri debet veritatis testimonium. Si enim omnium sententia testimonium eo majoris est ponderis, quo *plures* fide digni in illud conspirant, quo *majori asseveratione* illud confirmant, quanti non est faciendum testimonium, in quod *innumeri* omnis aetatis, conditionis, gentis et virtutum splendore illustres conspirarunt, quique illud non verbis tantum, sed ipsius sanguinis obsignarunt effusione?

Et si nemo *gratis* mendax, quanto minus innumeri, qui pro illius confirmatione, quod testantur, parati sunt omnia quamvis durissima exilia, bonorum omnium jacturam, tormenta horrenda, mortem ipsam absque spe lucri subire? Sed martyrum multitudo infinita omnis aetatis, conditionis, gentis illa contestatur facta, quibus innititur religio christiana et, ne ejus parvipendatur testimonium, absque ulla utilitatis spe pro illius confirmatione adversa quaeque patitur largeque sanguinem profundit suum. Hujus ergo multitudinis testimonium, sanguine obsignatum, veritatis censeri debet testimonium. „Cum quis viderit, inquit S. Hieronymus (ep ad Hedibiam ep. 120 c. 10), tanta perseverentia stare martyres atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, subit tacita cogitatio, quod *nisi verum esset evangelium, nunquam sanguine defenderetur.* Neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. Hic triumphus est Dei apostolorumque victoria". (SS. PP. op. IV. Hurter Diss. Mart. sanguis vox veritatis n. 25.)

256. Neque argumenti nostri vis ex eo enervatur, quod inter infideles quoque et haereticos nonnulli inventi fuerint, qui pro superstitione seu errore suo cruentam mortem tolerarint. Homines furore animi obcaecatos pro opinionibus suis adamatis varia supplicia et ipsam mortem subiisse non negamus; ast in martyres christianos nulla cadit ejusmodi suspicio. Etenim illa animae quies, quam in cruciatibus martyres prae se ferebant; amor, quo ipsos hostes amplectebantur; preces, quas pro inimicis etiam fundebant: haec, inquam, animum ab omni illusione prorsus immunem arguunt. Fanatismus praeterea nec omnes ubique invadit, nec diuturnus est, sed brevi dissipatur atque maturae diliberationi cedit, et nonnisi circa ea versatur, quae in opinionibus speculativis posita sunt. Hinc qui ab adversariis enumerantur martyres susperstitionis et erroris, tantum pauci sunt, qui potius pro sua sententia aut suo placito, non autem pro divinitus facta revelatione pugnarunt. At christiani supplicia acerbissima subibant innumeri, ex omni hominum classe, in universo terrarum orbe, per tria saecula in continuo, non pro suis opinionibus, sed pro confirmandis factis sensibilibus et publicis, in quibus decipi non potuerunt. Quis enim mori velit ad confirmandum se vidisse quod non vidit? Deinde etiam concedimus, cupiditate gloriae, quae illis viris, quos adversarii e numero paganorum nobis objiciunt, inesse potuit, dolorum et mortis metum vinci. At inter christianos mortem perpessi sunt homines de plebe plurimi vix vicinis suis cogniti, mu-

lieres, virgines, adolescentes, quibus nec cupido nec spes probabilis inesse potuit duraturi nominis; nam pauci sunt, quorum nomina in martyrologiis extant, prae numero eorum, qui supplicium tolerarunt et tantum in cumulo recensentur. (Jugmann. de ver. rel. p. 203. et seq. — Lieb. th. f. p. II. c. art. IV. — Alb. a. Buls. th. f. p. II. sect. I. c. IV. art. V. — Reinerding th. f. p. 198. — Schw. th. f. p. I. edit. n. p. 357.)

Militum fortitudo martyrum constantiae nullatenus conferri potest. Milites enim spe praedae, spe gloriae, spe honoris, spe evadendi periculo alliciuntur; saepe coacte pro patria pugnant, neque se exponunt morti certae, quae si quando contingat, plerumque est subita et sine vehementi dolore.

257. Fides ergo christiana „divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens ac coelestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum urbem terra marique a solis ortu usque ad occasum uno crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia errorum, depulsa caligine triumphatisque cujusvis generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes utcunque immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuntians omnibus pacem, omnibus bona. Quae certe omnia tantae divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat, *christianam fidem* **Dei opus esse**“. (Pius IX. Encycl. d. 9. Nov. 1846.)

Caput VI.

De judaismo, gentilismo et mahumetismo.

Articulus I.

Hodierna religio Judaeorum falsa est, et neutiquam ut divina revelatio haberi potest.

258. Si certum est, ut omnis generis argumentis probavimus, religionem christianam divinam habere originem: simul demonstratum est, reliquas omnes hoc charactere penitus destitui. Deus enim sibi

contradicere non potest, nec veritas cum veritate pugnare. Hoc solo argumento omnium religionum, quae a christiana dissident, falsitas apparet.

Verum licet demonstratio veri in se contineat confutationem erroris, neque absolute necessarium esset contra religiones a christiana discrepantes disserere post tam longam et luculentam fidei christianae confirmationem; nihilominus quaedam adhuc peculiaria manent dicenda de variis illis religionibus ad hujus tractatus complementum. Religiones omnes, quae per orbem dividuntur et sese revelatas dicunt, revocantur ad quatuor: christianam, judaicam, paganam, mahumetanam. Pro christiana pugnavimus hucusque; nunc pauca de aliis adjicienda sunt.

259. Religionem mosaicam, quam Judaei colebant, divinitus revelatam esse, solidis argumentis probatum est. Religionem vero, cui modo Judaei addicti sunt, ut falsam rejiciendam esse, facile probari potest. Judaei enim post promulgatum evangelium I. novam a Deo datam revelationem contemnunt, II. antiquam vere a Deo factam corrumpunt; ac proinde hodierna eorum religio III. externis revelationis characteribus penitus destituta est.

260. *Prob. I. p.* In veteris testamenti revelatione, quam Judaei venerantur, Messias ceu novae revelationis praeco novaeque legis auctor promissus et praenuntiatus fuit, quem Judaei audire et sequi ab ipso Moyse jussi sunt (Deut. XVIII. 18, 19). Messiam autem actu jam advenisse, et nullum alium esse, nisi Jesum Nazarenum, argumenta invicta ostendunt. Hunc ergo audire, ipsiusque doctrinam et legem evangelicam relictis caeremonialibus Moysis sequi oportet. Longe ergo aberrant Judaei a veritate, ipsamque legem mosaicam gravissime violant, dum Jesum Nazarenum ceu Messiam sive Christum non agnoscunt, plenam revelationis lucem ab ipso allatam spernunt, et mosaismo jam abrogato obstinate inhaerent. Nam *usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum* (II. Cor. III. 15.)

Religio judaica, quae jam ante Christum per sectas Pharisaeorum et Sadducaeorum corrumpi coepit, multo magis post excidium hierosolymitanum gentisque dispersionem per Thalmudistas corrupta fuit. Hi enim, arbitrarias sacrorum librorum expositiones et spurias traditiones secuti, religioni suae crassos errores addiderunt. Thalmudistae sive Rabbinistae nimirum praeter legem scriptam admittunt legem traditam, quam et commentarium legis scriptae vocant eamque dicunt per longam generationum seriem a senioribus, sacerdotibus et prophetis ac demum a viris magnae synagogae diligentissime conservatam usque ad tempora Rabbi Judae Hakadosch vel sancti, qui tempore Hadriani imperatoris vixit circa

annum Christi 150. Hic primus legem traditam scripto consignavit in opere, quod mischna vocatur, vel secunda lex. Mischnae ab aliis Rabbinis postmodum addita est gemara, quae est commentarium ipsius mischnae. Ex mischna et commentario seu gemara coaluit liber doctrinalis Judaeorum, qui thalmud dicitur. Primum thalmud Hierosolymis concinnatum est, et ideo hierosolymitanum vocatur. Verum quum post 200 annos Judaei Babylone commorantes alias Rabbinorum interpretationes mischnae collegerunt, saeculo V. aliud prodiit clarius praecedente et multo copiosius, quod babylonicum vocant. Hodierni Judaei passim sequuntur thalmud babylonicum ejusque auctoritatem parem habent scripturae sacrae.

261. *Prob. II. p.* Per Thalmudistas religionem mosaicam esse corruptam, consentiunt nobiscum imprimis omnes Judaei, Karaitae dicti, qui satius duxerunt soli librorum textui adhaerere, quam auctoritatem thalmudis admittere. Et sane Thalmudistae plurimos errores mosaicae religioni addiderunt. Nam

a) asserunt, Deum quotidie tres horas impendere discendae legi thalmudicae, quotidie ob excidium Hierosolymae et templi lacrimari, venturo Messiae monstruosum convivium parasse et verum Israelitam in altero mundo ultra duodecim menses non puniturum esse.

b) Messiam plerique exspectant ceu nationalem et terrestrem regem, qui Judaeos in Palaestinam reducat et exaltet. Alii duplicem discernunt Messiam vel officio: unum Gentium, alterum Judaeorum; vel sorte: unum humilem filium Joseph ex Ephraim, alium sublimem ex familia Davidis. Circa Messiae adventum neglectis et contortis clarissimis veteris testamenti vaticiniis vel inanes traditiones sequuntur, vel indeterminatum esse censent tempus ipsius, et anathema intentant omnibus, qui illud computare velint.

c) Legem mosaicam secundum omnes suas leges actu obligare et usque ad finem mundi perduraturam esse docent.

d) Doctrinam etiam moralem pessumdant; nam in thalmude multo magis externae caeremoniae, quam internae virtutes inculcantur.

Errores autem tam absurdi, fini hominis ac spiritui religionis adversi, satis ostendunt, religionem, quam modo Judaei profitentur, a Deo revelatam non esse.

262. *Prob. III. p.* Externis etiam revelationis characteribus hadierna Judaeorum religio penitus caret. Quum enim ante Christum quovis fere tempore viros insignes habuerint, qui miraculis et prophetiis divinam suam missionem ostenderunt, post Christum neque ullum miraculum, neque ullam prophetiam ostendere possunt, quo

fides ipsorum confirmaretur. (Alb. a Buls. th. f. p. II. sect. I. art. III. — Lieb. th. f. p. II. c. III. art. I.)

Articulus II.

Nulla est ex gentilium religionibus, quae divinae revelationis characterem habeat aut habere possit.

263. Communi gentilium, vel quod idem est ethnicorum sive paganorum nomine continentur omnes, qui unquam extiterunt, aut adhuc existunt, falsorum numinum cultores. Post religionem patriarchis revelatam omnium antiquissima fuit ista religio gentilium, quae ante Christum ad omnes populos solis Hebraeis exceptis extensa fuit, sed pro diversitate gentium semper fuit diversa, adeo ut in quavis fere regione alii dii haberentur nec iisdem semper modis colerentur. In hac autem tum fidei tum cultus externi discrepantia in eo tantum gentiles convenerunt, quod, ut Apostolus ait (Rom. I. 25), „veritatem Dei commutaverint in mendacium, et coluerint, et servierint creaturae potius quam creatori".

264. Nulla est ex gentilium religionibus, quae divinae revelationis characterem habeat aut habere possit. Nam ut aliqua ex gentilium religionibus dici posset divinitus revelata, probandum esset, eam certo aliquo tempore fuisse e coelo in terras delatam et hominibus promulgatam. Sed nihil ejusmodi probari potest; omnes enim ethnicae religionis partes ex ignorantia, levitate, cordis corruptione, metu et adulalione aliisque impuris fontibus manarunt et ex iisdem postmodum incrementa sua ceperunt.

Deinde si gentilismus juxta recta rationis principia examinetur, facile apparet, doctrinam religionis in ipso traditam neque Deo dignam, neque hominibus accomodatam esse, sed rectae rationi prorsus repugnare, atque ideo divinitus revelatam dici nullatenus posse. Nam

1) in gentilismo primarius religionis articulus de uno et vero Deo evertitur et contra omnem rationem pluralitas deorum statuitur, qui non solum orti sed et sceleribus contaminati dicuntur: ebriosus Bacchus, impudica Venus, mulierosus Hercules, crudelis in filios Saturnus, adulteriis infamis Jupiter etc. Tales dii orco potius sunt digni quam coelo. Adde non hominibus modo, verum etiam astris et elementis, animantibus, quibus Deus praeesse hominem voluit, ipsisque malis geniis divinum cultum fuisse exhibitum maximo sane humanae rationis dedecore. Eodem modo gentilismus circa perfectiones divinas, Dei praesertim providentiam et animae humanae immortalitatem ac retributionem in altera vita errat.

2) Moralis gentilismi doctrina non moralitatem religiosam, non amorem erga Deum et proximum, sed cultum externum vel superstitiosum vel obscoenum et crudelem praescripsit. Venerabantur enim pagani deos suos sanguine humano, nudorum hominum in templis cursatione, ludis et saltationibus spurcitiae plenis, qualia nunc etiam conspiciuntur apud Americae, Africae et Indiarum populos paganismi tenebris obsitos.

265. Hierarchicon non ad fines religiosos, sed mere politicos dirigebatur, et statum sacerdotum concernebat, qui non ad populum instruendum et moraliter perficiendum, sed ad idola custodienda, alenda et ineptis ritibus colenda destinati erant. Ex his jam abunde patet, religionem gentilium minime esse revelatam, sed ut falsissimam penitus rejici debere.

266. Eadem conclusio deducitur ex consideratione librorum, qui a gentilibus ut divini habentur. Imprimis de omnibus istis libris certum est, eos divinos nec esse nec esse posse. Etiamsi enim libri, qui a gentilibus ut divini habentur, nihil continerent Deo indignum verisque ac genuinis religionis naturalis veritatibus contrarium, nondum sequeretur, eos divinam habere auctoritatem. Ad hoc enim necesse esset, ut positivis argumentis haec coelestis origo probaretur; ut eorum auctores divinae suae missionis et inspirationis fidem fecisse probarentur. Sed nihil ejusmodi probari hucusque potuit. Obscura et incerta est librorum sacrorum gentilium origo; de eorum auctoribus et antiquitate eruditi non consentiunt.

267. Porro certum est, libros, qui a gentibus ut sacri habentur, multa in se continere sanae rationi contraria. Sane liber Sinensium praecipuus Chingu-King vel Schu-King, qui communiter a Confucio 500 ante Christum annis adornatus dicitur, totus ineptiis repletus est summamque auctoris ignorantiam prodit. Nullibi in eo occurrit dogma de unius Dei existentia, sed potius commendat idololatriam. In tradendis morum regulis valde jejunus est et insufficiens ac philosophorum tum Graecorum tum Romanorum libris longe inferior.

268. Idem de sacris Indiorum libris ferendum est judicium. Etenim an liber, qui Vedam dicitur, adhuc existat aut an unquam exstiterit, incertum est. In commentario Vedam, quod Schaster vel Ezour aut Ezour-Vedam vocatur, plura quidem utilia & plena verae sapientiae documenta occurrunt, sed notandum est *a)* illos commentarios non esse perantiquos, ut legenti cuique perspicuum est; multa esse ex sacris Judaeorum et Christianorum libris imo ex Alcorano desumpta. *b)* Insuper totos scatere fabulis, superstitionibus & absurditatibus. Sane ex publica professione religionis Indiorum judicari potest, quid in libris Vedam & Ezour-Vedam contineatur. Praeter supremum deum tres adhuc minores colunt: Bramam, Isuren et Vischnu; his putant curam humani generis esse commendatam. Daemonem colunt, ne noceat. Multas habent impias, crudeles & foedas religionis caeremonias.

269. Communis eruditorum sententia est, Zoroastrum celeberrimum apud Persas philosophum & legislatorem, 550 circiter annis ante Christum Persis leges & religionem dedisse, eo fere tempore, quo Confucius apud Sinenses floruit, finita jam aut ad finem vergente Judaeorum captivitate. Sed utrum iste Zoroaster sit auctor libri Zend-Avestae tam parum conspirant scriptorum testimonia, ut ad ea concilianda sex hujus nominis viros statuere necesse esset. Scatet praeterea iste liber ineptiis et absurdis sententiis; duo admittit principia: unum boni, quod Ormuth, aliud mali, quod Ohriman vocat; de virtutibus ita loquitur, ut auctor videatur plures et praecipuas ignorasse; reliquas vero perfunctorie tantum attigit. Amorem erga homines commendat quidem sed exclusis alienigenis; in ritibus externis, quorum permagnus est numerus, multa sunt superstitiosa, foeda et indecora.

270. Prima graecae theologiae monumenta, quae ad nos pervenerunt, sunt Homeri et Hesiodi poemata; sed his numquam divinam originem attribuit antiquitas. De sybillinis libris, quos Romani ut sacros coluerunt, et de omnibus oraculis locuti sumus, quum de prophetiis ageretur. Sive ergo paganismi religio generatim spectetur sive gentilium libri sacri considerentur, eadem manet conclusio, nullam esse ex gentilium religionibus, quae divinae revelationis characterem habeat, aut habere possit. (Lieb. th. f. p. II. c. III. art. III. — Alb. a. Buls. th. f. p. II. sect. I. c. V. art. I.)

Articulus III.

Religio mahumetana divinitus revelata esse non potest.

271. Mahumetismus in Arabia saeculo VI., dum summa regnaret ruditas ac superstitio, auctore Mahumete ortus nihil divinum praesefert. Est autem initium mahumetismi sequens. Mahumetes ex paupere sed nobili familia Meccae in Arabia anno Christi 571 natus primum mercaturam faciens Kadyae nupsit viduae nobili et diviti. In hac lautiori vitae conditione, ut erat non divitiis tantum

sed et corporis et ingenii dotibus inter populares suos praestantissimus, novum vitae genus meditari et anno aetatis suae quadragesimo prophetam agere coepit hominibusque persuadere conatus est, se ad emendandam religionem a Deo esse missum, et, ut sibi auctoritatem conciliaret, colloquia cum angelo Gabriele, imo cum ipso Deo instituta jactavit. Multos in civitate sua adversarios expertus est, praecipue vero quum Arabum deos convitiis appeteret, vehementer in eum concitati sunt, adeo ut ad declinandas eorum insidias coactus fuerit Medinam confugere. Haec fuga, quae arabica lingua hedschira appellatur, initium dedit aerae arabicae; contigit anno post Christum 622.

Quamdiu vires deerant, sola persuasione usus est Mahumetes, imo repetitis vicibus declaraverat, se a Deo missum, ut homines solummodo admoneret, nec sibi licere quemquam ad fidem compellere. Quum autem Medinae incolas sibi devinxisset et auctum jam videret asseclarum numerum, confestim coepit missionem suam armorum vi comprobare, id sibi a Deo injuctum asseverans, ut infideles armis aggrederetur et victoriis fidem conciliaret novae religoni. Ex hoc tempore prospera plerumque fortuna usus est, ita ut per totam Arabiam religionem suam cum imperio protenderit coeperitque terrori esse exteris, quum anno hedschirae XI. aetatis 63. veneno sublatus est.

272. Successor et socer Mahumetis Abubeker, vir magni nominis, primus librum edidit, quem mahumetani Alcoranum vocant; quamquam etiam ipse Mahumetes libri auctor dici possit in hoc sensu, quod ex sermonibus constet a Mahumete habitis & ab ejus successore in unum volumen collectis.

Alcoranus dividitur in Suras seu capita 114, quae in ipso libro originali non numeris sed titulis distinctae sunt. Alcoranus continet judicia, historias et paraeneses. Ad judicia pertinent leges & sanctiones, tam ad res sacras quam politicas spectantes. Ad historias, narrationes, quae partim ex libris sacris, quamvis corruptae, desumptae sunt, partim ex thalmude mutuatae. Ad paraeneses referuntur adhortationes ad novam religionem etc. Communis & certissima mahumetanorum sententia est, Alcoranum divinam habere originem. — Praeter Alcoranum habent mahumetani etiam Sonnam seu Sunnam i. e. legem traditam, quae varias relationes ad dicta vel facta prophetae pertinentes continet, sed pari consensu a mahumetanis non suscipitur, et sunt inter eos Sonnitae, qui eam acceptant, et Schiitae, qui reprobant.

273. Si jam religio mahumetana rationabili censurae subjiciatur, manifeste apparet, illam divinitus revelatam non esse. Nam

1) religio mahumetana est iniqua, quia Mahumetes credi sibi vult, nulla inquirendi relicta libertate.

2) Nec minus a recta ratione abhorret praeceptum bellandi pro religione atque hanc vi armorum propagandi, quasi fides seu internus mentis assensus per externam coactionem elici possit. Exinde per se manifestum est, absurdam esse responsionem Mahumetis, qui a Meccanis, Judaeis aliisque provocatus, ut missionem suam divinam aliquo signo confirmaret, se, suscitatum ad fortitudinem Dei demonstrandam, opus habere gladio non miraculis, ut ad fidem etiam invitos cogeret.

3) Alcoranus continet doctrinam de fato et absoluta Dei praedeterminatione; summam beatitudinem in voluptatibus carnis ponit; totam religionem in rebus externis collocat: in purificationibus, orationibus, jejuniis, eleemosyna: quae si quis diligenter servaverit et ad minimum semel toto vitae suae tempore Meccam peregrinatus fuerit, verus erit, ut in Corano dicitur, Mahumetis discipulus et certo incola paradisi.

4) Inculcat quidem religio mahumetana dilectionem Dei et amorem proximi; hic tamen ad religionis mahumetanae asseclas restringitur, ita ut etiam odium et caedes alienorum a professione mahumetana praecipiatur. (Surra 47. 4.) Illos, qui vi vel metu compulsi contra Dei leges agunt, a peccato excusat, de repudio leges statuit ab omni aequitate naturali abhorrentes. Verbo dici potest, Alcoranum insulsis refertum esse narrationibus, quae magnam auctoris ignorantiam produnt.

5) Persona Mahumetis nullis sanctitatis notis insignita est, quae legatum divinum sive prophetam ad emendandam religionem a Deo missum decent; ostendit enim indomitam ambitionem, quae ob fines suos promovendos fraudibus & caedibus non parcit. Quantum libidini deditus fuerit, probat uxorum multitudo et singularis illa, quam sibi tamquam prophetae et Dei ministro attribuit, praerogativa, tot quot vellet uxores assumere, quum asseclas suos ad quatuor restringeret. Quam callidus fuerit Mahumetes, optime deducitur ex descriptione ipsius characteris, quem Prideaux (La vie de Mahomet) sequentibus exhibuit: Ne rerum gerendarum nervus deficeret, divitem mercatorem in partes suas trahebat; ut Judaeis placeret, christianorum trinitatem rejecit, quod et Arianis placuit et circumcisionem illorum retinuit; ut philosophis se commendaret, polytheismo deismum vel potius stoicismum praetulit; ut sanctus videretur, vini usum prohibuit; ut

spe mortalium pectora alliceret, elysios post mortem pollicitus est campos: ut complices alere posset, sub eleemosynarum praetexu magnas undique collegit summas. Ne christianos offenderet, maximis Christum et apostolos insignivit nominibus et elogiis condecoravit atque praescripsit, quae scopo suo maxime proficua arbitrabatur.

274. Mahumetana ergo religio nec divina est, quum nullas divinae originis notas habeat; nec divina esse potest, quum multa evidenter falsa, absurda et contradictoria contineat et contradicat revelationi, cujus divinitas invicte probata est. (Lieb. th. f. p. II. c. III. art. II. — Alb. a Buls. th. f. p. II. sect. I. c. V. art. III. — Sardagna th. dogm. tom. 2. p. 78.)

Conclusio.

275. Scopus totius hujus tractatus fuit: ostendere religionem christianam vere esse revelatam, nec aliam esse praeter eam, quae sibi revelationis divinae dignitatem vindicare possit. Et obtentus est iste scopus. Demonstravimus enim, non tantum possibilem sed et moraliter necessariam esse revelationem. Unde deduximus, hominem indifferentem manere non posse, quum revelatio aliqua ut divina ipsi proponitur.

Accessimus deinde ad ipsam facti quaestionem: an scilicet existat aliqua religio, quae se revelatam dicat & quae divinam, quam sibi attribuit, originem certis argumentis probare possit. Ad quam quaestionem dirimendam necesse fuit veritatis criteria statuere, certas scilicet notas, certos characteres, quibus divinum opus insignitum esse debet, ut ab humanae sapientiae vel astutiae inventis possit discerni. Demonstravimus autem esse certas quasdam notas falsitatis, quae, ubi in aliqua religione reperiuntur, certo probant, eam divinam non esse; esse vero et notas veritatis tum internas, tum externas, quae divinam relegionis, cui conveniunt, originem clare demonstrant. Exinde duo statuimus principia:

I. Illa religio certo divina est, quae nullas habet falsitatis notas, omnes vero possidet notas verae et divinae revelationis.

II. Omnis illa religio certo divina non est, quae non tantum divinam originem probare non potest, sed etiam notas habet certissimas falsitatis.

Secundum haec principia judicium tulimus de variis religionibus, quae divinas se esse asserunt et ad conclusionem pervenimus:

1) Religionem mosaicam, quae ante Christum fuit et proprie praeparatio erat ad evangelium, nullas continere notas falsitatis, omnes autem habere characteres divinae revelationis.

2) Religionem christianam in abrogatae legis mosaicae locum substitutam, non tantum nihil continere, quod eam falsitatis argueret, sed omnes divinae revelationis characteres evidentissime habere.

3) Nullam aliam in orbe terrarum religionem existere, neque judaicam hodiernam, neque mahumetanam, neque ullam ex gentilium religionibus, quae divinam originem probare possit, aut non certas habeat falsitatis notas.

Sequitur itaque: *Religionem christianam* esse vere **divinam**; esse **solam** divinam.

Theologiae fundamentalis

Pars III.

Tractatus de vera Christi Ecclesia ejusque capite, romano Pontifice.

276. In tractatu de vera religione probavimus, religionem christianam a Deo originem ducere atque e coelo fuisse in terras deductam. Verum notum est, plures existere christianorum societates, quae omnes contendunt, se religionem colere a Christo revelatam. Sed quum inter omnes has societates magna sit doctrinae et dogmatum oppositio, Christus autem divisus non sit, neque plures et diversas religiones ad nos attulerit: in aperto est, non posse omnes veram et integram Christi religionem habere. Sicut ergo prius demonstravimus, inter omnes religiones, quae revelatas se dicunt, unam esse *christianam* hoc charactere insignitam, ita nunc probandum, inter diversas religiones christianas, solam *catholicam* esse, quae a Christo originem ducat, caeteras omnes falso sibi nomen Ecclesiae Christi attribuere. Hinc theologi catholici est probare, illas christianorum societates, quae extorres sunt ab Ecclesia catholica, et ab ea, quam haec profitetur, religione aversae, nec veram et genuinam Christi religionem sequi, nec in ea, quam Christus instituit, Ecclesia versari.

277. Duplicem in hac disputatione viam inire possumus. Prima est, si dogmata inter nos et dissentientes a nobis religiones contro-

versa singillatim excutiantur; ut, quum ostensum fuerit, religionem catholicam in omnibus suis partibus certam esse et ex genuinis fontibus derivatam, tamquam consectarium deducatur, eam ergo veram esse Christi doctrinam, neque aliam dari Christi Ecclesiam, praeter eam, quae sola hanc doctrinam integram servavit.

Secunda est, si primum ostendatur, Ecclesiam catholicam veram esse Christi Ecclesiam, eam solam habere conservandae religionis media a Christo instituta. Ex hoc sc. principio sponte fluit omnium et singulorum dogmatum, quae catholica Ecclesia profitetur, veritas.

278. Secundam methodum, quae clarissimorum theologorum auctoritate probata est, nobis sequendam censuimus; est enim brevior et certior, et systematico ordini apprime accommodata. Siquidem in hoc systemate primum principia generalia ponuntur, et illae stabiliuntur veritates, ex quibus deinde facillimum est et dogmata religionis singillatim eruere, et eorum, quae ab aliis religionibus opponuntur, falsitatem ostendere. Quare & haec pars ad theologiam fundamentalem pertinet; probat enim, Ecclesiam catholicam solam veram esse Christi Ecclesiam, et ea statuit generalia principia, ex quibus deinde omnes fidei nostrae articuli tamquam totidem conclusiones deducuntur. In hac ergo inquisitione patebit, Christum Ecclesiam instituisse et in illa magisterium sacrum ordinasse talibus conspicuis dotibus exornatum, ut, sicut omnes se illi subjicere tenentur, sic ipsi etiam tuto acquiescere possint. Nullatenus autem Christus omnem rationis usum in religionis a se revelatae negotio interdixit, sed sapientissime humanae rationi hac in re tum varia jura concessit, tum debitos limites stabilivit. Exinde colligitur, quomodo ad claram, completam, solidam et efficacem religionis christianae cognitionem perveniatur: auctoritas Dei scilicet theologiam constituit, Ecclesia dirigit, ratio adjuvat.

279. In tota hac disquisitione igitur eamdem viam ingrediemur, quam in demonstratione christiana secuti sumus. Primum investigabimus, quae et qualis esse debeat vera Christi Ecclesia; deinde facile erit haec verae Ecclesiae Christi criteria applicare ad diversas christianorum sociatates et ex iis, quaenam vera Christi Ecclesia sit, ostendere. Quum enim expressam semel habebimus imaginem illius Ecclesiae, quam Christus instituit, sufficiet diversas christianorum societates cum illa effigie conferre. Nam instituto examine, illico apparebit, nullam ecclesiam esse praeter catholicam, quae omnia illius formae, quam Christus Ecclesiae suae impressit, lineamenta referat; hanc ergo esse solam veram Christi Ecclesiam. Hinc de vera Christi Ecclesia inquirendum est: 1) quaenam sit ejus origo seu institutio; 2) quomodo sit constituta; 3) quaenam sint ejus proprietates et notae; 4) quae ejus dotes et munia. De his proinde distinctis capitibus agemus. (Lieb. Dem. cath. p. I. — Alb. a Buls. theol. fund. p. III. §. 184).

280. Quoniam vero Ecclesia ***acephala*** seu sine capite neque est, neque intelligi potest, in duas sectiones tractatum de Ecclesia dividemus, in quarum priori de Ecclesia generatim, in posteriori vero de ejus capite seu de romano Pontifice agemus.

Sectio prior.
De vera Christi Ecclesia.

Caput I.
De origine seu institutione Ecclesiae.

Articulus I.
Christus instituit Ecclesiam.

281. Priusquam demonstretur ipsa thesis, declarandum est, quid nomine ecclesiae veniat. — Vi nominis ecclesia nihil aliud est, quam convocatio, concio, coetus vocatione collectus. Homines nimirum multipliciter in unum convenire possunt: natura, pactis, jussu, vocatione; porro coetus hominum, qui vocatione colliguntur, vocatur ecclesia. Ideo ecclesia pro quacunque hominum congregatione sumi potest: sic e. g. sumitur pro turba: Act. XIX. 32. *Erat Ecclesia confusa, et plures nesciebant, qua ex causa convenissent*, et pro conventu improborum Ps. XXV. 5.: *Odivi ecclesiam malignantium.* Pervetusta autem consuetudine factum est, ut ecclesiae nomen solummodo coetibus religiosis seu collectionibus hominum eamdem religionem profitentium, attribueretur. Ideo hoc nomine etiam coetus heterodoxe sentientium appellari consueverunt: e. g. ecclesia anglicana, ecclesia graeca. Imo in ipsa s. scriptura, etiam dum de orthodoxe sentientibus sermo est, ecclesiae nomen non in eadem extensione adhibetur; usurpatur enim ad significandam societatem fidelium vel totam et universalem, vel etiam in certa provincia et urbe consistentem. Sic. Apoc. I. 4. *Joannes septem Ecclesiis, quae sunt in Asia.*

In praesenti tractatu de Ecclesia Christi, Christi Ecclesiae nomine significamus totam illam et universalem societatem, quam Christus Jesus, cujus divinam missionem in tractatu de vera religione vindicavimus, instituit, ut depositum coelestis doctrinae in terras a se delatae asservaret atque medium simul esset, quo haec ipsa doctrina conservaretur integra atque propagaretur. Sic sumitur nomen Ecclesiae v. g. in Tim. III. 15.: *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi.*

282. Ecclesiam a Christo institutam esse probatur imprimis iisdem credibilitatis motivis, quibus probatum est, divinam esse religionem a Christo institutam. Nam si haec motiva talia sunt, quemadmodum jam demonstravimus, ut divinam prorsus esse patefaciant religionem a Christo institutam, simul patefaciunt institutionem et originem Ecclesiae, quae identificatur cum religione ipsa. Verum quidem est re in abstracto spectata, aliud religionem esse, aliud Ecclesiam, cum illa respiciat cultum et sensu latiori etiam veritates, quas religio proponit; haec autem tantum societatem colentium aut profitentium veritates, quas religio complectitur: verum in concreto religio et Ecclesia identificantur. Neque enim unquam religio consistere potuit absque iis, qui eam profiteantur. Quum itaque motiva credibilitatis evincant divinam originem et institutionem religionis christianae in concreto, hoc ipso evincunt divinam originem et institutionem Ecclesiae christianae. Haec autem majorem adhuc firmitatem ac robur accipiunt ex eo, quod pleraque credibilitatis motiva afficiant societatem ipsam seu Ecclesiam a Christo institutam; talia motiva sunt, quae petuntur ex propagatione christianae religionis, ex martyrum fortitudine, ex Ecclesiae perpetua conservatione: quae omnia duplex semper praeseferunt pro divina christianae Ecclesiae origine ineluctabile argumentum; alterum quidem ex ipsa rei natura in omnibus suis adjunctis spectata; alterum vero ex adimpletis divini ipsius conditoris vaticiniis, quibus ea praenuntiavit futura ac certo adimplenda. Tot igitur suppetunt argumenta pro origine et institutione Ecclesiae a Christo facta, quot sunt motiva certissima religionis christianae.

283. Idem probatur ex societate ipsa, quae adhuc perseverat ac floret, et a Christo conditore suo nomen habet. Quaevis enim societas est persona moralis, cujus membra sunt individua singula, ex quibus illa coalescit et existit per vincula, quibus societas ipsa constituitur. In qualibet societate moriuntur individua, ast societas eadem

perseverat pereuntibus individuis, quo fit, ut institutiones, mores, consuetudines simul coeptae jugiter conserventur. His porro societas a societate, gens a gente discriminantur, nec melius possumus de institutis cujusvis gentis aut societatis nosse, quam a peculiari gente aut societate, cujus illa sunt propria. A graecis e. g. melius novimus quae ad graecos spectant, a romanis quae ad romanos, et ita porro. Hoc vero potissimum valet, quum agitur de institutis religiosis. Quanam enim meliori ratione cognoscere possum, quae ad schismaticam religionem pertinent, quam a schismaticis? et ita dic de reliquis. Porro societas christiana vel ipso nomine suo, cultu, institutis testatur in universo quo late patet terrarum orbe, se a Christo primitus fundatam fuisse. Nec sectarum, quae omnes se veram Christi Ecclesiam esse volunt, agendi ratio opponitur. Nam sectae non eo sensu se veram Christi Ecclesiam esse contendunt, quasi Christus eas tempore, quo sunt ortae, fundaverit, sed eo tantum, quod se Ecclesiam Christi ab erroribus et abusibus purgatam constituere contendant, unde hoc sectarum de se judicium nullam testimonii rationem habet, nec habere intenditur. Imo Ecclesiam a Christo esse institutam maxime patet ex ipsis controversiis, quas inter catholicos et haereticos de vera Christi Ecclesia agitatas esse videmus, in quibus tam hi, quam illi, licet, quae Ecclesia Christi sit, dissiderent, esse tamen aliquam et Christum proinde Ecclesiam instituisse supponebant.

284. Ecclesiam christianam existere et a temporibus Christi usque ad nos semper extitisse, historia testatur. Ex Actibus enim Apost. (II. 42—46, IV. 23, V. 12), discimus, primos statim fideles in coetum peculiarem adunatos fuisse, cui apostoli praeerant. Errant ergo, qui dicunt, primos christianos a synagoga distinctos non fuisse. Nam Act. VIII. 1. dicitur, post mortem s. Stephani persecutionem magnam factam esse in Ecclesia, quae erat Jerosolymis et (ib. v. 3.) Saulum Ecclesiam devastasse. An forsan in synagoga facta est haec persecutio, aut an Saulus synagogam devastabat?

Christianos semper non solum per fidem internam, sed etiam per signa externa a Judaeis et Gentilibus distinctos fuisse, et specialem societatem constituisse, omnes historici sacri et profani testantur, atque ipsae persecutiones in Ecclesiam christianam motae, acta martyrum, Patrum apostolicorum scripta, sectae ab Ecclesia recedentes, concilia in illa habita et multa alia antiquitatis monumenta confirmant. Ideo autem haec hominum, eandem religionem profitentium, societas in omni tempore Ecclesia christiana nuncupata est, quia Christum ipsum ceu auctorem et rectorem suum semper venerabatur.-

285. Idem nobis innotescit ex s. scriptura, qua hic utimur ut documento historico, quae *a)* consilium Christi de instituenda Ecclesia nobis in apostolorum prae caeteris electione et institutione manifestat; illa *b)* hoc consilium in potestate prae aliis attributa apostolis et Petro plane revelat: illa *c)* hoc consilium in plurimis locis tamquam rem notissimam supponit. Huc loca pertinent, in quibus Christus v. g. Matth. XVI. 19. de Ecclesia sua loquitur, vel consilium instituendi Ecclesiam sub symbolo regni coelorum, ovilis indicat; illa *d)* nobis apostolos exhibet ut Ecclesiam propagantes et novos fideles in dies sibi visibili baptismi signo aggregantes, ut Ecclesiam regentes et alios praepositos praeficientes, ut auctoritatem in fideles exercentes et ab aliis praepositis exerceri volentes, ut auctoritatem suam a Deo repetentes et auctoritatem aliorum praepositorum a Deo derivantes; illa *e)* de fidelibus loquens eosdem nobis ubique ut episcopis subjectos et proinde vinculo sociali actu conjunctos repraesentat, nec raro ipsum Ecclesiae nomen tam ad universam Christi familiam, quam ad particularem ejus partem designandam usurpat. Quae omnia manifeste probant. Ecclesiam a Christo esse institutam.

286. Existentia ergo perennis societatis cum jugi exposita attestatione fundationis a Christo praestitae est factum, quod aequivalet testimonio constanti, universali, perpetuo, unanimi omnium gentium et cujusvis conditionis hominum, quin quidpiam in contrarium obsistat et dubitationem ingerat. Sed tale testimonium non potest respui; nullum enim datur de ullo humano facto plenius et constantius testimonium. Quamobrem si nihilominus hoc rejici queat, jam nullum testimonium, historia nulla ineluctabilis videri poterit; adeoque fides historica plane concidet, et in putidum scepticismum omnino prolabemur. (Perrone de Christi Eccl. p. I. c. I. — Alb. a Buls. th. f. p. III. sect. I. c. I. — Reinerd. theol. fund. tract. prior. p. post. c. III.)

Corollaria. 1) Si Ecclesia a Christo est instituta, dici omnino debet societas *legalis*, atque ideo juxta prima juris principia Ecclesiae indoles et constitutio ab ipsa Christi voluntate et ordinatione repeti debet; aperta enim esset contradictio, si Christi Ecclesia diceretur illa societas, quae naturam suam et formam a Christo non haberet.

2) Ex eodem principio sequitur, naturam et constitutionem, quam Ecclesia a Christo accepit, *immutari* non posse. Qui enim Ecclesiae formam essentialem, a Christo statutam, mutaret, aliam construeret ecclesiam, et societas hoc modo statuta non esset ea Ecclesia, quam Christus instituit, sed alia a priore diversa.

Articulus II.

Finis Ecclesiae, a Christo institutae, est conservatio ac dispensatio religionis christianae ad hominum salutem.

287. Institutam esse a Christo Ecclesiam, jam demonstravimus. Nunc, quod ad ipsam institutionem magis magisque explicandam pertinet, quaeritur de fine, propter quem Christus Ecclesiam suam instituerit. Est autem finis Ecclesiae, a Christo institutae, conservatio et dispensatio religionis christianae ad hominum salutem. „Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventes fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur". (Conc. Vatic. sess. IV.) Duplex itaque statuitur finis: immediatus, religionis conservatio ac dispensatio; mediatus, hominum salus.

288. Finis Ecclesiae dicitur esse conservatio religionis, hoc est, ut conserventur incorrupta fides et sacramenta, quae duo religionem Christi, quatenus est medium humani generis salutis procurandae, constituunt: Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. (Marc. XVI.)

Dicitur quoque dispensatio ad hominum salutem, hoc est, ut fides praedicetur et sacramenta administrentur hominibus ad obtinendam salutem.

Haec duo, conservatio et dispensatio, per modum unius probabuntur; constituunt enim revera finem Ecclesiae unicum, missionem unicam, quae non est alia, quam missionis Christi Salvatoris continuatio.

289. Finem, quem Christus sibi proposuit in instituenda Ecclesia sua, esse aeternam salutem mediis idoneis ab hominibus comparandam, imprimis apparet ex ipsa divina Christi missione, cujus objectum non aliud esse potest, quam revocandi ac conjungendi homines cum Deo, ultimo fine nostro; ut sc. homines redeant ad illud principium, a quo originem per creationem habent. In hoc autem consistit aeterna hominum salus. Christus ipse palam professus est, se ideo in hunc mundum venisse, ut daret vitam, eamque abundantem ovibus suis, ut salvum faceret, quod perierat; quae quidem vita complectitur gratiam, opera sancta et aeternam beatitudinem; et eo tendunt veluti totidem media: doctrina, praecepta, consilia, sacramenta. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* (Joa. III. 16, 17.)

290. Idem probatur ex missione Ecclesiae a Christo conditore disertis verbis collata. Christus enim misit apostolos in universum mundum atque munus eis imposuit docendi omnes gentes quaecunque mandavit eosque instruxit potestate regendi vel pascendi gregem, et ligandi vel solvendi. Hoc patet tum ex modo agendi apostolorum, qui auctoritate a Christo accepta omnia in Ecclesiis ordinabant, gliscentes abusus reprimebant, publicos peccatores gravissimis poenis mulctabant; tum ex modo agendi fidelium, qui ad conventus publicos conveniebant, ut publico cultu profiterentur, se esse Christi asseclas, et ut ad fidem ipsi servandum mutuo sese excitarent; ideo imprimis tam assidui erant in celebranda eucharistia, quam Christus voluit in ipsius memoriam fidei.

291. Ecclesia demum ipsa a Christo instituta non alium sibi praestitutum finem agnovit praeter aeternam felicitatem obtinendam ope divinae gratiae et exercitio omnium virtutum, praecipue charitatis in Deum et proximum. Etenim ut ex tota historia ecclesiastica patet, intactum servare depositum doctrinae et salutem hominum procurare per sacramentorum administrationem, ac totius cultus christiani observationem semper Ecclesiae labor ac sollicitudo unica fuit: *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* (I. Tim. c. I. 15.)

292. Ex omnibus deducitur, Ecclesiam a Christo ob finem tantum supernaturalem institutam esse. Ecclesia enim est societas religionis christianae causa instituta. Atqui religio hominibus a Christo data est propter finem tantum supernaturalem seu ad promovendam hominum salutem. Ergo Ecclesia est ob finem supernaturalem instituta.

Porro Christus Jo. XVIII. 36. expressis verbis declarat, quodnam sit illud regnum a prophetis tam magnifice descriptum, quod per evangelii praedicationem per totum orbem propagari debuit. *Regnum meum non est de hoc mundo,* dixit Christus. In omnibus autem N. T. libris ne vestigium quidem ocurrit terrenae potestatis, nulla terrenae felicitatis promissio; sed omnia eo tendunt, ut homines a rebus arduis abstracti, ad haereditatem pervenirent aeternae salutis.

Caput II.

De Ecclesiae constitutione sive natura.

Articulus I.

Ecclesia corpori viventi comparari ac in ea distingui potest corpus et anima.

293. Constitutionem sive naturam Ecclesiae hic intelligimus ejus quasi physicam essentiam, complectentem partes constitutivas sive elementa, ex quibus Ecclesia Christi coalescit et constat.

294. Extra metaphoram simplex Ecclesiae constitutio huc redit. Idea Ecclesiae a Christo institutae, quam nobis generatim exhibent tum scripturae, tum monumenta ecclesiastica, est *idea visibilis perfectae societatis ad salutem humani generis institutae, ut homines in hac vita veram Christi religionem (quae doctrinam, leges, sacramenta, cultum continet) profiteantur, atque per eam ad aeternam beatitudinem pervenire possint.* Unde intelligimus, religionem Christi non esse meram quamdam religiosam scholam intellectus vel cordis; sed esse *divinam institutionem socialem.*

In hac idea societatis continetur idea viventis auctoritatis *docentis* et *regentis*, quae socialem unitatem *fidei* et *communionis* efficiat; adeoque haec visibilis societas ex divina institutione distinguitur in Ecclesiam hierarchicam docentem ac regentem, et in Ecclesiam, quae docetur ac regitur, seu distinguitur in doctores et discipulos. Unde Ecclesia est *una societas hominum, qui per succesionem apostolicam sub legitimo magisterio et regimine veram Christi religionem profitentur*; non est autem multitudo sive hominum sive parvarum independentium societatum: scilicet Ecclesia est in sua institutione *una,* non vero fidelium, vel ecclesiarum congeries.

295. Ecclesiae itaque a Christo fundatae notio essentialis est notio alicujus *societatis*, quum Ecclesia quaedam institutio sit ad genus societatum pertinens. Hac enim ratione fundata est, ut *sit societas Christi fidelium.* In hac porro societate necessario duae sunt partes constitutivae: una imperans, altera obediens.

296. Jam vero haec Ecclesiae constitutio variis modis sub metaphora praesertim *corporis* exhibetur, atque in hoc articulo insistimus praesertim quaestioni verbali de hujusmodi metaphoricarum locutionum origine, vi, usu et abusu.

297. Ecclesia est societas visibilis a Christo instituta. Haec porro societatis notio in nobis excitat ideam *corporis moralis*, seu

moralis personae, quae ad instar hominis seu individui humani viventis agat atque operetur. Hinc etiam Ecclesia eo ipso, quod est societas, dicitur *corpus unum morale et mysticum*. Quoniam vero societas est a Christo instituta eique tot tantisque vinculis devincta, dici solet *morale ac mysticum corpus Christi.*

298. Hanc phraseologiam invenimus tum in s. scriptura, tum apud SS. PP. Sic S. Paul. in ep. I. Cor. X. 17. ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Nimirum, ut unus est panis eucharisticus, quem omnes Ecclesiae filii participamus; ita unum Ecclesiae corpus universi invicem consociati conflamus. Item per panis unius sumptionem efficimur corpus unum tum cum Christo, tum inter nos. Ac denique, ut ex multis granis fit unus panis; ita ex multis fidelibus fit unus panis sacer et vivus, unum scilicet corpus mysticum.

Et 1. Cor. XII. 13. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei sive gentiles.* Videlicet uno Spiritu tamquam eadem informante anima a principio in baptismo in unum corpus coaluimus. Item & PP. Ecclesiam vocant vel simpliciter corpus vel corpus Christi, cujus fideles singuli sunt membra (Clemens Rom. ep. I. ad Cor. 44), vocant corpus non informe & confusum, sed anima praeditum (Hilarius in ps. 121. 5), et alii passim.

299. Idea corporis moralis evolvi solet per ideam humani individui viventis, adeoque corpus morale dicitur etiam persona moralis.

Hinc etiam Ecclesia, quae societas est ac morale corpus, constituta dicitur in modum viventis hominis. Imo, quoniam Ecclesia est societas Christi, comparari potest ipsi Christo ac dici visibilis ejus repraesentatio ac veluti incarnationis continuatio atque moraliter ipse Christus in terris vivens. Hinc s. Paulus in 1. Cor. XII. 12. scribit: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, quum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus*, i. e. Christus, in quantum ipse est caput Ecclesiae et haec ipsius corpus mysticum; hinc Christus ut caput et Ecclesia ut corpus constituunt velut unam personam moralem & habent communicationem nominis: caput sortitur nomen corporis, ut habetur in Act. Ap. (c. IX. 4.): *Saule! Saule! quid me persequeris?* & corpus sortitur nomen capitis: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro,* (1. Cor. XII. 27.) & ad Eph. (V. 30): *Membra sumus corporis ejus, de carne ejus & de ossibus ejus.* Ad rem S. Augustinus (tract. 28 in Joan): „Christus totus in capite, et in corpore. Quod ergo membra ejus,

ipse: quod autem ipse, non continuo membra ejus. Nam si non ipsi essent membra ejus, non diceret Saulo: Quid me persequeris? Non enim Saulus ipsum, sed membra ejus, i. e., fideles ejus persequebatur. Noluit tamen dicere sanctos meos, servos meos, postremo honorabilius, fratres meos; sed me, hoc est, membra mea, quibus ego sum caput".

300. Sicut physica persona constat anima & corpore, atque sicut in uno Christo divina est et humana natura: similiter & Ecclesia, quae est morale corpus vivens ad instar individui humani, imo ad instar Christi Dei hominis, distingui potest anima quodammodo & corpus, divinum atque humanum elementum. In ipsa ergo Ecclesia, quae est visibilis divina societas, invisibile invenitur ac visibile elementum. Hinc corpus significat Ecclesiam ut societatem visibilem, praescindendo tamen ab internis gratiae dotibus; anima vero significat hanc ipsam societatem, quatenus praefatis dotibus praeditam. Iste sensus, quum sit in theologia usitatus, constanter retinebitur, quoties sermo incidet de corpore & anima Ecclesiae. Hinc etiam fit, ut Ecclesia vel inadaequate secundum alterutram partem, vel adaequate, secundum utramque, spectari possit.

301. Ecclesia Christi vera inadaequate i. e. si secundum corpus tantum spectetur, est *societas baptizatorum, ejusdem fidei christianae professione, & eorumdem sacramentorum communione, sub uno Christi in terris vicario adunata.*

Haec definitio corpus Ecclesiae integrum complectitur. Potest autem Ecclesiae corpus etiam spectari particulariter, si nempe pro parte hierarchica, docente ac regente, vel pro parte laica, audiente ac obediente accipiatur.

302. Ecclesia Christi rursus considerata inadaequate, i. e. secundum animam tantum, est *societas vocatorum ad Christi fidem, supernaturalibus dotibus cum Christo conjuncta.*

Supernaturales illae dotes sunt fides, spes, charitas cum reliquis virtutibus et Spiritus s. dotibus, quae hujus conjunctionis spiritualis vincula sunt ac proportionata media, prout ex eorum natura & officio intelligi potest.

303. Ecclesia Christi demum adaequate, secundum corpus simul et animam sumpta est *societas fidelium baptizatorum, quos interius quidem animat fides, spes & charitas: exterius autem fidei ejusdem christianae professio, & eorumdem sacramentorum communio adunat, sub uno capite Christo in coelis, & ejus in terris vicario Summo nempe Pontifice.*

304. Hae definitiones, quas claritatis causa in antecessum posuimus, veram Ecclesiae Christi naturam exhibent, qualem deinceps probabimus.

305. Quum Ecclesiae corpus vel integrum corpus vel partem tantum sive docentem sive discentem, anima vero, quae in corpore invenitur, quandoque universam religionem christianam in Ecclesia & per Ecclesiam servatam, quandoque praesertim doctrinam fidei, quae est quodam sensu principium vitae Ecclesiae, quandoque sanctitatem & gratiam, quae alio sensu est quodammodo spiritus Ecclesiae, significare possit: diversi hujusmodi sensus manifeste ex scopo et contextu colliguntur, prout e. g. per metaphoram illustranda directe suscipitur vel Ecclesiae visibilis unitas, vel interna sanctitas, vel aliud attributum.

306. Hisce ambiguitatibus abusi sunt haeretici, protestantes praesertim & jansenistae, qui voces metaphoricas, invectas praesertim ad illustrandam visibilis Ecclesiae socialem constitutionem contra Ecclesiae visibilitatem detorquent.

307. Ex his notionibus de natura Ecclesiae patet, nos agere debere primum de toto subjecto, quod analysi est subjiciendum. Proinde quum Christus instituerit Ecclesiam suam in formam societatis, disceptandum imprimis est, num eam fecerit societatem natura sua adspectabilem sive visibilem, ac propterea sermo erit imprimis de visibilitate Ecclesiae. Deinde erit inquirendum in ejusmodi visibilis societatis velut constitutiva essentialia, seu partes compositi: adeoque seorsim controversia habebitur de corpore Ecclesiae & anima. Sed ante horum disquisitionem afferemus quaedam nomina, quibus Ecclesia in scripturis sive evidenter, sive juxta Patrum interpretationem designatur, nec non quasdam figuras & parabolas, quibus Ecclesia in libris N. & V. T. sive manifesto sive juxta explicationem Patrum adumbratur.

308. Ex iis vocibus, quae Ecclesiam metaphorice in scripturis denotant, illas prae caeteris referendas censemus, quibus praecipui ejus characteres commendantur. Dicitur itaque: 1) Domus Dei (Tim. III. 5); — 2) Domus magna (II. Tim. II. 20); — 3) Civitas Dei, civitas sancta Jerusalem, cui opponitur Babylon (Ps. XLVII. 1, 2; Apoc. XVII, XVIII, XXI); — 4) Civitas supra montem posita (Matth. V. 14); — 4) Regnum coelorum, Regnum Dei, Regnum Christi, quod non est de hoc mundo (Matth. XIII. Luc. XIII. 18. 20. Jo. XVIII); — 6) Castrorum acies ordinata & propterea terribilis (Cant. VI. 10); — 7) Semen Abrahae (Gal. III. 29); — 8) Corpus Christi, cujus ipse caput (Colos. 1. 18, 24; Eph. I. 22, 23; IV. 12); — 9) Ovile Christi (Jo. X); — 10) Sponsa Christi (Cant. IV. 8. Apoc. XXI. 9; Eph. V. 23, 25), unde & Mater a SS. Patribus vocatur (Cypr. 1. de unit. Ecc.); — 11) Regina (Ps. XLIV); — 12) Columba, hortus conclusus, fons signatus, paradisus (Cant. II. 10; IV. 12).

309. Figurae seu typi Ecclesiae octo praesertim deprehenduntur in libris V. T., quinque vero in Novo. In V. T.: 1) Paradisus terrestris — 2) Eva, cujus formatio figurabat Ecclesiae formationem de latere Christi; — 3) Arca Noe; — 4) veterum patriarcharum uxores; — 5) gens judaica (Ps. LXXIX. 9.); — 6) urbs Jerusalem; — 7) templum Jerosolymitanum; — 8) lapis abscissus de monte sine manibus, qui factus est mons magnus et implevit universam terram (Dan. II. 34.).

In Novo Testamento: 1) Ipse Christus typus est, seu potius archetypon et exemplar Ecclesiae suae, quam ipse sibi formavit similem sui, ad imaginem suam, de carne sua et de ossibus suis (Eph. V. 21.); quae sicut ipse Christus, proportione servata, est divina simul et humana, pertransitque benefaciendo, humiliata et exaltata, moriens et resurgens, ac per multas tribulationes intrans in gloriam suam. — 2) Navis Apostolorum, navicula Petri. — 3) Vestis dominica, seu tunica inconsutilis. — 4) Duplex piscatio jussu Christi facta (Luc. V. et Jo. XXI.). — 5) Vas de coelo descendens in visione Petri. (Act. XI.)

310. Sunt quoque in N. T. parabolae, quibus Ecclesia describitur. Differt autem parabola a figura, eo quod figura sit factum; parabola vero, sermonis modus, allegoria sc., seu fictio comparativa. Parabolae itaque Ecclesiam adumbrantes praecipuae sunt: area (Matth. III. 12); convivium (Matth. XXII. Luc. XIV.); retia (Matth. XIII. 47.); pascua, ovile, grex ovium (Matth. XXV. 32. Jo. X. 9. Luc. XV. 4.); ager, vinea, hortus (Matth. XIII. 24. ib. XXI. Luc. XIII. 19.); granum sinapis (Luc. XIII. 19.); decem virgines (Matth. XXV); vitis vera cum palmitibus suis (Jo. XV.). Hujusmodi allegorias, parabolas et figuras passim SS. Patres explanant. Sic v. g. S. Ambr. (in serm. in Luc. c. 23.): „Corpus Jesu sindone involutum posuerunt in horto, cui frequenter Ecclesia comparatur, quae diversorum habet poma meritorum, floresque virtutum.“

Articulus II.

Vera Christi Ecclesia seu Ecclesia, quam dicunt promissionum est visibilis.

311. Solent theologi visibilitatem Ecclesiae in ejus proprietatibus aut notis recensere, quod non est reprehendendum. Attamen quum agendum sit nobis de anima Ecclesiae atque corpore, putamus non posse legitime ejusmodi controversias dirimi, neque ita in partes Ecclesiam distingui, nisi antea de genere ipso societatis a Christo fundatae constiterit, patueritque, num essentialiter seu ex sui natura visibilis sit instituta. Non igitur spectatur haec visibilitas veluti affectio Ecclesiae, quae antecedenter cogitetur in suo esse constituta, sed ut quae ad ipsum genus institutionis pertineat et ipsam substantiam fundatae a Christo societatis attingat.

312. Ad statum quaestionis definiendum haec animadvertantur. Si Christi Ecclesia est visibilis illa vivens societas a Christo instituta, quae jugi successione perseverat, jam protestantium causa finita est. Eo enim ipso quod se a visibili hac societate separarunt, separati etiam sunt a vera Christi Ecclesia, a Christo ipso. Ut ab hac condemnatione protestantes se defenderent, plura in cassum tentarunt effugia, et tandem pervertentes distinctionem elementi visibilis et invisibilis in una eademque Ecclesia visibili, coacti sunt duas ecclesias distinguere: ecclesiam visibilem et ecclesiam invisibilem. Juxta ipsos sola invisibilis ecclesia est vera Christi ecclesia, quam dicunt promissionum, seu ad quam pertinent promissiones gratiae et salutis; ac dixerunt, se separatos esse saec. XVI. a papali Ecclesia, quae erat tunc visibilis, sed non ab invisibili vera ecclesia, quae est fidelium congregatio, in qua purum verbum Dei ex bibliis praedicatur, vel congregatio sanctorum, vel congregatio praedestinatorum: atque hisce aliisquae Ecclesiae praeposteris definitionibus sibi incohaerentes, incerti atque ambigui in ecclesiae visibilis et invisibilis professione, omnem Ecclesiae ideam prorsus destruxerunt. Demonstrandum itaque est, non modo generatim adesse aliquam visibilem ecclesiam, sed nominatim, Ecclesiam, ad quam pertinent promissiones assistentiae divinae, Spiritus Sancti docentis atque sanctificantis, et salutis aeternae; Ecclesiam a qua nefas est separari, quam necesse est audire, esse societatem visibilem, quae a Christo instituta jugiter perseverat. Aliis verbis, demonstrandum est, veram Christi Ecclesiam esse non quomodolibet visibilem, sed esse visibilem quatenus veram.

313. Christum ita societatem visibilem invexisse, ut visibilitas esset de natura talis societatis neque posset unquam tolli, quin tota funditus Ecclesiae essentia pessumdaretur et Ecclesia illa specie et numero societas esse desineret, quam Christus instituit, ex ipsa *societatis natura* manifestum est. Certum est enim, Christum in Ecclesia sua molienda intendisse instituere societatem, quae, licet ex multis rationibus spiritualis et divina dici possit, esset tamen societas hominum et inter homines. Hoc patet ex omnibus Christi gestis et effatis, quotquot referuntur ad institutionem Ecclesiae. Liquet enim omnia eo fuisse directa, ut universos homines in unam veluti suorum asseclarum familiam congregaret. Hinc et vocatur Ecclesia regnum (Math. XVI. 19.), civitas (Apoc. XXI. 2.), domus (I. Tim. III. 15.), ovile (Jo. XXI. 15.): in qua proinde sunt praesides et subditi, pastores et oves, magistri et discipuli.

Sed talis societas est essentialiter seu natura sua visibilis. Nequeunt enim homines invicem in aliquod sociale consortium copulari absque mutua externa conjunctione; absque signis sensibilibus, quibus inter se communicent et ad communem finem societatis praestitutum sese promoveant; absque visibilibus mediis et visibili principio auctoritatis, quod societatis unitatem conservet. Haec porro conjunctio et communicatio essentialis est societati, quia sine ea nec esse nec concipi potest; societas autem exterioribus et visibilibus actibus colligata essentiâ sua est visibilis, quum in ipsa colligatione essentia societatis posita sit.

Ergo Ecclesia Christi, utpote instituta ut societas hominum colligatorum, est essentia sua visibilis.

314. Veram Christi Ecclesiam semper fuisse visibilem omnium oculis conspicuam, probatur auctoritate scripturarum. Act. XX. 28. dicitur: *Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Ad Hebr. XIII. 17.: *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis.* Matth. XVIII. 17.: *Si te non audierit, dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ex quibus hoc argumentum efflorescit. In vera Christi Ecclesia pastores semper tenebantur pascere oves suas verbo Dei et sacramentis; oves semper tenebantur pastores suos sequi eisque obtemperare; quilibet semper tenebatur fratrem delinquentem a se correptum et resipiscere nolentem ad praelatos Ecclesiae deferre. Atqui manifestum est, nihil horum fieri potuisse in vera Christi Ecclesia, nisi illa semper fuisset visibilis; si enim pastores sunt in-

visibiles, quomodo eos cognoscent et audient oves? — Michaeae IV. 1. dicitur: *In novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi.* Matth. V. 14. inquit Christus: *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Ex quibus sic arguo. Illa Ecclesia semper fuit visibilis, quam signis patentibus conspicuam fore vaticinantur Christus et prophetae. Atqui talis est Ecclesia Christi. Ergo Ecclesia Christi semper fuit et est visibilis.

315. Visibilitas haec Ecclesiae etiam clarissime proponitur a S. Paulo, dum Rom. 12. 4. et seq. scribit: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Itaque Ecclesia non solum corpori visibili comparatur, sed expresse etiam docetur, in hoc corpore varia membra adesse, quae varios actus habent. Haec autem apertissime Ecclesiae invisibili opponuntur, in qua omnia membra eundem actum i. e. rectam fidem et charitatem habent. — Praeterea S. Paulus ep. ad Eph. 4. inculcat non solum unitatem internam, quae in recta fide et charitate consistit, sed etiam unitatem externam, ut fideles, sicut unum spiritum, ita etiam unum corpus constituant.

316. Ecclesiae visibilitas probatur ex PP., et quidem non solum ex disertis eorum testimoniis, quibus verae Christi Ecclesiae per totum orbem splendidissimam visibilitatem extollunt, sed maxime ex generalibus illis christianae religionis principiis de vera fide, de haeresi et schismate, quibus docent a visibili Ecclesia petendam esse veram doctrinam ac fidem, et eos, qui ab hujus Ecclesiae magisterio et regimine se separant, esse haereticos et schismaticos atque eo ipso separatos a vera Christi Ecclesia, a mystico corpore Christi. Sic Tertullianus, Irenaeus, Cyprianus et Augustinus. Ex disertis testimoniis afferimus tantum tria: Augustini, qui ait: „In sole posuit tabernaculum suum, in manifestatione Ecclesiam suam, non in occulto, non quae lateat, non velut opertam" (Enarr. II. in ps. XVIII.); Cypriani: „Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit" (l. de unit. Eccl. c. IV.) et Origenis: „Ecclesia plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem" (Hom. XXX. in Matth.).

317. Probatur demum thesis ratione. Nisi Ecclesia visibilis foret, frustra Deus constituisset in Ecclesia sua apostolos, prophetas, pastores et doctores, qui nec coetum, pro quo constituti sunt, videre, neque ab illo audiri possent. Praeterea quilibet sub reatu aeternae

damnationis tenetur se verae Ecclesiae adjungere. At quomodo veram Ecclesiam inveniet, siquidem illa invisibilis est, nulloque sensu cognosci potest? Itaque cum Ecclesiae ab omnibus parendum sit, cognoscatur necesse est.

318. *Corollaria.* Ergo 1) dum protestantes saec. XVI. inceperunt, Ecclesia illa visibilis, quam papisticam dicebant, erat vera Christi Ecclesia.

2) Ergo se ab illa visibili Ecclesia separando, semet ab Ecclesia vera Christi separarunt.

3) Ergo nil aliud fuerunt ac sunt quam haeretici et schismatici.

4) Necesse est ad eam redire, si velint ad Ecclesiam promissionum pertinere; secus sunt extra viam veritatis et salutis.

5) Ergo non sufficit catholicas doctrinas tenere, quemadmodum v. g. plures anglicani sibi blandiuntur, sed necesse est etiam visibili verae Ecclesiae promissionum adhaerere.

6) Ergo si vera Ecclesia ex Christi institutione est semper visibilis, jam sectae omnes satis refelluntur ea vulgari quaestione: ubi erat e. g. Ecclesia lutherana ante Lutherum.

319. Contra Ecclesiae visibilitatem opponunt adversarii. Credimus dari veram Ecclesiam. Ergo vera Ecclesia non est visibilis. Quam conclusionem confirmare intendunt auctoritate scripturarum: 1) Jerem. XXXI. dicitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* — 2) Lucae XVII: *Non venit regnum Dei cum observatione. Neque dicent: Ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* — 3) Joa. IV.: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate.* — 4) 1. Petri II.: *Ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* — 5) Matth. XIII.: *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro.* — 6) Ad Hebr. XII.: *Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, sed ad Sion montem, et civitatem Dei viventis.*

320. Quod ad primam difficultatem attinet, verum quidem est, id, quod creditur, non videri ex ea parte, ex qua est objectum solius fidei; id tamen non impedit, quominus ex alia parte et sub alio respectu videri possit. Hoc in omnibus illis rebus occurrit, in quibus est aliquid apertum, quod oculis subjicitur, et aliquid occultum, quod fide apprehenditur: sic baptisma videtur, quatenus est ablutio; quatenus autem est sacramentum gratiam conferens creditur; apostoli videbant humanitatem Christi, sed divinitatem, quam non videbant,

credebant et adorabant. Eodem modo Ecclesiam ut coetum hominum ejusdem fidei professione, eorumdem sacramentorum participatione et subjectione ad legitimos pastores conjunctorum videmus, et eamdem visibilibus notis insignitam cognoscimus idcirco autem eam esse veram Christi Ecclesiam, esse in ea veram fidem, eam regi a Spiritu Sancto etc. credimus.

Ad difficultates autem ex sacra scriptura depromptas respondemus.

1) Per legem non intelligitur Ecclesia, sed testamentum novum, vel lex charitatis in cordibus scripta. Quamvis autem lex illa non videatur, videtur tamen Ecclesia, in qua est illa lex; sicut videtur corpus, quamvis cor non videatur.

2) Per regnum Dei non intelligitur ibi Ecclesia, sed vel gratia Dei, per quam ille regnat in cordibus hominum, vel intelligitur ipse Christus: ita ut illa verba significent, primum adventum Messiae futurum absque pompa et apparatu.

3) Verba illa hunc sensum habent: Christiani non colent Deum externis tantum caeremoniis, et corporalibus victimis, ut Judaei: neque praeter verum Deum falsos deos colent ut Samaritani; sed verum Deum colent, modo spirituali et interno, non omnes tamen caeremonias externas excludente.

4) Ecclesia dicitur a B. Petro domus spiritualis, non quod secundum se sit occulta et invisibilis, sed ad differentiam domus materialis, quae ex materia mere corporali constat; vult enim apostolus Ecclesiam non esse domum ex lapidibus et lignis aedificatam, sed ex hominibus Deo dicatis et consecratis.

5) Ecclesia thesauro abscondito comparatur, non quod ipsa lateat sicut thesaurus absconditus; sed quia Ecclesia prius incognita, ac demum inventa, ditat et delectat sicut thesaurus.

6) Per montem Sion, et civitatem Dei viventis non significatur Ecclesia militans, sed triumphans. Discrimen quippe inter veteris novique testamenti homines B. Paulus constituit, quod illi ad montem Sina corporeum accesserint, Deum per corporeas imagines visuri: christiani vero non re, sed spe ad montem Sion spiritualem, id est ad coelestem gloriam accesserint, Deum facie ad faciem conspecturi. (Sardagna tom. II. tract. III. de Christi Eccl. art. I.)

Articulus III.

Ad corpus Ecclesiae spectant omnes Christi fideles tam justi quam peccatores, ad Ecclesiae vero animam omnes et soli justi.

321. In prima theseos parte loquimur de fidelibus baptizatis, qui nempe per baptisma, per quod membra Christi ac de corpore Christi efficimur, cooptati sunt in illam societatem, quam Christus instituit, quaeque veram ejus doctrinam profitetur, neque ab ea quacunque demum de causa separati sunt. Sensus proinde primae partis est, ita Christum instituisse visibilem suam Ecclesiam, ut coalescat aut coalescere possit tam ex justis quam peccatoribus; et hanc opponimus iis, qui ex solis justis et sanctis eam constitui autumarunt, cujusmodi ex veteribus fuerunt praecipue novatiani ac donatistae, ex recentioribus non pauci protestantes.

322. Jam vero Christum ita instituisse Ecclesiam suam qua parte visibilis est, ut ad eam non minus justi, quam peccatores pertineant, patet imprimis ex illis verbis Domini nostri Jesu Christi: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos . . . Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* (Math. XVIII. 15. et seq.) Hic certe sermo est de Ecclesia visibili, et de vera Ecclesia. In ea tamen ponuntur peccatores, et tales peccatores, qui saepe non emendantur fraterna correptione, nec etiam adhibitis duobus testibus; imo peccatores graves, quum dicatur: „si te audierit, lucratus eris fratrem tuum", unde colligitur, fratrem esse in peccato gravi; et tamen in Ecclesia manet, donec ab ipsa per praelati sententiam ejiciatur. Ergo Christus illis verbis supponit, ejusmodi peccatores esse in Ecclesia, a qua eos vult postea ejici propter contumaciam.

323. Hinc Christus usus est variis parabolis ad indicandum, in regno suo posse esse etiam peccatores. Hoc evidenter apparet ex parabola zizaniorum (Matth. XIII. 25.); ex eo quod Ecclesia comparetur areae, in qua cum frumento paleae continentur (Matth. III. 12.); tum ex illis omnibus parabolis, in quibus Christus comparat Ecclesiam suam sagenae missae in mare ex omni genere piscium congreganti (Matth. XIII. 47.); convivio nuptiali, ad quod intraverunt boni et mali, et cui interfuit homo non vestitus veste nuptiali (Matth. XXII. 2 et seq.); decem virginibus, ex quibus quinque erant fatuae, quinque vero prudentes (Matth. XXV. 1 seq.); ovili, in quo sunt

oves simul et haedi (Matth. XXV. 33.). Quae quidem confirmantur ex Joanne, qui in Apoc. c. II. et III. scribit septem ecclesiis Asiae, quarum fere singulas de vitiis non levibus reprehendit; ex Apost., qui 1 Cor V. 3. expresse jubet expelli ab Ecclesia incestuosum Corinthium, qui proinde tamdiu in Ecclesia permansit, quamdiu ab ea expulsus non est; et in II. ad Tim. II. 20 scribit: *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia*, quem textum ss. PP. de justis et peccatoribus in Ecclesia explicant. Sic v. g. S. Hieronymus in dialog. contr. Lucifer: „Arca Noe, inquit, Ecclesiae typus fuit . . . ut ibi pardus et haedi, et lupus et agni; ita et hic (in Ecclesia) justi et peccatores, i. e. vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur". S. Aug. autem (tract. VI in Jo.): „Nos fatemur in Ecclesia catholica et bonos et malos esse, sed tamquam grana et paleas". Et (lib. III. contr. lit. Petiliani c. XII.): „Homo sum de Ecclesia Christi; palea si malus; granum si bonus".

324. Nec minus evidenter constat, si ratio habeatur ad scopum seu finem, quem Christus sibi praestituit in Ecclesia instituenda; venit enim Christus salvos facere non justos, sed peccatores. Voluit sc. Christus, ut Ecclesia sua esset veluti lucerna, quae omnibus luceret, ac civitas supra montem posita, ut ab omnibus conspiceretur; ei demandavit munus praedicandi verbum suum, administrandi sacramenta, corrigendi delinquentes, admittendi resipiscentes ad poenitentiam, expellendi e sinu suo contumaces ac rebelles, regendi, gubernandi, aliaque hujusmodi pro opportunitate statuendi, quae ad bene constitutam societatem necessaria sunt. Jam vero haec omnia supponunt, in Ecclesia Christi futuros esse non tantum justos, sed et peccatores.

325. Imo ipsi haeretici occulti sunt in Ecclesia Christi; sunt autem haeretici occulti, qui fide et charitate destituti, catholicam fidem exterius tantum profitentur, eademque cum fidelibus sacramenta participant ac iisdem pastoribus sunt subjecti. Probatur assertio auctoritate scripturae I. Joan. c. II. 18, 19. dicitur: *Et nunc antichristi multi facti sunt . . . Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Loquitur de haereticis, quos antichristos vocat. Eos dicit, antequam exirent, non fuisse ex nobis, hoc est, non fuisse catholicos animo et voluntate. Et tamen ait, ex nobis exivisse, quia licet non essent ex nobis animo et voluntate, erant tamen externa professione.

326. Excludendi sunt tamen omnimode ab Ecclesia manifesti haeretici baptizati, et apostatae, quippe qui et ipso exterioris communionis vinculo privantur. Ideo (1. Jo. II. 18—19.) dicuntur exiisse ab Ecclesia: „Ex nobis exierunt." Ideo etiam dicuntur „circa fidem naufragasse" (1. Tim. I., 19.), et Paulus praecipit: *Haereticum hominem post unam et alteram correptionem devita, sciens, quia subversus est qui ejusmodi est, et dilinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* (Tit. III. 10.) Ubi Paulus non juberet ab episcopo haereticum vitari, si adhuc iste ad gregem illius quoquomodo pertineret. Denique Joannes (II. ep. v. 10.) non dixisset: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum nec ave ei dixeritis;* si adhuc fratres nostri exstarent, et filii ejusdem matris Ecclesiae.

327. Hoc idem dicendum est et de manifestis schismaticis. Sicut haeretici rumpunt vinculum fidei, ita schismatici vinculum solvunt charitatis. Schismatici sunt ii, qui ita sese subtraxerunt ab obedientia legitimorum praepositorum Ecclesiae, ut omni cum iis communione careant. Exulant ab Ecclesia. Nam Ecclesia est unum corpus per auctoritatem; ergo qui auctoritati non subjacet, ab unitate corporis separatus est. Profecto qui adversus humanam aliquam societatem insurgit, et ab ejus legitima auctoritate se subducit, nullatenus membrum censetur talis societatis, utut ceteroquin finem ab illa intentum et media haud abjiciat. Hinc S. Hieronymus (Com. in c. III. ep. ad Tit.) dicit: „Inter haeresim et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet." Et S. Augustinus (lib. ad fid. et symb. c. X.): „Nec haeretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quae diligit Deum, nec schismatici, quoniam diligit proximum."

328. Nec excommunicatos publice denuntiatos et vitandos esse membra Ecclesiae, patet imprimis ex Christi verbis: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Math. XVIII.) Ergo sicut ethnici non sunt membra Ecclesiae, ita neque excommunicati vitandi et publice denuntiati. Hoc patet deinde ex ratione theologica. Excommunicati enim a communione exteriori Ecclesiae praecisi sunt auctoritate legitima a Christo accepta. Ergo non sunt amplius membra Ecclesiae. Praeterea per excommunicationem privantur christiani omni commercio spirituali, quod habent tamquam unius ejusdem Ecclesiae partes et membra inter se.

329. Catechumeni denique, seu fideles nondum baptizati, non sunt vere et proprie membra Ecclesiae, quia ante baptismum non

sunt Ecclesiam ingressi, ideoque ad Ecclesiae corpus non pertinent. Hinc dicuntur catechumeni gestari adhuc in utero matris Ecclesiae.

330. Ethnicos ab Ecclesia excludi, per se manifestum est. Ethnici enim in Ecclesia nunquam fuerunt, neque eam unquam cognoverunt, nec illius sacramenti participes in populi christiani societate facti sunt. De iis dicit Paulus (1. Cor. V. 12.): *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?*

331. *Prob. II. p.* Ad Ecclesiae animam pertinent primo et praecipue soli justi, imperfecte vero ii spectant omnes, qui vita supernaturali tantum inchoata fruuntur. Scilicet Ecclesiae anima consistit *in interno spiritu seu influxu Christi per gratiam spiritaliter vivificantem.* Haec autem *spiritalis* vivificatio gradus admittit, quorum primus est *fides*, secundus *spes*, tertius et summus est plenitudo vitae christianae, nimirum *gratia sanctificans*, qua cum neccessario connexa est *charitas.* Itaque ad Ecclesiae animam primo et praecipue pertinent qui gratia sanctificante seu vita Christi vivunt, scilicet justi; deinde vero imperfecte quasi secundario ii omnes, qui hanc supernaturalem vitam aliquatenus, id est per spem vel saltem per fidem participant, in quibus duobus vita inchoata consistit.

332. Ergo non soli electi nec omnes electi ad hanc Ecclesiae animam spectant, quum plures possint esse electi, qui actu non vivunt, aut quia nondum eam vitam adepti sunt, aut amissam nondum recuperarunt; plures item possunt esse reprobi, qui actu eam vitam obtinent, quamvis eam ex propria culpa sint amissuri nec rursus eamdem sint adepturi.

Haereticos occultos nullo prorsus modo dici posse de anima Ecclesiae atque partes tantummodo esse corporis mortuas et aridas ac spiritualis vitae sensu destitutas: idemque esse in Ecclesia, quod capilli, ungues aut mali humores in corpore humano, catechumenos vero, licet non pertineant ad corpus, posse pertinere ad animam Ecclesiae sicut et schismaticos et haereticos pure materiales per se manifestum est.

333. *Scholion.* Duae sunt difficultates, quae uberiorem explicationem postulant.

Prima objectio desumitur ex eo, quod sanctitas est essentialis Ecclesiae, unde inferunt, eam esse essentialem singulis, ut sint membra Ecclesiae; quod quidem manifeste est contra Logicam, quum plura praedicari possint de societate, quae non praedicantur necessario de singulis, ut quum v. g. natio dicitur dives, fortis, culta, quin inde sequatur de singulis idem dici posse, ut sint ejus membra. Ad difficultatem itaque plene solvendam distingui debet sanctitas

societatis et sanctitas individuorum, et id quod essentiale est Ecclesiae ut divinae societati et quod singulis essentiale est ut sint membra Ecclesiae. Etiam singulis aliquo modo essentialis est sanctitas ratione baptismi, fidei, vocationis etc.; unde etiam singuli fideles vocantur sancti, licet non sint sancti proprie seu justi ob inhaerentem gratiam sanctificantem. Ecclesia vero multiplici ratione est essentialiter sancta ratione finis, doctrinae, mediorum, Christi Capitis, et etiam ratione membrorum, non quidem quatenus excludat peccatores fideles, sed quatenus multa habet membra sancta non modo latiori sensu, sed etiam proprio per gratiam sanctificantem, imo etiam autonomastice per heroicam sanctitatem et adnexa carismata: unde hoc etiam sensu sanctitas est essentialis Ecclesiae, quod ea et quidem *sola* sanctos gignat, ita ut haec etiam membrorum sanctitas multiplici modo se exterius manifestet et sit una ex notis Ecclesiae.

334. Altera difficultas petitur ex eo, quod si dicamus, sanctitatem internam non esse essentialem singulis, ut sint membra Ecclesiae, sed sufficere externam communionem cum Ecclesia ab apostolis propagata, eo ipso videmur parvi facere res internas & vitam internam gratiae, et econtra exaggerare res externas, materialem successionem, communionem cum Ecclesia visibili et vitam Ecclesiae externam; dum certe vita interna ea est, quae pluris facienda est, et ex qua profluit ea, quae dici potest vita Ecclesiae externa, adeoque soli justi ad Ecclesiam vere pertinent: ita plures praesertim ex protestantibus, qui dicuntur evangelici.

Respondemus utrumque conjungendum esse et magni faciendum. Nam id etiam, quod in Ecclesia externum est, non est mere humanum, sed institutionis est divinae et est prius *ordine* ut instrumentum et organum ordinatum ad id, quod internum est et invisibile, quod est sane praestantius ac prius *dignitate.* Nimirum ordine prior est Ecclesia visibilis, qua cum ex divina institutione est habenda communio, ut in ea et per eam vera fides et sanctitas interna habeatur; neque enim sunt fideles, qui per se vera inventa doctrina in congregationem seu scholam coeant et faciant Ecclesiam, sed Ecclesia est jugiter ab apostolis propagata, quae divinitus docendo facit fideles: itemque non sunt justi, qui faciunt Ecclesiam, sed Ecclesia est, quae ordinata est ad hoc, ut justos gignat ac sanctos. Interna vero sanctitas, quae est essentialis Ecclesiae vicissim iterum refluit in externam Ecclesiae vitam et gloria est Ecclesiae non solum *intus* sed *ab intus*, et sese tunc prodit exterius ut nota divinae societatis,

licet in ea plures sint peccatores; atque hoc sensu interna vita Ecclesiae fons est exterioris vitae. Individualis item sanctitas praestantior certe est, quam mera externa communio, unde sancti perfecte ad Ecclesiam pertinent, fideles vero peccatores ad Ecclesiam quoque pertinent imperfecte quidem, sed tamen vere: sc. juxta phraseologiam Augustini sunt *in* Ecclesia sed non sunt *de* Ecclesia; seu ut dici solet vix pertinent ad animam sed potius ad corpus Ecclesiae. Hoc tamen ipsum summi faciendum est; per hoc enim sunt in arca salutis et habent plura media ad poenitentiam et salutem, quibus carent, qui sunt extra corpus Ecclesiae, ut haeretici et schismatici etiam pure materiales. Hinc intelligitur, quantum sit bonum mera etiam conjunctio cum corpore Ecclesiae, et quantum sit malum mera etiam externa separatio.

335. Hinc corollarii instar deduci potest, quantopere errent quidam ex anglicanis, qui licet admittant, Ecclesiam esse visibilem, tamen quibusdam e suis dubitantibus, utrum ecclesia anglicana sit saltem pars verae Ecclesiae inculcant, ut hanc inquisitionem, quae quietem turbat, omittant, & solliciti sint solum de virtute & sanctitate, ac si externa communio minoris esset momenti. At vero haec est illusio. Licet enim haereticus & schismaticus materialis possit pertinere ad animam et solum in voto implicito ad corpus etiam Ecclesiae, tamen post ortum dubium jam debet inquirere, nec sibi amplius blandiri potest de bonae fidei et invincibilis ignorantiae privilegio, et de invisibili unione cum vera Ecclesia (Perrone Prael. theol. de Ecc. n. 66. — P. Cardelae scripta).

Articulus IV.

Ex ipsa Christi institutione essentiale viget discrimen inter clericos et laicos; adeoque corpus Ecclesiae in hos duos ordines natura sua dividitur.

336. In antecedentibus thesibus demonstravimus, Ecclesiam Christi, quae ad instar viventis humani individui corpus & animam habentis constituta est, praeter animam debere habere etiam visibilem et externam formam seu corpus. Vidimus etiam, qui ad animam, qui vero ad corpus pertineant. Nunc considerandum venit ipsum corpus. Humanum corpus nimirum est organicum et in caput ac membra apte disposita et subordinata distribuitur; hinc pariter Ecclesia in unum corpus seu societatem visibilem coalescit ex supremo capite, romano videlicet Pontifice, episcopis, presbyteris et ministris seu ex ecclesiastica hierarchia et ex laicis seu populo fideli. Hic non

est sermo speciatim de romano Pontifice neque de singulis hierarchicis gradibus, sed tantum de clero in genere, et affirmamus, universam fidelium Ecclesiam divina Christi ordinatione distribui in clerum et populum sive in Ecclesiam docentem et discentem. Hinc sub communi *cleri* nomine omnes illi intelliguntur, qui a reliquis fidelibus separati sunt ad ministerium et officia ecclesiastica obeunda, et ideo distinctum in Ecclesia ordinem efficiunt. Reliqui *laicorum* nomine veniunt, aut simpliciter *fideles, populus christianus* appellantur.

337. Ex Christi institutione profluxisse distinctionem essentialem in clerum et populum, patet imprimis ex eo, quod ipse Christus ex ipsis discipulis sibi quosdam elegerit, ut ejus nomine et auctoritate omnes partes sacri ministerii explerent. Hoc testatur omnis evangelica historia. Sic legimus apud s. Lucam c. VI. 13: *Cum dies factus esset, vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit.* Quamvis igitur Christus sibi discipulos elegerit eosque miserit binos ante faciem suam (Luc. X. 1), tamen quum de Ecclesiae novae constitutione ageretur, Christus non omnibus discipulis, sed quibusdam tantum ex ipsis ministerium commisit, quos et apostolos nominavit. Hinc et alloquitur Christus apostolos: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis* (J. XV. 16). Christus ergo ipse distinctionem essentialem induxit inter Ecclesiam docentem positam, ut iret et fructum afferret, et Ecclesiam discentem, quae est fructus lucrificatus.

338. Discrimen Ecclesiae ministrorum a reliquis ejusdem membris a Deo esse profectum, conceptis verbis docet Paulus (1. Cor. XII. 12. & seq.). Quamvis idem tradat, Ecclesiam esse unum corpus eodem spiritu vegetatum; tamen asserit, hoc corpus includere in se ex natura sua originariam membrorum disparitatem, subordinationem ac subalternationem; non secus ac in corpore humano necessaria est talis disparitas et mutua partium subjectio; nec possunt omnia membra esse caput, aut oculus, quin corporis debita organisatio, adeoque corpus ipsum intereat. Inde legitime concludit Apostolus, Deum ipsum, utpote sapientem Ecclesiae architectum, diversa ipsius membra diversis ejusdem necessitatibus coaptasse. *Vos autem estis* inquit Paulus (1. Cor. XII. 27. seq.) *corpus Christi et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores . . . Numquid omnes apostoli, numquid omnes prophetae, numquid omnes doctores?* Ac (Eph. IV. 11. seq.): *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas,*

alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum. Hanc ergo munerum distributionem *a)* censet Apostolus pertinere ad essentialem structuram et organisationem corporis Ecclesiae; *b)* varios ejusdem gradus, quibus alii prae aliis instruantur, a Deo ipso docet originem et institutionem accepisse; *c)* denique sic a Deo institutos esse sentit pastores et doctores, uti ab eo dati sunt Ecclesiae apostoli, prophetae et evangelistae. At nemo dicet, haec postrema munia competere omnibus, nec nisi a vulgo fidelium determinatis personis demandari. Ergo neque cetera. Quamobrem merito idem Paulus poscit, ut homines sacris muneribus addicti habeantur veluti ab ipso Christo constituti ipsius ministri: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* (1. C. IV. 1.)

339. Hinc factum est, ut hominis assumptio et addictio ad sacrum ministerium *segregationis* vocabulo in ss. litteris non semel exprimatur. Sic Paulus (Rom. I. 1.) de seipso ait: *Paulus servus Jesu Christi . . . segregatus in evangelium Dei.* Segregationem autem hanc non a populo, sed a Deo factam esse, patet ex Act. Apost. c. XIII. 2.: *Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos.* Subdit autem s. Lucas, segregationem non sine certo ritu consecratorio fuisse perfectam: *Tunc jejunantes et orantes imponentesque illis manus dimiserunt illos* (Act. XIII. 3.). Porro per impositionem manuum presbyterii homines intrinsecam specialem gratiam accipere et in speciali a ceteris distincta classe collocari, manifestum est ex verbis s. Pauli scribentis ad Timotheum (Tim. II. c. I. v. 6.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Deus itaque ipse hanc sacram ordinationem instituit, qua homines intrinsece et immutabiliter in suo gradu constituuntur, ac proinde Deo ipso auctore inveniuntur in Ecclesia, qui ex accepta speciali gratia ordinis non possunt cum reliquis unquam confundi, sed intrinseco et permanenti discrimine ab aliis differunt; adeoque Deo ipso auctore corpus Ecclesiae duplici parte essentialiter distincta constat, nempe clericorum et laicorum.

340. Idem deducitur ex modo agendi apostolorum. Numquam apostoli sese ita gesserunt, ut significarent, se agnoscere in fidelibus omnibus sacri ministerii potestatem, imo semper non in aliis tale jus agnoverunt, nisi in iis, qui in gradu ministrorum per sacram ordinationem constituti essent. Nec disposuerunt, ut populus sacros ministros institueret seu delegaret, prout in hypothesi adversariorum faciendum fuisset; sed independenter a populo sacerdotio inaugurarunt. Sic (Act. XIV. 22.) Paulus et Barnabas dicuntur propria auctoritate constituisse presbyteros per singulas Ecclesias. Paulus Timotheum praefecit Ecclesiae Ephesinae (1. Tim. I. 3.), et Titum Cretensi (Tit. I. 6.). Idem praestitit s. Petrus per universas occidentis Ecclesias, testibus Tertulliano (libr. de praescr. c. XXV.), Innocentio I. (ep. ad Decent. n. 2), s. Augustino (l. de un. bapt.). — Nec vero ipsi tantummodo hac facultate sunt usi, sed in alios etiam exercendam transfuderunt. Unde ad Titum (c. I. 5.) scribit Paulus: *Hujusmodi rei gratia constitui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates praesbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Quae omnia evidenter demonstrant, essentialem distinctionem inter Ecclesiam docentem et discentem ab ipso Christo esse invectam.

Ministrorum electionem ex populi suffragio minime pendere, prout adversarii ex electione Barnabae ac Matthiae (Act. I. 23.) sive ex electione septem diaconorum (Act. VI. 3—5.) probare volunt. Nam in duplici illo casu ita se gesserunt apostoli ex peculiari quadam ac prudenti oeconomia, vel dumtaxat ad reddendum personis idoneis testimonium, vel etiam ut libentius faciliusque suo praeposito subjectae plebes obtemperarent: quin voluerint normam seu legem immutabilem constituere, multo vero minus id fecerunt necessitate compulsi, ac si ita exposceret naturale aut divinum jus, alioquin ipsi se juris ejusdem violatores constituissent.

341. Exinde factum est, ut ab ipsis Ecclesiae initiis comperiamus illam sacerdotii successionem jugiter ad nos usque perseverantem in Ecclesia universa, uti omnia documenta ecclesiastica testantur. Patres communi consensu affirmant et docent, episcopos, presbyteros et diaconos a Domino praefici Ecclesiae, praeesse Dei loco, quibus propterea parendum sit ut Deo Patri. Sic Clem. rom. (I. Cor. c. XLII.), Ignatius M. (ep. ad Eph. c. IV.), Hermas etc. Porro juxta hujusmodi principia, sui juris esse semper censuerunt independenter a populo in ordine ecclesiastico quos idoneos putarent recensere ac constituere. Patet igitur, clericos jure divino a laicis discriminari: adeoque corpus Ecclesiae veluti ex duobus summis elementis, ex clericis et laicis sive ex Ecclesia docente et discente coalescere.

342. Ecclesia, quae ex clericis et laicis vel doctoribus et discipulis coalescit, vocatur *militans* ideo, quod illi cum immanissimis hostibus, mundo, carne, Satana, perpetuum sit bellum. Est autem Ecclesia militans: *coetus omnium fidelium qui adhuc in terris vivunt.* Altera Ecclesiae pars vocatur *triumphans*, et est: *coetus ille clarissimus et felicissimus beatorum spirituum, et eorum, qui de mundo, de*

carne, de iniquissimo daemone triumpharunt, et ab hujus vitae molestiis liberi ac tuti aeterna beatitudine fruuntur. Neque idcirco tamen duas esse ecclesias censendum est; sed ejusdem Ecclesiae partes duae sunt, quarum una antecessit, et coelesti patria jam potitur: altera in dies sequitur, donec aliquando cum Salvatore nostro conjuncta in sempiterna felicitate conquiescat.

Articulus V.

Christus Ecclesiam suam instituit ut societatem necessariam, ita ut extra illam nulla sit salus.

343. Dicitur in thesi, *Ecclesiam esse societatem necessariam*, hoc est, omnes eam ingredi, et membra corporis ejus fieri, divino mandato teneri.

Duplici sensu Ecclesia potest dici necessaria: *a)* quoad se ac naturam suam: *b)* quoad institutionem ac quoad nos et ingressionem nostram.

344. Nobis examinandum non est, an Ecclesia in primo sensu necessaria sit. Quamquam difficile non esset illud ex philosophiae principiis deducere; nam religionem divinam, quae hominibus ad salutem assequendam data est, respuere grande piaculum esset et summa impietas; quum autem extra Ecclesiam religio haec nec pura haberi, neque legitime exerceri possit, sequitur Ecclesiam ex natura sua esse necessariam.

345. Hic sermo est tantum de necessitate secundi generis. Tractantibus scilicet de Ecclesia Christi, hoc unum indagandum est, quid Christus voluerit. Quum autem semel constiterit, hanc Christi voluntatem fuisse, ut omnes Ecclesiam ab ipso fundatam ingrederentur: sponte sequitur, extra Ecclesiam Christi salutem sperari non posse. Ergo extra Ecclesiam Christi nulla salus, hoc est, extra illam culpabiliter versantibus, ac proinde nec ad animam nec ad corpus Ecclesiae pertinentibus nulla salutis via remanet.

346. Ecclesiam esse institutam ut societatem necessariam sensu explicato, probatur sequentibus rationibus.

Imprimis omnes tenentur amplecti religionem christianam, seu illam, quae a Christo fuit revelata. Nam in demonstratione christiana ostendimus, hominem indifferentem esse non posse, quum ei aliqua religio ut divinitus revelata proponitur. Christiana autem religio proposita est ut revelatio, quae et originem divinam habet, et pro omnibus hominibus facta proponitur. Hinc nemo ab ea amplectenda abstinere potest, nisi velit in Deum et seipsum peccare, veritatem a Deo ipso propositam repellendo.

Ergo tenentur etiam omnes ingredi veram Christi Ecclesiam. Hoc patet ex eo, quod Ecclesia propter religionem instituta sit. Qui enim vult finem, vult et medium. Ergo *a)* Christus, qui vult ut omnes per religionem vitam consequantur, debuit etiam velle, ut omnes in eam societatem convenirent, quam propter religionem ipse instituit. Ergo *b)* quum hominibus obligatio incumbat, veram Christi religionem amplectendi, etiam tenentur ad medium, quo ex instituto Christi ad illius religionis veram cognitionem pervenire et legitimum cultum exhibere possunt.

347. Idem probatur ex illis verbis Christi: *Praedicate evangelium omni creaturae: qui crediderit & baptizatus fuerit, hic salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur* (Marc. XVI.). Et: *Nemo venit ad Patrem nisi per me* (Joa. XIV.). Ergo expressa fuit Christi voluntas, ut omnes evangelio crederent sub discrimine salutis, idque in Ecclesia, cujus membra per baptisma efficiuntur. Hanc veritatem eamdem videmus expressam in Christi verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei* (Jo. III. 5.); et: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Ergo qui per baptismum non ingreditur Ecclesiam, nec tenet fidem Christ ab apostolis propositam, non introibit in regnum Dei, non habebiti vitam.

348. Exinde statim sequitur, extra Ecclesiam Christi non dari salutem. Nam Ecclesia Christi est societas necessaria, ad quam ingrediendam omnes obligantur tum jure naturali, tum jure positivo divino. Ergo qui eam sciens et volens non ingreditur, salutem sperare non potest. Ad vitam enim ingredi non potest, qui non servat mandata; imo qui cognovit voluntatem Domini, et non fecerit eam, vapulabit multis (Luc. XXII. 47.). Et sane Christus instituit Ecclesiam docentem, quam omnes audire, et imperantem, cui omnes obedire tenentur. Qui gravissimum hoc Christi praeceptum non adimplent, eodem modo salvari non possunt, sicut illi, qui alia gravia Dei praecepta violant.

349. Apostoli idem docent. S. Petrus, ut Judaeos ad recipiendum evangelium Jesu Christi Nazareni excitaret, ait: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. IV. 12.). Et S. Paulus

scribit ad Timotheum (1. I 19.): *Quidam circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare.* Quibus verbis Apostolus innuit, eos, qui veram fidem deserunt, esse blasphemos, e navi Ecclesiae delapsos, et in fluctibus perituros, nisi salutari poena emendati resipiscant.

350. Ideo sancti Patres haereticos et schismaticos ab Ecclesia et a salute alienos pronuntiant, et aperte asserunt, extra veram Christi Ecclesiam salutem non dari. Hinc S. Ignatius M. (ep. ad Phil. c. III.) ait: „Nolite errare fratres! si quis schisma . . . sequatur, regnum Dei non haereditabit.“ Origenes vero affirmat (comment. ad Tit.): „Sicut illi, qui fornicaverunt, regnum Dei non possidebunt, ita et hi, qui haereses tenuerunt.“ — S. Cyprianus expresse dicit (libr. de unit. Eccl.): „Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quispiam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam fuit evadet?“

351. Idem patet ex consensione ecclesiarum acatholicarum. Omnium enim christianarum societatum haec semper consentiens vox erat, extra veram Christi Ecclesiam salutem non obtineri. Nam si haec non fuisset acatholicarum ecclesiarum doctrina etiam post factam ab Ecclesia catholica separationem, quare ergo tot systemata fabricarunt, ut probarent, se esse in vera Christi Ecclesia? Quare quum catholici omnes acatholicas christianas societates a vera Christi Ecclesia excludunt, continuo clamant, se ergo a salute excludi? Ergo in Ecclesia Christi esse et in via salutis versari, unum idemque est. Manet ergo principium: extra Christi Ecclesiam salutem sperari non posse. Et quia inter tot ecclesias, quae se christianas dicunt, una tantum vera Christi Ecclesia esse potest; sequitur, in hac tantum una vera Christi Ecclesia salutem obtineri posse (Lieb. th. f. de Eccl. p. I. c. I. §. IV. — Schouppe de Eccl. p. 213. — Alb. a Buls. th. f. App. §. 274.).

Caput III.

De Ecclesiae proprietatibus et notis.

Articulus I.

Verae Ecclesiae proprietates et notae sunt: unitas, sanctitas, catholicitas & apostolicitas.

352. Demonstrata Ecclesiae *existentia* atque expensa ejus *constitutione* sive *natura*, inquirendum est, *qualem* Christus suam voluerit

Ecclesiam, seu quaenam sint ejus *proprietates*, quae sponte sua Ecclesiae constitutionem atque finem consequuntur. Possunt autem proprietates Ecclesiae definiri: *Qualitates, dotes vel elementa, quae divinus fundator Ecclesiae suae inesse voluit.* Ipsae autem proprietates, quatenus manifestatae, vocantur notae. Unde nota Ecclesiae definiri potest: *Proprietatis invisibilis divinitus inditae extrinseca manifestatio.* Itaque conceptus notae duo continet: externum effectum et connexionem cum interna causa, quae est proprietas, ita ut nota, formaliter sumpta, semper cum elemento divino intrinseco, hoc est cum proprietate sit connexa.

353. Vera Christi Ecclesia debet notas aliquas habere, ex quibus clare discernatur ab omnibus aliis falsis sectis. Ut enim „officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci“. (Conc. Vat. sess. III. c. III.)

354. Quaestio de verae Ecclesiae notis, quaestio est fundamentalis et maxime utilis, ad quam summa controversiae cum acatholicis revocatur. Probatur ex Ecclesiae fine. Eo ipso enim quod Ecclesia constituta est ut medium ad puram doctrinam, ad veram sanctitatem et ad aeternam salutem, patet, quaestiones speciales, quae sint verae doctrinae, quae sint media ad propriam sanctificationem et ad aeternam salutem huic fundamento inniti: quae sit vera Ecclesia, per quam et in qua haec omnia habenda sunt. Hinc quaestio de notis ad dignoscendam veram Ecclesiam a falsis est maxime utilis & est via *brevis, facilis* ac *tuta* etiam sub aspectu polemico: & licet controversiae etiam speciales sint utiles, imo etiam necessariae, tamen juxta exemplum antiquorum & recentiorum magistrorum controversiarum ad hanc generalem quaestionem de Ecclesia saepe revocandi sunt haeretici, qui a capitali quaestione ad speciales controversias de doctrinis plerumque divertunt.

355. Notae non pro arbitrio confingendae, sed ex natura Ecclesiae ita deducendae sunt, ut non posse vel a vera Christi Ecclesia abesse vel in ulla secta adesse intelligantur. Ita vero Ecclesiae notas constituemus, si eas ex ipsa ejus natura deduxerimus. Itaque notae illae debent 1) *notiores* esse ipsa Ecclesia; ignotum enim per notius cognoscitur. — 2) Debent esse *propriae* et non communes; i. e. debent *verae* Ecclesiae evidenter convenire, evidentia nempe credibilitatis;

alioquin vera Christi Ecclesia non posset certo ac perspicue cognosci: et quidem *soli* verae Ecclesiae, ita ut saltem collective sumptae alteri non conveniant; alias vera Ecclesia sufficienter discerni non posset a coetibus haereticorum, cum nulla res discernatur per signum aliis commune. — 3) Notae illae debent esse *clarae*, quoad omnes, et non tantum quoad doctiores, ita ut etiam a rudibus perpensae valeant eos ducere in cognitionem verae Ecclesiae, sicque possint etiam illi veram Ecclesiam ingredi. Caeterum sermo nobis hic est cum haereticis, minime vero cum aliis sectis antichristianis, quarum asseclae ut ad agnitionem verae Ecclesiae perducantur, aliis argumentis convinci solent, ut diximus in tractatu de vera religione. — 4) Notae illae debent esse *inseparabiles* a vera Ecclesia, cujus sunt notae, seu debent illi necessario semper inesse. Si enim non necessario insunt, sed possent et abesse, ipsis deficientibus non cognosceretur Ecclesia vera.

356. Protestantes tamquam notas statuunt: 1) verbi Dei sinceram praedicationem; 2) sacramentorum legitimam administrationem. At quum in qualibet Ecclesia, quae se Christi esse dicit, verbum divinum praedicetur et sacramenta, saltem baptismus et eucharistia administrentur, nova quaestio oritur, in quanam Ecclesia praedicatio verbi Dei sit *pura* ac sacramentorum administratio *legitima*. Ad id dijudicandum aliis notis opus est.

357. Ideo omni jure catholici alias notas statuunt, per quas vera Ecclesia a qualibet falsa secernatur. Statuunt autem quatuor: unitatem quae pluralitati ac divisioni, sanctitatem quae internae vitae ac virtutis defectui, catholicitatem quae particularitati et sterilitati, et apostolicitatem quae novitati doctrinae et legitimae successionis interruptioni opponitur: quod probatur ex Concilii Nicaeno-Constantinopolitani symbolo: *Credimus ... unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.* Hae autem notae non sunt nisi explicita expositio notarum, quae in symbolo apostolico continentur illis verbis: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam.* Nam Ecclesia in singulari numero ponitur, ac propterea *una* significatur, quae dicitur *sancta* et *catholica,* quod si Ecclesia catholica est, debet necessario pariter esse *apostolica,* ut ex dicendis patebit. Idem patet ex consensu antiquitatis; ex obvia ratione, quod hae sint essentiales Ecclesiae proprietates, quae sensibiles reddi et ad factum revocari possunt; denique ex demonstratione singularum partium, quas singillatim demonstrabimus. — Quod vero spectat ad alias sive plures, sive pauciores notas assignatas a nonnullis Patribus et theologis, illae vel reducuntur ad quatuor recensitas vel eas implicite continent.

358. Quum notae sint ipsae Ecclesiae proprietates quatenus manifestatae et ut plurimum eadem argumenta utrumque demonstrent; unitatem, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem verae Ecclesiae esse proprietates et notas simul probabimus, unde earundem intimior connexio magis apparebit.

359. Hae notae per se sunt signa positiva, non vero mere negativa: scilicet non solum si illae desint in aliqua communione, colligitur, eam non esse veram Ecclesiam, sed etiam si illae adsint in una communione, colligitur eam esse Ecclesiam veram. At nihil impedit, quominus aliqua nota per se positiva, si spectetur quandoque inadaequate et ex parte, vim habeat solum negativam; quod quidem ad scopum polemicum non raro sufficit. Singulae etiam notae, si adaequate ac penitius spectentur, ita connexae sunt, ut si una adsit, adsint et aliae. Possunt tamen quandoque pro diverso controversiae scopo praecisione facta ita spectari inadaequate, ut una alteram non includat. Ita e. g. nota unitatis contra graecos schismaticos aliter, aliter contra protestantes urgeri potest, apud quos ne umbra quidem adest unitatis, sed potius principium proclamatur discordiae. At inadaequata ac levior consideratio unitatis, quae potest esse abunde sufficiens ad refellendos protestantes, non erit sufficiens, ut statuatur nota positiva et cum aliis notis necessario nexa ad demonstrandam veram Ecclesiam.

360. Adversarii nobis oggerunt, notas esse inutiles eo quod Ecclesia, utpote quae nobis prior est, prius et agnoscenda sit. Sed frustra. Nam prius debet quidem sciri in genere dari veram Christi Ecclesiam, non vero hanc determinatam, de qua quaeritur, esse veram Christi Ecclesiam. (Sardagna tom. II. tr. III. contr. III.)

Articulus II.

Theoria de singulis notis verae Ecclesiae.

I.

De nota unitatis.

§. 1.

Unitas simul proprietas et nota verae Ecclesiae est.

361. Ad thesim declarandam haec juvat animadvertere. Unitatem Ecclesiae multiplicem v. g. ratione unius Dei, unius Christi

institutoris & capitis invisibilis, unius revelationis, unius finis remoti & proximi, unius baptismi etc. omnes admittunt. Sed de hac unitate non est hic quaestio; quaestio est hic de unitate objectiva seu ontologica, de unitate sc. sociali eaque perfecta, i. e. de *unitate fidei & communionis* seu *unius corporis*, quae ex principio oritur auctoritatis in docendo & regendo. Quidam unitatem communionis subdividunt in unitatem regiminis seu imperii & in unitatem cultus seu sacramentorum.

362. Itaque ne unitas asseratur nimis vaga & indefinita, quam omnes admittunt, ostendi debet, unitatem fidei & communionis (quam etiam dicunt charitatis) ex divina institutione Ecclesiae essentialiter convenire, eamque exterius manifestari atque notam esse, per quam appareat: *a*) Ecclesiam unam Christi non esse in collectione plurium christianarum communionum, quae fidei professione & independenti regimine divisae invicem sunt atque oppositae; *b*) unam tantum ex his esse veram Ecclesiam Christi, quae principium habet unitatis; *c*) adeoque alias omnes esse haereticas & schismaticas sectas, quae abrupto vinculo fidei et communionis unitatem antiquae Ecclesiae deseruerunt.

363. *Probatur unitas fidei.* Ex vinculo, quo partes Ecclesiae inter se Christus contineri voluit, iisque omnibus, quae de hoc vinculo Christus ipse explicuit atque constituit, efflorescit in Ecclesia unitatis proprietas. Quamobrem unitas non est nisi effectus immediatus vinculi ipsius. Ergo quale est in se vinculum a Christo institutum, talis est quoque Ecclesiae unitas.

Atqui vinculum, quo Christus suam Ecclesiam instructam voluit, est vinculum fidei. Nam Ecclesia est coetus ille, qui Christi doctrinam profitetur; sed doctrina Christi est una, seu unum constituit harmonicum veritatum systema. Ergo et una fides erit in eo coetu, qui per mentis assensum Christi doctrinam amplectitur et profitetur. Ideo S. Paulus docet: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (Eph. IV. 5), et sicut fideles hortatur, ut idem sapiant et sint *unanimes idipsum sentientes* (Philipp. II. 2), ita a fide dissidentes damnat: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* (Gal. I. 7.) Unde Apostolus operibus carnis, maximisque criminibus, quae excludunt a regno Dei (Gal. V. 21) adnumerat etiam (v. 19) dissensiones et sectas.

Igitur unitas Ecclesiae imprimis sit oportet *unitas fidei*, quae omnium Christi fidelium in unam fidem profitendam conspirationem exhibeat.

364. Praeter unitatem fidei requiritur quoque *unitas professionis fidei.* Qui enim credit, praeterquam quod intimum mentis suae assensum declarat, qui interior fidei actus est, debet id, quod animo inclusum habet, aperta fidei professione prae se ferre, summaque alacritate palam fateri ac praedicare. Oportet enim fideles eum spiritum habere, quo fretus propheta dixit (ps. CXV. 1): *Credidi propter quod locutus sum;* imitari apostolos, qui ad principes populi responderunt (Act. IV. 20): *Non possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui:* Divi Pauli preclara illa voce excitari (Rom. I. 16): *Non erubesco evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Item quo maxime hujus sententiae veritas confirmatur: *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. X. 10). Hinc Ecclesia semper exegit professionis unitatem et quovis tempore illos damnavit, qui exterius non eandem cum ipsa profiterentur fidem; neminemque recepit, qui non in eandem cum ipsa fidei professionem conspiraret.

365. *Probatur unitas cultus.* Ecclesiam Christi debere esse unam unitate cultus, manifestum est ex ipsa societatis religiosae et visibilis natura. In nullum enim „nomen religionis seu verum seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur“. (S. Aug. cont. Faust. l. 19. c. 11.) Et sane in Ecclesia Christi omnes uno eodemque initiantur sacramento: *Docete omnes gentes baptizantes eos* (Matth. XXVIII. 19); iisdem fruuntur salutis mediis et eodem ritu colunt Deum: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* (1. Cor. X. 17.) Hinc Ecclesia primitiva propter hanc unitatem ritualem laudatur: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus.* (Act. II. 42).

366. *Probatur unitas regiminis* i. e. unitas corporis seu socialis, unitas legitimae subordinationis. Juxta voluntatem Christi apostoli unam eamdemque doctrinam, eadem praecepta proponere debebant omnibus ubique, ita ut omnes sub discrimine salutis tum credere doctrinae, tum observare praecepta ab apostolis proposita tenerentur. (Matth. XXVIII. 20, Marc. XVI. 15.). Unitas haec Ecclesiae in fide juxta mentem Christi exurgere debet ex mutuo Ecclesiae docentis et discentis nexu, quo Ecclesia docens proponit veritates credendas, praecepta observanda sibi a Christo commissa, Ecclesia vero discens

*

docenti per fidem et subjectionem adhaeret. Christus ergo inter suos non solum internam, sed etiam externam unitatem exposcit, et quidem unitatem, quae ex principio oritur auctoritatis in docendo et regendo. Atqui in hac unitate consistit unitas Ecclesiae socialis. Ergo juxta mentem Christi, Ecclesia debet esse una unitate sociali sive regiminis.

Hinc Christus ad hanc unitatem inter suos *mediantibus apostolis* obtinendam, orationem fudit ad Patrem dicens: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.* (Jo. XVII. 17); et paulo post (v. 20) rogat, ut haec Ecclesiae suae unitas perpetuo duratura sit; ait enim: *non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Ideo Christus Ecclesiam suam comparavit uni agro (Matth. 13, 24), uni convivio (Matth. 22, 11), uni domui, eidem petrae insistenti (Matth. 16, 15), uni ovili: Christus enim omni discrimine inter Judaeos et Gentiles sublato, omnes in unam societatem visibilem congregare voluit; ait enim: *Ego sum Pastor bonus . . et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* (Joa. X. 14. seq.) Tanti Christus hanc unitatem fecit, ut pro illa mortem subire non dubitaverit. Nam mortuus dicitur, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (Jo. 11, 52).

Ideo etiam Apostolus coetum fidelium seu Ecclesiam saepe unum corpus nominat (Rom. 12, 5): *Multi unum corpus sumus in Christo;* item (1. Cor. 12, 13): *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei sive Gentiles, sive servi sive liberi.*

367. Utramque unitatem, fidei et communionis complexus est Apostolus ad Ephesios (IV. 3. seq.) scribens: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus, et Pater omnium.* Ubi poscit Paulus, ut, quoad ejus fieri possit, tanta sit Ecclesiae unitas, quanta est unitas spei vocationis seu gloriae aeternae, fidei, baptismi, Christi, Dei. Sed horum omnium unitas summa est, absoluta, atque indefectibilis. Talis ergo sit necesse est Ecclesiae unitas.

Unitas communionis vocatur quoque unitas charitatis, quae tamen non illam charitatem respicit, qua diligere nos debemus mutuo uti homines, qua vel cum ipsis infidelibus conjungi debemus, qui sunt extra Ecclesiam, sed significat specialem charitatem totius christiani populi propriam, qua omnes absque divisione adhaeremus pastoribus et episcopis ad idem corpus constituendum, profitentes eamdem fidem in vinculo pacis.

368. Ut aliquid etiam ex traditione pro unitate innuamus, PP. nil magis quam visibilem unitatem fidei et communionis inculcant, quam etiam typis historicis et metaphoricis illustrant, dum v. g. unam Ecclesiam dicunt praefiguratam fuisse in Eva, in archa Noe, in templo Salomonis, in coenaculo, ubi instituta eucharistia et Spiritus sanctus est datus, in veste Christi inconsutili, in Petri navicula et rete, in ipso Petro, imo vero in Christo ipso; dum Ecclesiam comparant v. g. arbori, soli, fonti, unde plures rami et radii ac rivi in unitate diffunduntur. Idem colligi potest ex phraseologia Patrum de crimine contra unitatem fidei et communionis seu de haeresi et schismate; sed splendidius id constat ex factis seu ex universa historia ecclesiastica, interna ut ajunt et externa, quae unitatem fidei et communionis tanquam fundamentum constitutionis Ecclesiae semper exhibet: huc praesertim pertinet historia conciliorum et historia haereseon. Inter caeteros PP. unitatem tum fidei tum communionis probat S. Cyprianus (libr. de unit. Eccl.): „Deus unus est, et Christus unus, et Ecclesia ejus et fides una, et plebs in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata"; item S. Hilarius (in ps. 121. n. 5) Ecclesiam definiens: „Unum Ecclesia corpus est, non quadam corporum confusione permixtum, neque singulis in indiscretum acervum et informem cumulum adunatis, sed per fidei unitatem, per charitatis societatem, per operum voluntatisque concordiam, per sacramenti unum in omnibus donum, unum omnes sumus".

369. Principia generalia ad difficultates solvendas, praesertim historicas haec sunt.

1) Duplex distingui debet schisma contra fidei et communionis unitatem sc. *a)* schisma *in* ipsa Ecclesia et in unitate, sive divisio ipsius Ecclesiae in plures integrales partes fide et communione inter se divisas: hoc est impossibile ex divina Ecclesiae constitutione et nullo exemplo ostenditur ex ecclesiastica historia: *b)* schisma *ab* ecclesia et ab unitate seu divisio, qua personae vel ecclesiae particulares separantur ab una universali Ecclesia Christi, quae licet imminuta, manet tamen in se una, indivisa et unice vera: atque hisce exemplis abundat ecclesiastica historia.

2) Ab hoc ipso formali schismate sive personarum sive ecclesiarum distingui iterum debent: *a)* schisma mere *materiale* in sim-

plici quaestione de *facto* et de *persona*; *b)* intimioris arctiorisque communionis aliqua relaxatio; *c)* dissensiones *ante* dogmaticam et authenticam definitionem; *d)* divisiones ipsae, quae a peccato excusari nequeunt, ut graves inobedientiae, occultae haereses, immoderatae contentiones, atque alia, quae licet schisma non sint, unitatem tamen turbant, labefactant et ad schisma facile ducere possunt.

3) Ex exemplis porro quae objiciuntur *a)* nullum probat (quod esset probandum) schisma esse possibile in ipsa Ecclesia; seu Ecclesiam ipsam multiplicatam quodammodo et divisam in se fuisse, vel mansisse unam in pluribus invisibiliter, visibili unitate fidei et communionis in partes discissa; *b)* nonnulla exempla pertinent ad schisma formale sive personarum sive ecclesiarum *ab unitate*; *c)* pleraque ad ea referuntur, quae diximus a schismate esse distinguenda; *d)* nonnulla etiam in primo controversiae stadio non sunt schisma, sed paulatim in consumatum schisma desierunt, prius personarum, dein integrarum communionum.

370. Divisiones itaque proprie dictae in fide et communione habent quidem locum ut dici solet in christianitate generatim sumpta, sed nequeunt adesse in una Ecclesia Christi: unde etiam eae communiones, quae non audent dicere se esse totam Ecclesiam, suo judicio se condemnant, et ostendunt se neque esse partem ecclesiae divisae, et potius partem esse divisam ab Ecclesia, quae essentialiter fide et communione una est, unica, tota in se atque indivisa: adeo ut dici possit cum Augustino: Ecclesia est unitas (in ps. 101 serm. II. n. 8. edition. Nan. tom. 4. p. 1105.).

Duo sunt, quae homines ab Ecclesia potissimum excludunt: *haeresis*, qua tollitur unitas fidei; et *schisma*, quo adimitur communionis unitas.

§ 2.

Absurda est distinctio in articulos fidei fundamentales et non fundamentales invecta a protestantibus ad pervertendum verum conceptum unitatis fidei et communionis.

371. Biblicam, patristicam et theologicam ideam unitatis fidei et communionis pervertunt protestantes, dum variis modis distinctione facta inter fidei articulos fundamentales et non fundamentales, negant necessitatem unitatis fidei in non fundamentalibus, et affirmant sufficientiam unitatis fidei in fundamentalibus, ut ex pluribus communionibus fidei confessione divisis una constet ecclesia.

372. Ad quaestionis statum definiendum, quaestiones diversae distinguendae sunt: hic non quaeritur, quid sit necesse, ut aliquid dicatur esse de fide; nec quaeritur, quid sit necesse, ut a singulis vel implicite vel explicite, necessitate medii vel praecepti credatur: sed hoc tantum quaeritur, an necessaria sit Ecclesiae unitas fidei quoad omnia, an vero sufficiat unitas fidei in fundamentalibus, adeo ut Ecclesia una coalescere possit ex diversis communionibus, quae habent fidei *confessiones*, ut ajunt, discrepantes in articulis non fundamentalibus. Hoc sensu ea articulorum distinctio impugnatur.

373. Hanc protestantium doctrinam, quod scilicet Ecclesiae unius fides esse debeat una in fundamentalibus, esse contra scripturam, manifestum est. Scriptura enim non solum de distinctione inter articulos fundamentales et non fundamentales alte silet, prout legenti patet, sed expresse etiam perfectam fidei unitatem docet. Ubique enim

1) generatim et sine ulla exceptione dicitur in scripturis: Credendum esse *evangelio; tenendam* esse *Christi doctrinam;* eos, qui ab hac doctrina recesserunt, haereticos esse, a fide excidisse, sectas perditionis introduxisse.

Eatenus ergo posset discrimen inter articulos fundamentales et non fundamentales admitti, quatenus essent praeter articulos necessarios alii, qui necessario non sunt credendi. Atqui Christo auctore (Matth. XXVIII. 18. seq. coll. Marc. XVI. 16.) tam late patere debet fides fidelium, quam late patet evangelium seu revelatio. Ideo secundum Matth. XXVIII. apostoli mittuntur ad omnes gentes, ut docerent eos servare quaecunque Christus ipsis mandaverat. Marc. XVI. 16. autem additur: *qui non crediderit, condemnabitur.* Praeterea

2) ad Gal. I. 9. ait apostolus: *Si quis evangelizaverit vobis praeter id, quod accepistis, anathema sit.* Sed in hypothesi adversariorum anathema non incurrit, qui evangelizat doctrinam oppositam veritatibus ab apostolis promulgatis, dummodo hae non sint fundamentales. Quare s. Paulus prorsus aliam quam adversarii rationem affert, quae ad omnia revelata dogmata pertinet: scilicet quod evangelium ab eo evangelizatum non ab homine sit, sed *a Deo.* (ib. 11. 12.) Ideo

3) idem apostolus ad Thimotheum et Titum scribens frequenter de hominibus haereticis et deceptoribus loquitur, qui errant et in errorem mittunt; qui quum profanas vocum novitates sectarentur, a fide exciderunt. *Haereticum hominem*, ait ad Titum III. v. 10. *post unam et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est.* Esse autem juxta apostolorum doctrinam haereticos illos omnes, qui a *quocunque* praedicationis eorum *articulo* descisce-

rent, patet ex verbis: *Rogo autem vos, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis.* (Rom. XVI. 17.) Ideo idem Paulus (1. Cor. XV. 12.) insectatur ut haereticam sententiam Cerinthi negantis resurrectionem, cui quidam Corinthii adhaeserant. Ideo haereticos declarat eos, qui sensum articuli resurrectionis perverterant, ut legitur in II. ep. ad Tim. (II. 17—18.). *Ex quibus est, inquit, Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt dicentes resurrectionem jam esse factam.* Similiter (Gal. V. 2.) declarat: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Quis ex protestantibus non dixisset indifferens esse, ut putaretur custodienda deinceps aut abjicienda circumcisio?

374. Distinctio haec protestantium est porro prorsus nova et inaudita antiquitati et contraria Patrum doctrinae. Hoc patet ex Patrum scriptis de Ecclesiae unitate et ex catalogis antiquarum sectarum et haereseon, et ex ipsa ratione agendi haereticorum, qui neque ad sui defensionem hac nova distinctione usi sunt. Constat, antiquos Ecclesiae Patres in more habuisse, illico pronuntiare haereticos, quotquot aliud docerent de quacunque re, ac fides Ecclesiae traderet, nec spectasse unquam, an parva res esset vel magna, sed *id unum* dumtaxat, num *traditioni apostolicae* contradiceret. Ab eorundem, quae innumerae sunt, sententiis recitandis abstinemus; sufficit in medium adducere Vincentium Lirinensem, qui in suo commonitorio adversus haereticos (c. XXI.) scribit: „Abdicata qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia atque alia, jam quasi ex more et licito abdicabuntur. Porro autem singilatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur?"

375. Doctrina ergo haec protestantium necessario ad indifferentismum erga omnem religionem christianam ducit. Nam statuto semel principio, posse articulos quosdam, licet sint revelati, non credi ac negari: revelatio divina saltem quoad hanc partem necessario auctoritate sua exuitur, et despectioni traditur, quae mox ad illam integram extendi debet, quum nullus fere articulus seu necessarius revelatus ex ss. litteris demonstrari queat, et fere nullus sit, qui a nemine sit impugnatus. Quod quam injuriosum sit in religionem christianam et in ejus auctorem Deum, nemo non videt. — Rem hoc modo contigisse, abunde testatur historia haereseon. Sic Lutherus ex ss. litteris demonstrat, articulum de reali Christi praesentia in eucharistia clare in illis perhiberi, unde et fundamentalem pronuntiat. At vero Calvinus ostendit, non inveniri in eucharistia nisi figuram corporis Christi: unde praesentiam realem ex articulis necessariis expungit. Verum tum Lutherus tum Calvinus consentiunt secundum scripturam admittendam esse validitatem baptismi parvulorum. Ast anabaptista in scripturis non reperiens quidquam circa baptismum parvulorum, infert parvulorum baptismum non esse articulum necessarium; contra putat deprehendere evidenter in scripturis fidei actualis necessitatem quoad omnes ad justificationem. Rationalista autem in scripturis ubique mythum invenit et omnes fere articulos inutiles esse decernit.

376. Distinctionem inter articulos fundamentales et non fundamentales esse contra rationem theologicam liquet ex eo, quod christianam ideam fidei pervertat et directe divisiones in fide pariat. Ex protestantium doctrina nimirum sequeretur, hominem christianum esse posse seu christianae religionis asseclam, quamvis plurima doctrinae a Christo traditae puncta respueret. Atqui hoc absurdum est et contradictorium; ejusmodi enim homo Christi religionem teneret et non teneret: teneret ex hypothesi protestantium; et non teneret, quia omnis religio, quae non omnia ea continet quae a Christo revelata et ab apostolis promulgata sunt, non est vera et genuina Christi revelatio.

Et re quidem vera necessitas credendi fidei articulos deduci non potest, quam ex ipsa *revelatione* seu Dei revelantis auctoritate. Quare enim revelati sunt, nisi ut credantur? Et quare creduntur, nisi quia *revelati* sunt? Ergo si aliqui ex his articulis credendi sunt, cur non et alii, quos pariter constat esse *revelatos?* Si omnia Christi praecepta observari oportet, quia *a Christo* data sunt, ut ipsi protestantes fatentur; ergo et *dogmata omnia* credere necesse est, quia a *Christo revelata sunt.*

377. Nemo hucusque ex protestantibus determinare potuit, quaenam doctrinae puncta ad fundamentalia, quaenam ad non fundamentalia pertineant; et tamen protestantes docent, sine fide articulorum fundamentalium impossibile esse placere Deo et haereditatem filiorum Dei adipisci, unde evidens redditur absurditas eorum sententiae. Principium distinctionis horum articulorum, quod multis doctissimisque inter protestantes valde probatur: „Ad articulos fundamentales pertinere omnes illos, quos communi consensu tenent omnes christianorum societates", est valde absurdum. Nam

a) quis non videt ecclesiae consensum in hac sententia tamquam fundamentum fidei haberi, quod protestantium doctrinae e diametro opponitur, qui aliud principium praeter scripturas non admittunt?

b) Quaenam est haec argumentandi ratio? Si quaeritur a protestantibus, quis ad ecclesiam pertineat illico respondent: Omnes illi, qui tenent articulos fundamentales. Si, quinam sint hi articuli, nosse desideras, reponunt: ii, quos tota tenet ecclesia.

c) Si hoc protestantium principium admittitur, sequitur omnia catholicorum dogmata ante Lutherum ad fundamentalia pertinuisse. Quae nos hodie adhuc circa septem sacramenta, invocationem sanctorum, purgatorium etc. credimus; tota tunc credidit Ecclesia. Ergo Lutherus, et qui eum secuti sunt, fundamentalia deseruerunt.

d) Sequitur tempore arianorum, pelagianorum, nestorianorum etc. doctrinam de sacramentis, invocatione sanctorum etc. ad necessaria pertinuisse; dogma autem divinitatis Christi, peccati originalis, necessitatis gratiae etc. non pertinuisse.

e) Sequitur fidem non ex articulis fundamentalibus determinandam esse, sed fundamentalia ex hominum fide; nullam haereticorum sectam unquam posse in necessariis errare, quum ea, quae ab aliqua haereticorum societate impugnantur, necessaria esse desinant. (Lieb. Dem. cath. prol. prop. IV.)

II.

De nota sanctitatis.

Sanctitas non modo proprietas est, sed etiam nota verae Ecclesiae.

378. Ecclesia dicitur sancta, eo fere modo, quo arbor dicitur fructifera. Arbor fructifera dicitur, tum quia naturam fructiferam habet ac virtutem continet fructificandi; tum quia reapse fructus producit: ita Ecclesia non solum ex Christo, tamquam ex divina radice, virtutem habet ferendi fructum multum; sed etiam revera fructus omnigenos et mirabiles sanctitatis perpetuo fundit.

379. Haec porro sanctitas simul Ecclesiae proprietas est et nota. Ut est *proprietas*, multipliciter spectari potest. Est enim Ecclesia sancta: 1) in auctore suo, 2) in essentia seu constitutione, 3) in fine suo, 4) in mediis suis, 5) in capite suo Christo, 6) in ipso corpore seu membris suis, quae divinis charismatibus nempe gratia sanctificante et dono miraculorum pollent.

380. Sanctitas ut est *nota*, spectari potest tantum in corpore et membris Ecclesiae, consistitque: *a*) in exercitio eximiarum etiam heroicarum virtutum, *b*) in charismatibus gratis datis, *c*) in conversione gentium ab impietate ad sanctam Christi religionem.

381. *Prob. Sanctitas est simul proprietas et nota Ecclesiae*, si *a*) divinus auctor et caput ejus eam sanctam esse voluit in essentia seu constitutione sua, in fine et mediis suis; et si *b*) eam in corpore et membris dotavit charismatibus iis, quae sese tum virtutibus eximiis, tum miraculis, tum conversione gentium ab impietate ad christianam religionem proderent. Atqui haec duo facta constant. Ergo sanctitas est simul proprietas et nota Ecclesiae.

382. *Probatur pars a*), i. e. probatur sanctitas, ut est *proprietas*. Christus voluit Ecclesiam suam esse *sanctam*. Nam Ecclesia in scripturis iis insignitur nominibus, quae ei, nisi sancta esset, convenire non possent. Vocatur enim *corpus Christi, sponsa Christi, tabernaculum Dei* cum hominibus, *domus Dei, templum Dei.*

383. Omnes deinde sanctitatis characteres Ecclesiae Christi conveniunt. Ergo sancta est. Et re quidem vera Christus voluit,

1) ut Ecclesia esset societas hominum ad sanctitatem ex vocatione sua tendentium et sanctitatem profitentium. Ideo in scriputris christiani passim vocantur sancti, gens sancta (Ad Rom. I. et 1. Petr. II.). Voluit

2) ut Ecclesia sanctos revera efficeret. Ad hoc enim tendit institutio baptismi: *Abluti estis, sanctificati estis* (1. Cor. VI.); coena eucharistica, potestas remittendi peccata, tota demum Ecclesiae constitutio.

Quum igitur Ecclesiae auctor et caput sit ipse Christus, constitutio sit opus Christi, finis sit hominum sanctificatio ac salus, media sint doctrina sancta et sacramenta; sponte patet, in omnibus his Ecclesiam, voluntate auctoris sui, esse sanctam.

384. *Probatur generatim pars b*), i. e. probatur sanctitas, ut est *nota*. Christus voluit Ecclesiam suam pollere tum gratia et virtutibus eximiis etiam heroicis, tum gratia perducendi gentes ab impietate ad sanctitatem. Quum enim Ecclesia ex sua constitutione ordinata sit tamquam ad finem proximum ad homines docendos et sanctificandos, et quum Christus juxta suas promissiones ad hunc finem adsit Ecclesiae suae eique det Spiritum S., ut hanc missionem compleat; haec ex ipsa Ecclesiae positiva constitutione consequuntur:

1) Missio docendi jugiter in Ecclesia apparebit, non solum servando fideles in fide, sed etiam in successiva conversione gentium ad fidem et *sanctitatem.*

2) Missio *sanctificandi* jugiter in Ecclesia apparebit multiplici modo in populo christiano, et eminenter in multis sanctis, in quibus supernaturalis heroica sanctitas splendidissime emicat.

3) In Ecclesia semper aderunt supernaturalia charismata et dona Spiritus Sancti, ut est praesertim donum miraculorum, quae sunt signa praesentiae Christi cum Ecclesia sua et jugis confirmatio tum generatim divinae missionis, quam habet Ecclesia, tum speciatim *sanctitatis.*

385. *Probatur speciatim pars b);* i. e. probatur sanctitas ut est *nota.* Asserimus itaque imprimis, Ecclesiam ita sanctam esse debere, ut semper in ea futura sit perfecta cultura virtutum. Non enim potest concipi Ecclesia Christi, quae non habeat plura membra in individuo sancta. Nam

1) finis Ecclesiae est, ut homines sanctificet. Si ergo nulli vel fere nulli de facto sanctificarentur, frustraneus esset ille finis, nec Christus quidquam, saltem tali aetate, ex facta Ecclesiae institutione assequeretur. Praeterea irritus omnino concideret influxus descendens jugiter a Christo capite in Ecclesiam; neque Christus vocari posset *salvator corporis sui,* sicut revera vocatur. In hoc casu deinde omnia Ecclesiae membra essent mortua, proinde totum corpus esset mortuum et caritas, quae praecipue pertinet ad animam Ecclesiae, omnino exularet.

Tot igitur debent esse in Ecclesia sancti, quot sunt necessarii, ut Christus dici possit salvator *corporis sui,* ut propter eos ratione actualis exercitii virtutum Ecclesia universa dici possit sancta.

2) Ex parabola zizaniorum constat, quod usque ad finem mundi cum zizaniis erit bonum semen in agro, h. e. in regno Christi cum malis erunt filii regni (Math. XIII., 24. seq. coll. 35. seq.). Porro hi filii regni sunt justi, qui in consummatione saeculi per angelorum ministerium discernentur a malis, et fulgebunt sicut sol in regno Dei. Ergo usque in finem mundi sancti perfecta sanctitate erunt in Ecclesia. Erunt autem semper continuata serie, sicut bonum semen semper crescit in agro: utraque enim ab eo tempore, quo sata sunt, crescunt usque ad messem; bonum autem semen Filius hominis sevit, et messis est consummatio saeculi. Igitur quacunque aetate Ecclesia Christi sanctis florebit. Ratione multitudinis ea erit habitudo seminis in toto agro seminati ad zizania superseminata, talis nimirum, ut propter exercitium virtutum universa Ecclesia dici possit sancta.

Quamvis angeli separaturi sint quoscumque malos a bonis, tamen hic directe mentionem non facit Christus nisi separationis eorum, qui fuerunt in regno ejus. (v. 41.)

3) Instituta comparatione inter dilectionem Christi erga Ecclesiam et dilectionem viri erga mulierem, inter cetera ait Paulus: „*Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.*“ (Eph. V, 28, 29.) Jam vero dilectio Christi in eo est, ut seipsum tradiderit pro Ecclesia, „*ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*“ (Eph. V, 25—28.). Porro Christus nutrit et fovet Ecclesiam, eo quod eam diligit; nutrit et fovet semper, quia numquam odio habet; nutritio autem haec et hic fotus actualem significant communicationem Spiritus et donorum, quibus actu vegetat et floret caro Christi, h. e. significant actualem sanctitatem sese explicantem per exercitium perfectarum virtutum. Ergo Ecclesia semper quavis aetate florebit culturâ virtutum. Ita vero Christus nutrit et fovet Ecclesiam, ut vere dicatur nutrire et fovere carnem suam; hoc autem verum non esset, si ad aliqua tantum membra non ad universum corpus nutritio et fotus spectarent, vel non ita spectarent ad corpus, ut, quamvis multi non foverentur, tamen de toto corpore dici posset, quod nutritur et fovetur.

4) Christus pro sua reverentia semper exauditus fuit, quum absolute oravit. Atqui Christus (Joa. XVII, 17.) oravit Patrem, ut sanctificaret in veritate discipulos ejus et eos, qui per verba eorum credituri essent. Ergo vera sanctitas saltem tam multis inerit, ut corpus Christi vere sanctum sit, secus enim exaudita non fuisset oratio Christi.

5) Tessera, qua dignoscantur discipuli a ceteris est dilectio proximi (Jo. XIII, 35.). Hac ergo tessera corpus Christi dignosci debet, quo quidem hac tessera distincto et cognito fiet, ut et ii, qui imperfecte sunt discipuli Christi, propter unionem cum corpore tamen, cujus membra sunt, cognoscantur et ipsi ut discipuli quadantenus Christi. At si corpus universim spectatum hac tessera non fulget, nequit Ecclesia Christi certo dignosci. Oportet ergo, ut Ec-

clesia *tota*, etsi non *totaliter*, splendeat dilectione proximi, et quidem perenniter; nam congnoscent *omnes*, ait Christus. Atqui qui diligit proximum, legem implevit, et plenitudo legis est dilectio. Ergo.

Itaque actualis sanctitas et virtutum perfecta cultura florebit semper in Ecclesia, atque ex voluntate Christi ea est necessaria Ecclesiae proprietas, quae natura sua ad extra ut nota se prodit. Ut autem Ecclesia dicatur vere florere cultura virtutum, per se sufficit, ut absolute multi sint boni, et frequens sit exercitium virtutum, idque ex *Ecclesiae intrinseco principio* procedat normam sanctitatis praestituente et media suggerente, ut possit vere dici *sanctitas Ecclesiae.*

386. Non solum generatim perfecta sanctitas in Ecclesia esse debet, sed praeterea quaedam eximia sanctitas, sive eximia cultura virtututum, quae propria Ecclesiae sit jugiterque in ea perseveret, licet minore cum amplitudine. Liquet id ex eo, quod Christus voluerit in Ecclesia sua culturam quoque consiliorum, de quibus variis in locis sermo occurrit (Matth. XIX. 12; 1. Cor. VII. 25. 38; Matth. X. 9; Act. II. 44. Matth. XIX. 21.).

Christum autem velle, ut observatio consiliorum in Ecclesia semper vigeat, non quidem vi obligationis impositae, sed suavi & efficaci providentia efficiente ut sit, sequitur ex sequentibus. Christus proposuit consilia evangelica, ut complementum essent sanctitatis corporis ejus. Atqui sanctitas actualis in Ecclesia, eaque secundum evangelii normam esse debet. Ergo et actualis observatio consiliorum in Ecclesia esse debet. Et re quidem vera necesse est, ut Ecclesia, quae est corpus Christi, vitam sui capitis perenniter referat. Atqui Christus absolutissimum exemplar fuit omnium consiliorum, eorumque exercitio omnis vita ejus contexta fuit. Ergo actualis observatio consiliorum in Ecclesia perenniter esse debet. Hinc ab initio Ecclesiae exstitit consiliorum observatio semperque perseveravit veluti spontaneus & naturalis effectus institutionis christianae.

387. Superna etiam charismata in Ecclesia semper futura esse probatur:

1) Ex verbis Christi: „*Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent et bene habebunt*" (Marc. XVI. 17. 18.). Et apud S. Joan. (XIV. 12.): *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet.* Quibus in locis promittuntur miracula & signa, eaque nectuntur non cum originibus fidei, sed cum fide ipsa, et idcirco cum ipsa fide erunt semper conserta.

2) Signa dicuntur argumentum esse, quo fidei credibilitas suadetur & quo infideles convertuntur (Marc. XVI. 20.). Ergo tamdiu permanebunt in Ecclesia, quamdiu infideles corvertendi aderunt. Atqui infideles convertendi usque ad finem mundi existent (Rom. XI. 26; coll. Oseae III. 4. 5.).

3) Oportet, ut Ecclesia jugiter respondeat primordiis suis; est enim corpus sibi aequale non secus ac corpus physicum; fuit autem ab initio Ecclesia signis illustris. Ergo habita ratione finis hujusmodi charismatum opus est, ut Ecclesia etiam praesens habeat donum signorum, licet non requiratur, ut quovis tempore eodem modo signa in Ecclesia locum habeant, praesertim quum illa, quae praecesserunt et historice nota sunt, valere etiam possint pro aetate subsequenti. Quum scilicet signa rationem habeant medii in ordine ad gentium conversionem et ad testficandam divinitatem Ecclesiae; sequitur, ea aetate debuisse esse frequentiora, qua plura exigebantur ad utrumque finem expressum. At nunc vera fides manifestior facta est per triumphum fere ubique de idololatria relatum; per Ecclesiae Christi mirabilem propagationem et conservationem, insuper, sicut dictum est, per tot prodigia, quae in sinu ipsius jam pridem sunt gesta. Mirum igitur esse non debet, si prodigia haec sint nostris temporibus prae aevo apostolorum infrequentiora. (Palmieri de Eccl. §. 24. — Cercia de Eccl. Chr. sect. III. lect. XI. — Schouppe de Eccl. c. I. art. III.).

III.

De nota catholicitatis.

Catholicitas est simul proprietas et nota verae Christi Ecclesiae.

388. Ad quaestionis statum definiendum ita thesis plenius enuntiari potest. Proprietas est simulque nota verae Ecclesiae, ut ea sit catholica, seu per universum orbem diffusa, adeo ut una communione contineatur, quae lata per orbem extensione et conspicua membrorum multitudine, tum absolute ampla sit, tum vero relative longe sit amplior coetu quovis christiano, qui sibi Ecclesiae nomen immerito usurpat.

389. Praemittere juvat quaestionem verbalem de vi vocis *catholicae.* Adpositum *catholica* ex usu ecclesiastico neque eo proprie et per se spectat, ut Ecclesia a synagoga secernatur; neque eo, ut

plenitudo veritatis ac sacramentorum in Ecclesia significetur; sed directe ac primario spectat, ut significetur 1) universalis per orbem diffusio; 2) universalis per orbem diffusio unius ejusdemque communionis, scil. ut significetur universalitas unius communionis, unius regni Christi, unius Ecclesiae, eaque non modo successiva, sed etiam simultanea, eaque perpetua. Ex hac tamen proprietate et nota consequitur, Ecclesiam (quae est, ut loquitur Origenes, quodammodo omnium gentium gens) a synagoga distingui, quae per se *nationalis erat institutio;* tum etiam consequitur, hanc universalem communionem, eo ipso quod est unica vera Ecclesia, plenitudinem habere veritatis; unde etiam significatione derivata *doctrina catholica* idem sonat ac *vera doctrina* seu *orthodoxa.*

390. Adversatur haec catholicitas omni particularitati: sive loci, qua olim synagoga, sive ditionis politicae, qua omnes sectae acatholicae constrictae sunt.

391. Quoniam catholicitas, quatenus proprietas est, immediate se prodit ad extra et notam efficit, eandem proprietatem et notam esse simul probabimus.

392. Catholicitas jam in ipso conceptu verae Ecclesiae includitur. Quum una tantum sit vera religio, una veritas, & unus Deus, unum etiam tantum a Deo volitum et institutum regnum filiorum Dei in genere humano concipi potest, ad quod omnia membra totius generis humani natura ipsa et destinatione sua ex aequo vocati sunt, quodque omni tempore ad omnes generationes extendi debet. Aliis verbis una vera Ecclesia est universalis sive catholica tum quoad tempus, tum quoad locum.

393. Haec una vera a Deo instituta Ecclesia, quae ob peccatum in sua explicatione impedita est, a redemptore post peccatum promisso iterum reparanda erat. Hic est ideo *expectatio gentium* (Gen. XLIX.); nam in eo erant benedicendae *omnes gentes* (Gen. XII. coll. Gal. III.).

Hinc ille debebat instituere regnum, quod erat complexurum omnes gentes & duraturum in aeternum. Praedictum est enim de illo: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* (Ps. 71. 8.); item: *Regnum ejus, regnum omnium saeculorum.* (Ps. 144. 13.); et: *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* (Ps. II. 8.)

Itaque a Messia renovandum et instituendum regnum Dei per decursum omnium saeculorum praedicitur in divina revelatione tamquam universale, omnes nationes et generationes complectens.

394. In plenitudine temporis apparuit in terra hic a Deo promissus redemptor, sustulit ut agnus Dei peccata mundi et seipsum obtulit tamquam sacrificium, ut *omnes,* qui in eum credunt, salvi fierent. Redemptio ergo refertur ad *totum,* ab Adamo originem trahens, peccati Adami particeps, genus humanum et omnes ipsius generationes. Christus est salvator *omnium hominum,* non tantum salvator unius nationis, unius temporis. Ut autem omnes omnium temporum nationes redemptionis fructuum participes fierent, instituit Christus suam Ecclesiam, cujus duratio perpetua in tuto collocata est per assistentiam Christi et Spiritus sancti. Salvator enim noster Deus *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus: qui dedit redemptionem seipsum pro omnibus.* (1. Tim. II. 3. seq.)

Vera Christi Ecclesia ergo secundum *finem* suum, secundum *fundatoris sui voluntatem,* secundum ipsam *redemptionis naturam,* et *Dei promissiones* est *universalis* sive *catholica;* est autem universalis, prout per se intelligitur, solum in tantum, in quantum est *ubique* et *semper* una et eadem, quae est a Christo fundata.

395. Hinc apostoli accipiunt mandatum doctrinam salutis, quam Christus attulit, non ad solos Judaeos restringendi, sed ad omnes gentes extendendi, quo manifeste asseritur, Christum Ecclesiam suam universalem seu vere catholicam esse voluisse. Ideo Christus apostolis suis dixit: *Euntes docete omnes gentes.* (Math. XXVIII. 19). Item: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* (Marc. XVI. 15.). Et: *Eritis mihi testes in Jerusalem et omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* (Act. I. 8. — Conf. Luc. XXIV. 47.). Apostoli autem hoc Christi mandatum strenue executi sunt; nam *illi profecti praedicaverunt ubique* (Marc. XVI. 20.). Ideo Paulus dicit: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum;* et ad Colossenses scribit: Evangelium *pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicut in vobis* (I. 6.) *quod praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est* (I. 23.). Per hanc autem evangelii praedicationem Ecclesia Christi talem statim amplitudinem nacta est, ut S. Joannes in laudem Christi dicat: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione et fecisti nos Deo nostro regnum* (Apoc. V. 9.). Igitur vera Ecclesia juxta ordinationem Christi ab apostolis per totum terrarum orbem propagata est, et ideo haec universalis seu catholica et non alia ceu vera Christi Ecclesia haberi potest.

396. Hinc Ecclesia vera Christi semper dicta est catholica, ut a qualibet alia falsa secernatur. Jam in symbolis Athanasiano, Constantinopolitano ac praecipue apostolico jubemur credere: *sanctam Ecclesiam catholicam.* Ex quo evincitur, jam ab apostolorum tempore veram Christi Ecclesiam dictam fuisse catholicam, ut hoc nomine ab adulterinis haereticorum coetibus distingueretur, qui jam tunc errores suos pluribus in locis spargebant, veramque Christi fidem et apostolorum traditionem subvertere conabantur. Quo exemplo ducti Patres omnes, graeci & latini, veram Ecclesiam semper catholicam compellarunt. Hinc Cyrillus Hier. (catech. 18.) inquit: „Catholica vocatur Ecclesia, et quia per universum orbem terrarum est diffusa, et quia docet catholice: i. e. universaliter, et absque defectu." Origenes autem (in Rom. l. 8. n. 1.) dicit: „Christiani non est una gens, sed ex omnibus gentibus unus est populus . . . si ita dici potest, omnium gentium gens." Notum est illud etiam Paciani, qui (ep. 1. ad Sempron. n. 4.) dicit: „*Christianus* mihi nomen, *catholicus* vero cognomen."

397. Ipsi haeretici, ut spurias ecclesias suas vindicarent, ecclesiae catholicae nomen illis attribuere studuerunt. Hinc S. Augustinus asserit, hoc nomine christianos ostendisse, se legitimos esse, et rectam fidem tenere. Ait enim (libr. contra epist. fundamenti c. IV.): „Tenet postremo (me in Ecclesia) ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses ista Ecclesia sola obtinuit, ut quum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam vel domum suam audeat ostendere."

Quare idem (in Cantic. serm. 66. n. 8) donatistas, qui dicebant, se veram Christi ecclesiam constituere, licet in una tantum Africae parte essent, ita alloquitur: „Hunc lapidem de monte abscissum sine manibus, et montem factum, et implentem mundum vestris creditis inclusum antris? . . . Habet & semper habebit integram Christus haereditatem suam, et possessionem suam terminos terrae. Se potius subtrahunt huic magnae haereditati, qui Christo illam conantur detrahere."

Hanc doctrinam idem S. Augustinus sermone IV. de symbolo ad cathechumenos cap. XIII. pulcherrime explanat dicens de sponsa Christi Ecclesia: „Totum possidet, quod a viro suo accepit in dotem. Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite haeretici, quid scriptum sit: Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis, et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet quod a viro suo accepit in dotem. Quaecunque congregatio cujuslibet haeresis in angulis sedet: concubina est, non matrona."

398. Ecclesiam Christi debere esse universalem sive catholicam ipsa quoque ratio postulat. Nam Ecclesia, quae a Deo fundatur, ut in ea et per eam homines omnibus temporibus ac locis salutem suam operari queant, necessario pro infinita Dei sapientia ita comparata esse debet, ut quivis eam ingredi et in ea salvus fieri possit.

Christi Ecclesia debet quidem esse catholica, id tamen non ita intelligendum est, ac si omnes homines totius orbis terrarum ad illam spectare, et ipsius membra constituere debeant. Christus enim ipse praedixit, futurum esse, ut praedicatio apostolorum non ab omnibus recipiatur (Math. X. 14 et seq.) Paulus dicit: non omnes obediunt Evangelio (Rom. 10. 16—21) et „oportet et haereses esse" (1. Cor. 11, 19.) Catholicitas quoad locum sic accipienda est, quod vera Christi Ecclesia ita per universum orbem terrarum diffusa sit, ut ubique ejus nomen cognoscatur, ubique ejus membra inveniantur, et ejus extensio cujuslibet alterius ecclesiae ambitum superet (Dr. Ehrlich Fund. Th. p. 349. — Sard. th. dogm. de Eccl. n. 64. seq. — Alb. a Buls. th. fund. §. 265 seq.).

IV.

De nota apostolicitatis.

Verae Christi Ecclesiae competit tamquam proprietas et nota apostolicitas.

399. Verae Christi Ecclesiae competit tamquam proprietas et nota apostolicitas, ut scilicet successione numquam interrupta episcoporum in catholica unitate permanentium conjungatur cum apostolis, quorum missioni succedit. Hinc ad proprietatem et notam apostolicitatis requiritur: a) *ordinis potestas,* qua non interrupta serie episcoporum, quorum subsequens a praecedente rite ordinatus fuerit, ad apostolos perducta propagatur et propagata esse cognoscitur; b) *jurisdictionis sive regiminis potestas,* quae et *missio* vocatur, quaeque a communione cum legitimo Petri successore dependet. Ratione potestatis ordinis conjungitur Ecclesia Christi per legitimam episcoporum ordinationem cum apostolis, adeo ut persona apostolorum in ipsorum successoribus moraliter perseveret; ratione vero potestatis jurisdictionis succedit Ecclesia missioni apostolorum i. e. missio & auctoritas divina ab apostolis spirituali quadam generatione perpetuo propagatur. Conjunctio Ecclesiae cum apostolis per legitimam episcoporum ordinationem vocatur etiam *successio materialis;* missio autem ipsa & auctoritas divina ab apostolis tradita Ecclesiae et ab

Ecclesia per successionem materialem conservata et propagata vocatur *successio formalis.*

Apostolicitas per se postulat etiam, ut Ecclesia sit apostolica tum ratione *originis*, quatenus est ab apostolis profecta, tum ratione *doctrinae*, quatenus profitetur fidem ab apostolis traditam. At quum haec duo necessario includantur in successione apostolica, non est necesse, ut de iis singillatim agamus. Et sane si adsit successio apostolica, adest tum origo apostolica, quum series pastorum succedentium ab apostolis incoeperit, tum doctrina apostolica, quum successio apostolica, in uno morali corpore, in consensione & unitate catholica jugiter perseverans, sit organon divinitus institutum ad conservandam jugiter explicandamque apostolicam doctrinam.

400. Successio materialis est *mera series successiva pastorum seu episcoporum non interrupta usque ad apostolos vel usque ad aliquem ex apostolis, ex quibus incoeperit.* Hanc imprimis successionem apostolicam debere esse in vera Christi Ecclesia, demonstrandum est. Et re quidem vera apostoli mandatum acceperunt a Christo constituendi sibi successores, qui usque ad consummationem saeculi sese porrigerent; nam promissionem acceperunt a Christo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Math. XXVIII. 30.). Ergo vera Christi Ecclesia hanc successionem necessario habere debet. Si enim promisit Christus suam peculiarem assistentiam donandam pastoribus Ecclesiae usque ad mundi exitum; profecto eousque pastores exstabunt, quibus Christus assistat. Si autem exstabunt tales pastores usque ad mundi finem, usque ad eamdem aetatem nunquam deficiet series eorum, qui in munere pastorali apostolis, quibuscum Christus tunc disserebat, succedant. Si autem talis series semper exstabit, nonnisi in vera Ecclesia semper series illa florebit, nisi velimus dicere, veros pastores exstituros extra veram Ecclesiam, et Christum largiturum suam opem pastoribus constitutis extra Ecclesiam, qui proinde potius lupis sint comparandi.

Eadem veritas potest ex unitate Ecclesiae deduci. Principium scilicet unitatis Ecclesiae est ministerium sive auctoritas; ergo una auctoritas, unum ministerium semper esse debet in Ecclesia. Oportet ergo, ut ea auctoritate regatur Ecclesia, quam Christus apostolis primitus commisit; id autem fieri nequit, nisi regatur semper per successores apostolorum; si enim ab aliis regitur, regitur ab ea auctoritate, quam Christus non instituit: multiplex proinde esset auctoritas, et Ecclesia una esse desineret, sed multiplex evaderet multiplicato principio unitatis. Exinde etiam deducitur, seriem successorum nunquam posse interrumpi. Si enim aliquando desinit, cessat ministerium illud, quo Ecclesia regenda est, cessat principium ejus unitatis: ideoque cessat ipsa Ecclesia. Si autem cesset aliquando Ecclesia, non potest amplius instaurari; principium enim ejus efficiens est ministerium apostolicum docendi, regendi, sanctificandi; ministri autem a se ipsis nasci non possunt, quia ministerium, ut sit apostolicum, per traducem successionis derivandum est.

401. Successio formalis est *successio materialis, quatenus praeterea potitur auctoritate ab apostolis derivata in singulos successores,* quorum proinde singuli auctoritatem, ab apostolis derivatam, accipiunt ab iis vel ab eo, qui eamdem auctoritatem obtinent et communicare aliis possunt. Et hanc successionem debere esse in vera Christi Ecclesia manifestum est. Successio enim formalis est vera successio, successio autem materialis sola nonnisi specie tenus. Sane Ecclesia regenda est, ut diximus, semper ea auctoritate eaque sola, quam Christus instituit; (auctoritas enim in Ecclesia est supernaturalis, quae a solo Deo proficisci potest, atque ut hac auctoritate perpetuo regatur Ecclesia, exsistit series successorum;) oportet ergo, ut auctoritatem illam eamdem successores mutuentur, quam apostoli obtinuerunt. Ut autem qui succedit auctoritatem obtineat, oportet, ut eam accipiat ab iis vel ab eo, qui derivatam in se ab apostolis actu obtinet, eamque communicare potest. Nam nec ille a seipso eam acquirere potest, quia tunc non succederet; nec potest eam mutuari ab illo, in quem ab apostolis non sit derivata, quia tunc non acciperet auctoritatem apostolicam; nec satis est, quod eam dicatur accipere ab eo, qui illam aliquando habuit, quia ipsa amitti potest, nec satis est, quod dicatur eam accipere ab eo, qui eam habet, sed communicare nequit, quia tunc reapse acciperet nihil. Ergo necessaria est successio, quae potitur auctoritate ab apostolis derivata in singulos successores, quorum proinde singuli auctoritatem, ab apostolis derivatam, accipiunt ab iis vel ab eo, qui eamdem auctoritatem obtinent & communicare aliis possunt. In hoc autem consistit successio formalis. Ergo successio formalis debet adesse in vera Christi Ecclesia. Nimirum ut quis in Ecclesia auctoritatem habeat, requiritur *missio,* ut patet ex multis locis sacrae scripturae: *Sicut me misit Pater, et ego mitto vos* (Jo. XX. 21.). — *Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?* (Rom. X. 15.) — *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (2. Tim. II. 2.). Atqui mittere nequit nisi is, qui auctoritatem apostolicam actu obtinet eamque communicare potest; ergo

ab eo accipienda est auctoritas; ergo successor formaliter succedere debet. — Qui igitur sic succedunt, ii solum possunt vere dici successores apostolorum, quia hi soli obtinent auctoritatem eam, quam a Christo acceperunt.

402. Hinc factum est, ut jam antiquissimi Patres per hanc apostolicitatis notam tum veram Ecclesiam probarent, tum falsas haereticorum ecclesias confutarent. Sic S. Irenaeus contra Valentinianos (libr. III. adv. haer. c. 3) dicit: „Nos (catholici) habemus enumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos"; id deinde in specie ostendit in Ecclesia romana ac demum concludit, per hanc successionem haereticos omnes confundi. Praeclara sunt verba Tertulliani (l. de praesc. c. 32.), quibus ex successione apostolica probat contra suorum temporum haereticos, Ecclesiam catholicam veram esse Christi Ecclesiam. „Ceterum, — inquit, — si quae (haereses) audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab apostolis traditae, quia sub apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt."

Ideo Patres cathalogos successionum accuratissime servabant, ut veram Ecclesiam veramque traditionem tuerentur; praesertim provocant ad successionem romanam, cujus singillatim episcopos usque ad suum tempus recensent, quum romani pontificis successio cardo sit ac veluti fulcrum aliarum particularium successionum. Atque haec causa est, cur cathalogos magis texuerunt romanomum episcoporum, quam quorumcunque. Sic Irenaeus, episcopus Lugdunensis in Gallia; Optatus et Augustinus, episcopi in Africa, Epiphanius Salaminae in Cypro; Eusebius Caesareae in Palestina, non suarum Ecclesiarum sed tantum romanae Ecclesiae successionem recensere voluerunt. Satis enim illis videbatur ostendere continuam successionem episcoporum universalium in Ecclesia principali, cujus ipsi se membra esse gaudebant.

403. Successio vero, quam necessariam Patres praedicabant, non est tantum materialis sed formalis. Inde enim arguebat Cyprianus epist. 76: „Ecclesia una est, quae una et intus esse et foris non potest. Si autem apud Novatianum, apud Cornelium non fuit.

Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, Novatianus in Ecclesia non est; nec episcopus computari potest, qui evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est. Habere namque et tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est." Eodem modo et Nazianzenus (orat. in laud. Athanasii n. 8.) distinguit inter successionem nomine tenus et veram realemque successionem. Et sane inter schismaticos et ab Ecclesia alienos episcopi quoque computati sunt, quamvis sacramento ordinis initiati et suffecti in locum eorum, qui decesserant: quia nempe non legitime vocati, non missi a legitima auctoritate, quia, ut ait Cyprianus (de unit. eccl.): „nemine episcopatum dante episcopi sibi nomen assumunt." Et profecto potestas pascendi oves Christi est supernaturalis. Ergo quum ordinarie nemo illam accipiat immediate a Deo, accipi debet ab episcopis, apostolorum successoribus, absque ulla interruptione. Si enim successio ista cessaret, potestas haec a nullo eam habente posset communicari (Palmieri de Eccl. p. 800. seq.).

404. Ex omnibus hucusque dictis consequitur, aliquam christianam societatem habere infallibiliter germanam transfusionem doctrinae apostolicae, hoc solum posito, si habeat et ostendere possit personalem legitimam ac nunquam interruptam ex apostolis successionem. Nam successio personalis ex apostolis est organum legitimum a Christo institutum ad peragendam illam transmissionem, quum Christus voluerit suam doctrinam propagari et conservari per praedicationem illorum, qui apostolis succederent, i. e. cum voluerit transmissionem suae doctrinae fieri per personalem ex apostolis successionem, hinc et doctrina apostolorum cum eadem sit ac doctrina Christi, debet per talem successionem perpetuari. Ergo si quae societas habet vere personalem successionem, habet et doctrinae transfusionem; organum enim a Christo institutum ad servandam transfusionem doctrinae non potest suo effectu destitui; secus Christus imprudens fuisset, aut impotens; ergo si organum transfusionis est successio, posita successione debet colligi etiam transfusio.

Hinc inferes evidenter, quod ad decernendum, num aliqua Ecclesia habeat vel non habeat apostolicitatem fidei, satis sit hoc unum intueri, num habeat legitimam successionem. Et hoc sufficit, etiam nullo instituto examine doctrinae; quippe est nexus necessarius inter doctrinae apostolicae praesentiam atque praesentiam successionis. Atque haec ratio exstat, cur veteres Patres, ut haeresim quamcunque

tamquam doctrinam ab apostolica dissidentem refellerent, perpetuo ad successionem episcoporum appellaverunt, et hanc ipsam successionem quasi jure suo cum praesumptione doctrinae apostolicae copulaverint. (Palmieri ibid. — Cercia de Eccl. sect. III. l. VII.)

Articulus III.

Applicatio theoriae traditae.

I.

De nota unitatis.

Factum est manifestum, unitatis notam, Ecclesiae verae propriam, in communione romana tantum inveniri.

405. Hactenus parti hujus tractatus theoreticae adlaboravimus in abstracto de Ecclesiae institutione, natura, proprietatibus ejus ac notis disputantes. Nunc vero partem practicam aggredimur. Eorum ope, quae disseruimus, duo illa assequi debemus, ad quae totus tractatus collineat, ut nempe sectae omnes a censu verae Ecclesiae Christi excludantur, et ut, quae sit vera Christi Ecclesia, constituatur.

406. Ut vera Ecclesia inveniatur, varias, quae se Christi esse dicunt, ecclesias considerare iisque notas assignatas applicare oportet. Illa enim sola pro vera Christi Ecclesia habenda est, in qua omnes notae assignatae conspiciuntur conjunctae. Porro inter ecclesias christianas praecipuae sunt:

a) *Ecclesia romano-catholica,* per quam non intelligitur sola ecclesia in civitate ac regione romana inclusa, sed intelliguntur omnes omnium locorum fideles per unam fidem et subjectionem romano Pontifici uniti.

b) *Ecclesia protestantium,* sub quo nomine praecipue venit: ecclesia lutherana seu evangelica, calviniana seu reformata et ecclesia anglicana etc.

c) *Ecclesia graeca schismatica,* cui adhaerebat ecclesia russica.

Jam si istis ecclesiis, quae se verae Christi Ecclesiae nomine gloriari solent, praedictae quatuor notae applicentur, evidenter apparebit, solam romano-catholicam Ecclesiam veram Christi Ecclesiam esse, quia ipsi soli omnes verae Ecclesiae notae competunt. Applicemus igitur imprimis notam unitatis ecclesiis christianis.

407. *Factum est manifestum, unitatis notam, Ecclesiae verae propriam, in Ecclesia romana tantum inveniri.*

Ecclesia romana ex ipsa sui essentiali constitutione est una. Certum est enim, constitutionem Ecclesiae romanae eam esse, ut habeat pro primo suique praecipuo fundamento principium auctoritatis infallibilis in docendo et supremae potestatis in regendo. Hinc omnes tenentur se subjicere tum corde, tum mente solemnibus ejus definitionibus, nisi velint ab Ecclesia extorres fieri; tenentur itaque cum capite ejus visibili romano Pontifice et secum invicem communicare ac propriis pastoribus sub romano Pontifice obtemperare, ut tamquam ethnici et publicani habeantur, quicunque sub quovis praetextu superioribus suis respectivis, romano praesertim Pontifici ejusmodi subjectionem detrectent. Ecclesia ergo romana ex ipsa sui essentiali constitutione est una.

408. Neque Ecclesia romana unquam a legibus hujus essentialis constitutionis deflexit; semper enim in illa ubique viguit et adhuc viget unitas: 1) *fidei*, 2) *cultus,* 3) *regiminis.*

409. *Dem.* 1) Viguisse et adhuc modo vigere *unitatem fidei* in Ecclesia romana, *factum est manifestum.* Ecclesia enim romana discordiam in fide inter suos filios nunquam toleravit, neque ullos errores, si qui in aliqua Ecclesia particulari exorti sint, ex negligentia et oscitantia succrescere et in vulgus spargi passa est, ita ut nemo in toto ejus ambitu reperiri possit, qui in fidei articulis non plene cum caeteris omnibus consentiat. Si vulgus ipsum et rudiores homines consulis, omnes esse unius cordis, labii unius hic in nostra regione et ubivis terrarum reperies. Quod si eorum aliqui aut ignorare nonnullos fidei articulos, aut falsam de ipsis opinionem habere deprehenduntur, iidem tamen se universim iis assentiri profitentur, quae doceat sancta mater Ecclesia. Unde ipsi ignorantia laborant aut errore materiali dumtaxat, non autem formali.

Rem ita esse, probant symbola ecclesiastica ubique recepta: Apostolicum, Nicaeno-Constantinopolitanum, Athanasianum et professio fidei Tridentina. Item deprehendes, in fidelium professione fidei, in Ecclesiae praedicatione, in Pontificum constitutionibus, in conciliorum licet dissitissimis aetatibus et locis habitorum canonibus, in cathechismis auctoritate Ecclesiae editis, nihil plane reperiri, quod aut mutuo, aut cum fide praesentis aetatis ullatenus pugnet. Et licet haeretici diligentissime rem fuerint rimati, nunquam tamen potuerunt ostendere, catholicos in credendis fidei dogmatibus ab Ecclesia clare decisis inter se discrepare, aut Ecclesiam tamquam fidei

dogma aliquid definivisse, quod antea ut erroneum et fidei contrarium rejecerat. Hoc vero citra miraculum haberi nullo modo potuit, praesertim quum innumera adjuncta propellerent ad contrahendam consulto aut temere aliquam alicubi in fide repugnantiam aut varietatem. Nec obstat, quod etiam catholici doctores in pluribus inter se dissentiant; ea enim, in quibus dissentiunt, non sunt dogmata fidei, sed opiniones liberae, de quibus certa revelatio et Ecclesiae definitio non habetur.

410. *Dem.* 2) Vigere in Ecclesia romana etiam *unitatem cultus*, quoad partes essentiales, manifestum est. Quocunque enim in romana Ecclesia oculos circumvolvis, omnia tibi praedicant cultus unitatem. Ubivis enim tot numero ministrari sacramenta reperies; ubivis piaculare missae sacrificium celebrari; ubivis cultum ss. imaginum et reliquiarum vigere, ubivis praeces et suffragia pro defunctis offerri, ubivis festa celebrari, et alia sexcenta, ita ut ex sola inspectione talium praxium possit decerni, ad quam ecclesiam singulae communitates pertineant, nec non veluti integrari tota fidei professio, quae propria sit omnium & singularum partium romanae Ecclesiae. Rem ita fuisse & esse, patet ex libris liturgicis ecclesiarum tum orientalium tum occidentalium, tum veterum tum recentium.

411. *Dem.* 3) Ecclesia catholica, quod ad *principium unitatis* spectat, non solum hierarchiam divinitus institutam, sed et eamdem capiti suo romano Pontifici unitam exhibet, & unitas, qua membra Ecclesiae cum hujusmodi hierarchia & potissimum cum capite conjunguntur, adeo arcta est, ut membrum quidem ab Ecclesiae corpore, non autem corpus ipsum dissolvi possit. Ex hoc unitatis principio non solum externa quaedam membrorum conjunctio in unam societatem, sed & conjunctio maxime interna, quam fidei unitas efficit, generatur: nam principio huic, quod non modo auctoritatis, sed & infallibilitatis dotem merito sibi vindicat, nihil omnino deest, quod ad hujusmodi internam unitatem efficiendam requiratur. Manifestatur autem haec unitas tum externis actibus communionis, qua fideles cum suis quique episcopis, hi autem cum rom. Pontifice in unum sociale corpus conjunguntur, tum externa ejusdem professione, qua unum idemque credentium corpus existunt. Omnes ergo fideles cohaerent cum suis pastoribus, atque pastores cum suis iterum episcopis conjunguntur, hi vero, licet per universum orbem dispersi, unum efficiunt collegium & quasi permanens concilium in supremo capite coadunatum, quod omnibus praeest, omnibus invigilat & prospicit.

Hinc nunquam in Ecclesia romana tolerati sunt & pro ipsius membris habiti, qui sive propriis pastoribus sive romano Pontifici debitam obedientiam denegarunt. Ideo nullum est Ecclesiae romanae membrum, quod paratum sit habere pro suo socio religionis & fidei illum, qui romanae Ecclesiae non sit alumnus; item nemo ex ipsis est, qui membra Ecclesiae romanae non agnoscat ut sibi socia, & uti talia diligat sentiatque, sibi cum ipsis esse communicationem omnium bonorum Ecclesiae.

412. *Factum est manifestum, communiones omnes, a romana sejunctas, unitatis nota carere* tum ob divisionem ab Ecclesia factam, tum ob subdivisiones, quarum in se continent principium. Manifestum est enim ex historia, alias omnes christianas communiones immediate vel mediate a communione romano-catholica discessisse, ac proinde esse partes abscissas & mortuas; origo ergo earum evidenter est schisma seu divisio *ab unitate.* Hoc sane originarium vitium schismatis ab Ecclesia, quae est *unum regnum jure divino,* vulnus est insanabile, quantumcunque deinde sectae numero augeantur post consummatum factum ac longo tempore perdurent.

Item facto constat, singulas communiones a romana sejunctas *innovasse* contra id, quod *prius* ipsae etiam credebant, seu innovasse contra doctrinam eo tempore communi consensu in Ecclesia creditam; nam solemne est omnibus sectis acatholicis reprobrare & impugnare, quidquid pro catholica veritate tuebantur veteres, & defendere quidquid olim habebatur pro haeresi manifesta.

Facto etiam constat, sectas, ab unitate divisas, per continuas innovationes & variationes subdivisionibus esse obnoxias, quum semel abjecto unitatis principio, visibili sc. & infallibili auctoritate, in se ferant principium divisionis.

Omnes itaque sectae unitatem fidei & communionis cum Ecclesia catholica abruperunt.

413. Quod *in genere* de omnibus sectis acatholicis dictum est, applicari potest *singulis.* Imprimis nulla protestantium societas constans in sua doctrina fuit; neque uno eodemque tempore eamdem fidem tenuit, idque tum ex operibus Lutheri, Melanchtonis aliorumque Novatorum, tum ex fidei symbolis aliisque documentis publicis tam apertum est, ut ipsi protestantes illud inficiari non possint. Ideo ad articulos suos fundamentales confugiunt, quos tamen nunquam determinare potuerunt.

Nulla est deinde apud protestantes membrorum conjunctio in unum corpus, in unam societatem. Omnes in partes secti sunt prope infinitas & quamvis plures ecclesiae nomen aliquod commune sibi imponant, nulla tamen mutua necessitudine & dependentia uniuntur, neque unum corpus efficiunt per unam eamdemque membrorum connexionem, quia regimen commune & caput visibile non habent. Constat enim (ex Friderico Staphylo, de concordia discipulorum Luth.) lutheranos, vixdum natos, dividi coepisse in anabaptistas, confessionistas & sacramentarios; et rursum singulas hasce sectas in alias atque alias usque ad 34. Aetate Bellarmini, eodem teste fere 100 diversissimae sectae ab uno Luthero prognatae numerabantur.

Protestantes denique nullum habent unitatis principium; videmus enim protestantes nullum agnoscere principem saecularem, multoque minus ex ministrorum turba supremum aliquem sacrorum praesidem, qui lutheranis omnibus, aut calvinianis jus sacrum dicat; sed quemlibet principem saecularem in sua ditione, independenter ab alio, res ecclesiae suae ordinare, et ministerium unius urbis aut provinciae authoritatem suam ad alias urbes vel provincias non extendere.

Neque protestantibus quid prodest principium unitatis, desumptum ex libris symbolicis sive confessionibus, ex consistoriis, comitiis generalibus aliisque hujusmodi; si enim *a*) fidei negotium ex fundamentali protestantismi principio nulla alia re quam privato examine est transigendum, & ideo rejicenda fuit Ecclesiae auctoritas: quo jure talium auctoritatum arbitrariarum pondere premuntur intellectus? Si *b*) spernenda est Ecclesiae auctoritas; quanti facienda sunt ejusmodi humana conventicula, praesertim quum eadem mutuo oppositis definitionibus & a seipsis passim & ab aliis dissideant?

Hinc consensionem habere non possunt in doctrina, quum certam non habeant fidei suae regulam. Abjecta enim Ecclesiae auctoritate, spiritu suo privato circumferuntur in varias & oppositas sententias. Sicut enim infallibilis Ecclesiae auctoritas columna est & firmamentum veritatis; sic spiritus privatus necessario varietatem generat opinionum & interminabiles controversias.

414. Evidens quoque est, ecclesiae graecae schismaticae deesse unitatem. Nam ecclesia russica, quae prius pars ejus erat, sub fine saeculi XVII. desiit ei adhaerere, quum patriarcha Russorum Nicon se subduxit ab auctoritate episcopi constantinopolitani. Paulo post autem Petrus, cognomento magnus, auctoritate patriarchali exstincta, detulit supremam potestatem synodo, cujus ipse monarcha caput esset & praeses. Ergo in ecclesia russica deest principium unitatis: hoc enim non laica potestas, sed auctoritas episcopalis esse debet, eorum nempe, quibus Christus munus commisit regendae Ecclesiae; ubinam Christus Ecclesiae suae praefecit talem synodum, cujus omnia membra instituerentur ab imperatore, in qua episcopi nihil decernerent, nisi ex praescripto imperatoris, & cui denique ipse tamquam caput & centrum praeesset imperator?

Praeterea vel ante separationem ab ecclesia constantinopolitana fruebatur ecclesia russica principio unitatis vel non fruebatur. Si non fruebatur, neque modo frui potest; non enim tunc erat Ecclesia Christi; et si tunc non erat, neque modo est, quum a se ipsa incipere non potuerit. Si vero fruebatur, hujusmodi principium erat auctoritas episcopi constantinopolitani, cui suberat; huic ergo subesse semper deberet; quum igitur modo non subsit, caret principio unitatis.

415. Ipsa ecclesia graeca schismatica, quae per Michaelem Caerularium se seperavit a communione romana, subdita erat prius episcopo romano eumque ut supremum caput & unitatis principium reverebatur. Jam vero vel ecclesia graeca potiebatur ante separationem principio unitatis vel non. Si potiebatur, ergo principium unitatis secundum ipsam ecclesiam graecam erat romanus Pontifex; principium vero unitatis eadem perseverante ecclesia idem semper manere debet; igitur ecclesia graeca modo caret principio unitatis. Si vero tunc non potiebatur hoc principio, neque tunc erat vera Christi Ecclesia; neque modo est. Constat ergo, ecclesiam graecam schismaticam carere principio unitatis.

416. Haec cum ita se habeant, quaecunque fingi velit integritas fidei in ecclesia sive graeca sive russica, semper ad summum erit unitas fidei materialis tantum non autem formalis, quum formali principio careant a Christo instituto ad unitatem Ecclesiae sive continendam sive exhibendam, & eo principio ex adverso afficiantur, quod suapte vi ad dissolutionem ducat. Caeterum non est, cur de ipsa materiali fidei integritate sive graeca sive russica ecclesia glorietur. Nam graeci tribus saltem haeresibus se coinquinarunt, sc. negatione Spiritus s. etiam a Filio, existentiae purgatorii, primatus jure divino romani pontificis, qui articuli solemniter definiti fuerunt in oecumenicis conciliis Lugdunensi II., et Florentino, ipsis graecis, imo & russicis episcopis subscribentibus. Dixi saltem; constat enim,

multos alios errores tum in ecclesia graeca tum in russica longe lateque diffusos esse. (Palmieri de Ecc. p. 816. — Cercia de Ecc. sect. IV. lect. I. — Lieb. de Ecc. p. I. C. II. art. IV.)

417. Demum tum schismaticis tum protestantibus quaestionem proponimus verbis utentes S. Augustini: „Quaeritur utrum vestra, an nostra sit Ecclesia Dei. Quapropter illud quaerendum est a capite, cur schisma feceritis" (Ep. 154. ad Emerit); non enim nos ab illis, sed illi a nobis recesserunt. Ad hanc quaestionem manuducimur Apostolo praeeunte (1. Cor. XIV. 36.): *An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?* Si a schismaticis et protestantibus non processit verbum Dei, cur ab iis non recipiunt verbum Dei, quibus a principio fuit traditum? cur ad suum beneplacitum interpretantur verbum Dei, quod aliena fidelitate et auctoritate traditum acceperunt? Quo fundamento dividunt Ecclesiam Christi propter intelligentiam verbi Dei, quae ab ipsis non processit? Si ad solos schismaticos vel protestantes non pervenit verbum Dei, cur dividuntur a catholicis, ad quos a principio pervenit? Idem verbum Dei schismatici et protestantes nobiscum receperant et cum tota Europa: et nonnuli inquieti putarunt, ad se *solos* ejus intelligentiam pervenisse, ac magisterium reformandi Ecclesiam sibi vindicarunt: incipientes a divisione Ecclesiae, quo vel maxime contravenitur verbo Dei. Etenim peccatum schismatis est contra Deum Patrem (Joa. XVII. 2), contra dignitatem Filii (X. 16.), contra orationem Christi (XI. 52.), contra praeceptum Christi (XIII. 34), contra passionen Christi (XI. 52), contra Spiritum sanctum (Eph. IV. 4.), contra angelos (Luc. II. 14), contra symbolum (Eph. II. 14), contra baptismum (1. Cor. XII. 13.), contra ss. eucharistiam (1. Cor. X. 17), contra Ecclesiam (Eph. I. 23), contra doctores Ecclesiae (Eph. IV. 11), contra aedificationem fidelium (Hebr. X. 24), contra conversionem infidelium (Joa. XVII. 21), contra ipsos schismaticos (Judae 19.). Potestne fieri peccatum plura afferens damna? (Fratres Walenburch de controv. tract. IX. cap. — IX. Hurter theol. gen. n. 279). Quid ergo vos schismatici et protestantes creditis, quid profitemini, quid docetis, Ecclesiam esse unam, qui non estis in una, de qua fecistis plures?

II.

De nota sanctitatis.

In romana tantum communione nota sanctitatis invenitur, hinc nulla secta ab unitate divisa sancta esse potest.

418. In romana Ecclesia nota sanctitatis invenitur. Eo ipso enim quod romana communio nunquam per haeresim & schisma ab Ecclesia seperata sit, imo vero ea sit communio, a qua caeterae sunt separatae, consequitur, ad romanam comunionem pertinere manifestationes omnes sanctitatis, quae ab apostolis ad nos usque in ecclesiastica historia atque omnigenis monumentis continentur, ad eamque nominatim pertinere sanctos omnes, qui in ecclesiis sive graecis sive anglicanis ante separationem floruerunt.

419. Ecclesiam romanam esse sanctam demonstratur porro ex cultu virtutum etiam eximiarum, qui in ejus corpore refulget. Probatur ex historia ecclesiastica. Sane virtutum cultus:

1) semper resplenduit *in doctrina & disciplina*, qua promovere evangelicos mores, abusus autem impugnare, Ecclesia romana nunquam destitit. Cujus facti testimonia continentur in conciliis, nec non in actis & epistolis catholicis RR. Pontificum per 18 saecula ad omnes generationes Ecclesiae datis, quae in Bullario magno collecta servantur.

2) Semper floruit in *membris* ejus: id testantur carceres, amphitheatra & omnes mundi plagae sanguine martyrum tinctae; testantur solitudines, montes & cavernae, quo tot animae purae, longe a saeculi corruptela convolantes, coelestem vitam duxerunt; testantur sacra utriusque sexus coenobia, quae ubique terrarum, in sylvestribus locis sicut in frequentissimis urbibus, tamquam luminaria in mundo perpetuo effulserunt; testantur christianae beneficentiae hospitia, aliaeque institutiones omnigenis miseriis paratae, quae ubique in horto Ecclesiae catholicae florent et odorem spirant suavissimae charitatis; testantur omnia historiae ecclesiasticae monumenta, praecipue vero martyrologia, et copiosissima Bollandianorum de sanctorum actis volumina, ex quibus constat, quovis tempore homines sanctitate eximia conspicuos eosdemque pene innumeros in Ecclesia catholica floruisse, praesertim si animadvertatur, quam rigorosum sit examen, quod instituitur super virtutibus in gradu eminenti, quibus fulsisse aliquis sanctus perhibetur.

420. Ecclesiam romanam esse sanctam probatur etiam ex miraculorum dono, quod numquam ab Ecclesiae corpore abfuisse, nullo saeculo, verius dixerim, nullo anno non emicuisse, eadem volumina testantur. Neque miracula Ecclesiae incerta sunt aut dubia; sed examine probata saeverissimo, quod quamlibet rationabilem dubitationem de illorum veritate excludit, ut unusquisque cognoscere potest ex celeberrimo Benedicti XIV. opere *De Beatificatione et Canonizatione Sanctorum* praesertim lib. IV.

421. Ad miracula referri possunt mirabilia, quae Ecclesia catholica operatur in ordine morali: ejus, ad propagandam inter barbaros fidem, ad convertendos peccatores efficacia; ejus, in pariendis Christo filiis, perpetua et inexhausta foecunditas. Omnia enim regna, quae Christum hodiedum colunt, ad agnitionem Christi perducta sunt a catholicis. Innumeri pagani in Japonia, Peruvio, Mexico, Paraguaria, Brasilia, Chilensi regno, in vastissimo Sinarum imperio, India etc. missionariorum catholicorum opera ad Christum perducti sunt, et adhuc pagani ad Christi fidem perducuntur in plurimis mundi plagis, sicut liquet ex relationibus de propaganda fide.

422. Cum sacrilega violatione unitatis fidei et communionis consistere non potest sanctitas; nam propter ipsam separationis sacrilegam iniquitatem innocentes esse non possunt. „Tales etsi occisi confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur: inexpiabilis et gravis culpa discordiae nec passione purgatur: esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est: ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quae regnatura est, derelinquit.“ (S. Cypr. de unit. Eccl. tom. 2. p. 254). Unde sectae ab unitate divisae, ut tales, sanctae esse nequeunt, sed synagogae sunt satanae, licet plura habeant supernaturalia omnino atque sancta, biblia v. g., sacramenta et plura media sanctitatis, quae secum ab Ecclesia abstulerunt, more ancillarum, quae a matrona aufugientes plura ab ea furantur. Ceterum ut sistamus in triplici sanctitatis manifestatione, de qua locuti sumus, quae colligitur praesertim ex hagiologia, ex copia charismatum et ex efficacia apostolici ministerii, nihil habent societates separatae, quod cum splendidis sanctitatis manifestationibus in communione romana comparari possit.

423. Protestantismus maxime caret nota sanctitatis, si ejus origo, doctrina, effectus spectentur. In primis in ecclesiae protestanticae fundatoribus ne vestigium quidem christianae virtutis invenitur. Lutherus enim fuit blasphemus in Deum, vitam duxit non tam hominis quam bestiae, fuit superbissimus mortalium, furiosus conviciator. Fuit etiam familiaris diabolo sicut ipse fatetur. Zvinglius luxuriae fuit deditus. Ad impugnandam realem Christi praesentiam in eucharistia authorem habuit genium, quem ipse Zvinglius fatetur nescire se, ater an albus fuerit. Calvinus fuit blasphemus in Deum et sodomiae reus Novioduni sicut acta publica urbis Noviodunensis testantur. Denique Genevae horrendos inter cruciatus, execrationes, blasphemias, daemonumque invocationem impiam animam evomuit, sicut testatur Joannes Harennius Calvini morti praesens, qui dum haec scriberet, Calviniani praeconis munere fungebatur.

Si igitur in primis ecclesiae protestanticae fundatoribus ac columnis ne vestigium quidem christianae et apostolicae sanctitatis deprehenditur, quid a nostri aevi protestantibus sperandum erit, qui errorem errori addentes ipsi vix sciunt quid credant; sed novam sibi plerumque cudunt religionem pro libito suo, ad quam exteriores suas actiones componunt, de internis parum aut nihil solliciti, coelestium immemores, carni suae blandientes, sacramentorum praesidio destituti, cupiditatibus suis pravisque habitibus velut ferreis vinculis arctissime constricti, quibus vel sola mortis futuraeque vitae cogitatio merito horrorem incutit, qui tamen raro salutem operatur. Quod attinet ad schisma anglicanae ecclesiae ab Henrico VIII. invectum, quis nesciat, totam schismatis causam fuisse amores impudicos Annae Bolenae, in cujus oculis rex novum evangelium legit? De graecis vero quem lateat Photium primum schismatis auctorem classicum rebellionis cecinisse eo quod non potuerit assequi titulum, cui inhiabat, patriarchae oecumenici? Origo ergo ipsa istarum ecclesiarum est iniqua.

424. Doctrina protestantium est Deo injuriosa et amplissimam portam aperit omnibus sceleribus. Ergo non est sancta. Protestantes docent, Deum exigere ab hominibus mandatorum suorum observationem, quin eisdem vires subministret ad ea implenda sufficientes ac necessarias: Deum non punire peccantes, modo credant se esse justos, sibique applicent per fidem justitiam Christi: Deum, quando praecipit opus bonum, praecipere peccatum, quum omnia opera, etiam justorum, juxta ipsos de se sint peccata mortalia: praecipi a Deo multa, quae observari ab hominibus non possint. Docent non dari liberum arbitrium, pia opera coram Deo nihil prodesse etc. Atqui haec omnia, quae in eorum libris symbolicis inveniuntur, sunt Deo perquam injuriosa, quia ex iis sequeretur, Deum insipienter

et tyrannice nobiscum agere, Deum authorem esse peccati illique patrocinari: haec omnia toto coelo distant ab evangelica perfectione, quam Christus et apostoli nobis commendarunt. Ergo.

425. Ex quo liquet, doctrinam heterodoxorum per se pravam esse et nequitiae causam, adeo ut non possint acatholici aliter probi et honesti esse, quam practice recedendo ab illis principiis, quae theoretice ut basim suae religionis profitentur. Hinc negari debet, generatim majorem esse ut ajunt moralitatem in regionibus protestantium quam in catholicis, et si quando ex parte hoc verum esset, id non sufficeret ad notam sanctitatis. Quemadmodum in vera Ecclesia multi sunt peccatores, ita extra Ecclesiam multi sunt optimis moribus et christianis etiam virtutibus praediti; et quemadmodum apparent opera diaboli inter fideles, ita etiam in sectis apparent opera gratiae et Spiritus sancti: nec tamen inde sequitur, sanctitatem non esse notam seu esse communionibus omnibus communem, vel societates separatas esse partes unius Christi Ecclesiae.

426. Quoniam non pauci in sectis detinentur auctoritate quorumdam, qui in iis eminent pietatis fama ac doctrinae, relicta singulorum sanctitate judicio Dei, qui invincibilem ignorantiam, bonam fidem, humilitatem et secreta cordis scrutatur, simul adnecti debet, hujusmodi homines immerito assumi quasi certam notam verae Ecclesiae; nam praeterquam quod fides probanda non est ex personis, quae pro humana fragilitate mutari possunt, sed ex fide probandae sunt personae, catholici non cum doctoribus Ecclesiae fidem deserere, sed cum Ecclesia doctores recipere debent. At revocanda est doctrina S. Vincentii Lir. Comm. c. XI. et seq. ubi ostendit ad tentationem id nostram fieri providentia divina, utrum diligamus Deum an non. (Deut. XIII. 1).; et communis Parum doctrina, qui docent, ubi evidens sit separatio ab Ecclesia, neque virtutes neque martyria ostendere posse illius societatis sanctitatem: „Neque hoc baptisma haeretico prodest; si quamvis Christum confessus, extra Ecclesiam fuerit occisus. Hoc verissimum est: extra Ecclesiam quippe occisus charitatem non habuisse convincitur, de qua Apostolus dixit (1. Cor. XIII. 3.): *Et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*“ (S. Aug. de bapt. contr. Don. l. IV. c. XVII.)

427. Doctrinam quoque ecclesiae schismaticae haeresibus infectam esse, alibi jam animadvertimus; unde jure merito concluditur, nec ecclesiam schismaticam posse esse sanctam, quum se tum schismate per manifestam separationem ab Ecclesia vera Christi, tum manifestis haeresibus maculaverit.

Haec quum ita sint, mirum non est, si dono miraculorum caeterorumque charismatum suffragio omnes sectae careant.

428. Si ecclesiae protestantica vel schismatica graeca sive anglicana essent verae ecclesiae, quomodo post discessionem a romana Ecclesia tam infoecundae factae sunt, ut nec in propria communione ullum omnino proferre possint sanctitate conspicuum, qui pro sancto passim ab hominibus agnosceretur, nec ullam gentem ab impietate ad sanctitatem valeant perducere, quum tamen in Ecclesia catholica etiam post discessionem ecclesiae schismaticae, anglicanae et protestanticae tam multi sancti floruerint, quorum eximiam sanctitatem, prodigiis indubitatis confirmatam, nemo prudens in suspicionem vocare potest. Ecclesia graeca utique inter sanctos suos numerat eos omnes, qui floruerunt in Ecclesia romana ac propterea subjecti erant romano Pontifici; eadem ratione se gerit ecclesia russica, quae colit SS. Cyrillum et Methodium apostolos suos, aliosque ejusmodi, qui adhaeserunt romano Pontifici, quique proinde etiam in Ecclesia romana coluntur. Demum anglicana ecclesia gloriatur de sanctis, qui olim in ecclesiis britannicis floruerunt. Verum quis non videat, nihil habere commune hos sanctos cum praesenti istarum ecclesiarum apostasia, a qua sancti illi maxime abhorruerunt? Alioquin quaelibet haeretica secta posset de suis sanctis gloriari.

Notum est etiam, missiones omnes protestantium prorsus steriles esse, licet ex Anglia, statibus foederatis Americae, Gallia, Germania, Hollandia, Helvetia ac regionibus septentrionalibus ultra 20 societates principales institutae sint ad distribuenda biblia, tractatus religiosos, libros precum et homilias ecclesiae anglicanae. Diu protestantes ne cogitaverunt quidem de gentilibus ad Deum convertendis, sed potius omnibus mediis usi sunt ad missiones catholicas evertendas. Et notum est, in hoc solum haereticos successum obtinuisse, ut quosdam catholicos perverterent.

429. Omnes itaque christianae sectae praerogativa sanctitatis destituuntur. Omnes enim ab aliis potius, quam a Jesu Christo et apostolis originem suam repetunt, qui vocationem suam ad Ecclesiam reformandam, quam praetendebant, nullis signis probare potuerunt, quin potius impuri et haud divini spiritus multa dederunt in actibus suis documenta, atque propterea etiam omnes, quoniam ab Ecclesia recesserunt, tum quoad doctrinam tum quoad regimen a

divina dispositione, et hinc quoque a veritate ac sanctitate plus minus recedunt.

430. In Ecclesia romana adsunt etiam homines mali, quorum mores et ipsa condemnat, et quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet. Qui vellet demonstrare, Ecclesiam romanam non esse sanctam, deberet demonstrare, eam, quatenus secundum suam doctrinam et sua praecepta vivit, non posse esse sanctam. Nos autem demonstramus, protestanticam vel quamlibet aliam sectam non posse esse sanctam etiam ex eo quod, qui juxta praecepta suae sectae viveret, merito peccator et non sanctus appellaretur. Neque illud omittendum est, neminem ex catholicis protestantem seu sectarium fieri, ut melior evadat, sed semper ut liberius vivat, ita ut, quo pejores sunt catholici, magis ad sectas sint propensi; quo autem honestiores sunt sectarii, magis ad catholicismum inclinentur. Concludimus cum S. Augustino (tract. I. in ep. Joa.): „Offendit te nescio quis, sive malus, sive ut tu putas malus, sive ut tu fingis malus, et deseris tot bonos?“ (Schouppe de Eccl. n. 298 et seq. — Sardagna de Eccl. controv. VI.)

III.

De nota catholicitatis.

Sola Ecclesia romana gaudet nota catholicitatis.

431. Ecclesiam romanam esse catholicam seu ad eam spectare catholicitatis notam, duo illa criteria, quibus haec nota juxta dicta distinguitur apertissime conficiunt. Etenim Ecclesia romana imprimis ubique semper diffusa est, ac ubique diffunditur, et ita diffunditur, ut eadem plane sit sive unitate fidei sive unitate communionis tum ratione temporis tum ratione loci. Sane ad diffusionem quod attinet, universas provincias sive orientales sive occidentales Ecclesiam romanam occupasse constat ex disputationibus Patrum adversus haereticos, potissimum vero adversus schismaticos novationos et donatistas. Post detectas indicas regiones illico Ecclesiam romanam ad eas appulisse sat notum est. Nulla est regio, nulla est mundi cogniti plaga, quamvis in eis aut infideles aut haeretici et schismatici dominentur, quae Ecclesiae romanae plura aut pauciora membra non contineat. Imo etsi ubique fere gentium haec Ecclesia persecutionem patiatur, potissime ab haereticis, tamen numerosior omnibus sectis est, etiam simul sumptis, et quotidie crescit et fructificat.

Sane graeci schismatici, quibus accensemus russos, quamvis isti patriarcham constantinopolitanum minime agnoscant, nec non nestorianos, jacobitas, armenos schismaticos, coptos, abyssinos etc. numerantur 70,000.000. Protestantes cum innumeris divisionibus suis numerantur in Europa & in foederatis provinciis cum pluribus sectis 66,000.000, qui tamen numerus nimis auctus dicitur. Itaque ex his omnibus simul sumptis summa conficitur 136,000.000. Contra vero catholici per universum orbem numerantur 207,891.000.

432. Licet per se non sit necessarium, ut instituatur comparatio cum sectis paganis, tamen de facto Ecclesia catholica numerosior est etiam omnibus sectis paganis singillatim sumptis. Sic Judaei numerantur 4,000.000, Islamitae 100.000.000, Brahmanitae 60,000.000, Budhitae 180,000.000, Confucianitae 152,000.000.

433. Ecclesia romana etiam ratione temporis catholica est: haec enim ab initio stetit nec aliud habuit initium, quam ipsa christianae religionis incunabula. Ab eo autem tempore perpetua serie decurrunt ejus annales, nec ullum tempus assignari potest, quo esse desierit, aut quo non fuerit per totum orbem conspicua, sicut id omnia historica monumenta tradunt.

434. Quod vero spectat ad identitatem, ea liquet vel ex ipsius constitutione, quae necessario ab omnibus et singulis membris suis exposcit unitatem fidei & communionis. Prout enim in Ecclesia romana, sic et in aliis huic unitis Ecclesiis eadem semper fides viguit, quia historia ecclesiastica teste, numquam alia regula obtinuit, nisi quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est. Ideo caute perpetuo invigilatum est, ne quid innovetur, nisi quod traditum fuit. Ad rem Vincentius Lirinensis in suo commonitorio cap. III., qui magnopere curat, „ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est enim vere proprieque catholicum.“

435. Haec confirmantur a) ex eo, quod facta sit ejus propria *Ecclesiae catholicae* denominatio; b) ex ipsa adversariorum non paucorum agendi ratione, qui, quamvis aperte ab ea divisi sunt, adhuc se tamen ad illam pertinere contendunt, ne schismatici aut haeretici audiant.

436. Quod ad catholicitatem attinet, communiones graeca, russica, anglicana etc. nihil aliud sunt, quam nationales Ecclesiae; protestantismus vero nec formam Ecclesiae retinet & individualis potius quam nationalis dici debet.

Praeterea ante Photium non fuerunt graeci schismatici, ante Lutherum non fuerunt Lutherani, ante Calvinum non fuerunt Calvini, ante Henricum VIII. non fuit ecclesia, ut modo exstat, anglicana. Nullo modo ergo istae sectae vocari possunt catholicae. Hinc omnes adversarios possumus perstringere argumento: Edicant omnes haeretici & schismatici, quaenam tempore inchoatae suae haereseos vel inchoati sui schismatis fuerit Ecclesia vere catholica, quae cum romana Ecclesia non communicavit? Sive talis aliqua fuerit, sive non, numquam a crimine schismatis purgare se poterunt. Si nulla adfuit catholica praeter romanam, ergo haec vera fuit Ecclesia universalis et perpetua a Christo fundata, quam deserere sine gravi peccato non poterant: Si autem aliqua alia adfuit, illi utique post separationem se adjungere debuissent.

437. Et re quidem vera quod ad protestanticas sectas attinet, res evidens est, iis omnibus deesse notam catholicitatis; si enim illis deest unitas, quomodo poterit apud eas identitas fidei & communionis inveniri? Historia variationum locupletissimum est argumentum ejusmodi defectus. Possemus hos omnes coetus provocare ad edendam fidei professionem, quae communis vel uni illorum sit, et quae semper apud eum obtinuerit, si forsan excipias partem negativam & aversionem a communi ipsorum matre, Ecclesia nempe romana seu catholica; nihil dicemus de particulis, in quas unaquaeque societas dissecatur, quae vix numerari possint, quum haec notissima sint.

438. Quod dictum est de identitate fidei, patet dici pariter debere de identitate communionis, quae ex defectu capitis subsistere nequit; unaquaeque enim in propria regione, ubi reperitur suum consistorium, ut vocant, suum praesidem, suos ministros habet, qui nulla ratione consistorio, praesidi aut ministris alterius regionis subjiciuntur. Quapropter quod consequens est, nulla universalis reperitur apud eos diffusio, sed quilibet coetus et uniuscujusque coetus portio divisi sunt ab invicem & independentes juxta regimen, cui subsunt; hinc nulla penes sectarios universalis Ecclesia reperitur ac nulla ejusdem ecclesiae universalis diffusio, sed totidem coetus nationales aut provinciales recenseri possunt, quot sunt diversa regimina, cui subsunt: adeoque sectae singulae nonnisi angustum terrae angulum occupant. Carent proinde istiusmodi societates omnes catholicitate & catholicitatis nota quoad utramque sui partem: materialem scilicet atque formalem.

439. Ecclesia graeca schismatica non est catholica quoad locum, quum extra orientales plagas atque Russiam vix aliquam extensionem habeat, multisque gentibus fere ignota sit. Immerito quoque de antiqua et perpetua fide gloriatur, quum ab hac defecerit, negando processionem Spiritus sancti a Filio, quam antiqui PP, etiam graeci, crediderunt, et non agnoscendo primatum in Petro ejusque successoribus divinitus institutum, quem Orientales quoque ante lugendum schisma et theoretice et practice agnoverunt.

440. Carent quoque schismatici identitate communionis, quum careant principio unitatis. Etenim schismatici divisi sunt in plurimas partes, quarum singulae suos patriarchas sive metropolitas habent, qui nulla ratione patriarchis alterius regionis subjiciuntur. Tales patriarchae sive metropolitae independentes, nati per separationem ab ecclesia sive russica sive constantinopolitana, praeter alios inveniuntur in Graecia, Bulgaria, Rumenia, Croatia, Serbia, Monte nigro, Bucovina, Transylvania. Unde nulla universalis apud schismaticos invenitur diffusio, sed singulorum patriarcharum coetus divisi sunt ab invicem et independentes juxta regimen, cui subsunt. Hinc nulla est penes schismaticos *universalis* ecclesia ac nulla *ejusdem ecclesiae* universalis diffusio, sed totidem coetus nationales aut provinciales recenseri possunt, quot sunt diversa regimina, cui subsunt. Hinc singulae istae ecclesiae schismaticae angustum terrae angulum occupant et carent catholicitate tam materiali quam formali.

Dr. Jos. Zhischman in suo opere (das Eherecht der orient. Kirche) affirmat, *octo* esse orientales independentes ecclesias: Constantinopoli, Alexandriae, Antiochiae, Hierosolymis; in Russia, Cypro, Austria et Graecia: quibus adnumerantur archiepiscopatus montis Sinai et ecclesia metropolitana in Monte nigro.

441. Sectae igitur acatholicae vel spectantur seorsim singulae, vel simul omnes. Si singulae, modicum spatium occupant: si omnes, quum non polleant fidei et communionis identitate, jam non efformant unum corpus, quod dici possit ecclesia catholica. Itaque Ecclesia est ubique, et haeresis est ubique. Sed Ecclesia est una et eadem ubique, haereses autem non eaedem sunt, sed diversissimae, quae se invicem non noverunt, et proinde nulla earum est catholica. Quocirca omnes haereses recte comparantur sarmentis praecisis, quae ubi cadunt, quum praeciduntur, ibi manent: quum interim Ecclesia tamquam vitis viva ubique palmites suos extendat. Adde his, quod, prout animadvertimus, nulla exstet secta, quae non sit orta determinata epocha, quaeque dici possit quavis aetate exstitisse, aut ex quo exstare coepit, omnem terram occupasse. Si quam habuerunt quoquo modo diffusionem, ea non ex intrinseca ordinatione profecta est ad eandem ineundam, et ex vi interna, sed ex politicis adjunc-

tis, quorum mutatione sectarum ipsarum vices immutantur. Sane lutherani vix nati arescere coeperunt: coepit regnum Lutheri anno 1517: sed is vix septem annis pacifice regnavit. Nam anno 1525 surrexit Zvinglius, et post duos alios surrexerunt anabaptistae, qui majorem partem lutheranorum a Luthero separatam ad se traxerunt. Qui vero manserunt lutherani ita immutarunt Lutheri doctrinam, at vix ulli invenirentur puri lutherani. Sed nec diu regnavit Zvinglius. Nam anno 1538 surrexit Calvinus, qui ita brevi invaluit, ut vix pauca quaedam oppida Helvetiorum zvinglianis reliquerit. Ipsi quoque calvinistae per libertinos in Gallia, per trinitarios in Polonia et samosatenos in Transylvania quotidie magis imminuti sunt. Et haec de prima aetate dici possunt; postea autem in innumeras sectas scissos esse protestantes, jam indicavimus, quum ageremus de defectu unitatis.

442. Simili modo dicendum est de ecclesia schismatica. Sic v. g. ecclesia russica in varias sectas divisa est, quarum singulae iterum in alias atque alias subdividebantur usque ad 200: quae omnes sectae cum suis innumeris subdivisionibus rejiciunt omnia, quae a patriarcha Nicon et ab aliis post eum in russica ecclesia invecta sunt. (Historische polit. Blaetter von Joerg 79 B. 1877).

443. Itaque hoc etiam adnotandum est discrimen inter veram Ecclesiam et societates, quae sese falso ecclesiam Dei denominant: ut illa successu temporis magis magisque in omnem terram diffundatur suamque internam catholicitatem evolvat, istae vero, uti arbores spuriae, in dies magis magisque depereant.

444. Hinc autem pronum est colligere, quod non modo sectae omnes careant catholicitate, verum etiam sperare non possint, se aliquando fore totum orbem occupaturas. Si enim intrinseco defectu unitatis laborant, imo etiam principium divisionis et dissolutionis ex propriae essentiae necessitate includunt; tam impossibile est, ut aliquando catholicitatem assequantur, quam est impossibile, ut instruantur unitate; siquidem catholicitas absque unitate fidei et communionis haberi non potest. (Cercia de Eccl. sect. IV. lect. III. — Sardagna de cath. Eccl. controv. V.)

IV.

De nota apostolicitatis.

Sola romana Ecclesia est apostolica.

445. Successio apostolica in catholico episcopatu et nominatim in romana sede, quae per exsellentiam *sedes apostolica* nuncupatur factum est manifestum; neque solum factum est manifestum successio materialis per ordinationem, sed etiam successio formalis.

Sane quod ad successionem centri unitatis attinet, hujus verificatio involvit *jus* et *factum; jus,* ut sciamus, quinam putari possint veri Petri successores: *factum,* ut constet, hos vere in romana Ecclesia perpetuo floruisse. Quoad primum constat, romanos Pontifices Petri in episcopatu romano successores in ejus quoque primatum succedere *jure divino*. Ac certe nisi romano episcopo competeret successio in primatum Petri, nequit explicari, quomodo absque ulla dissensione usque ab Ecclesiae primordiis Patres omnes tum latini tum graeci primatum romani Pontificis unanimes agnoverint; quomodo nullo repugnante episcopus episcoporum et judex perpetuo sit habitus; quomodo in nullius unquam mentem venerit, ne patriarchae quidem antiocheni, ut jus sibi ullum ad primatus dignitatem praetenderet; quomodo demum nec a romano Pontifice dissidentes episcopi, nec haeretici, si recentiores excipias, fuerint ausi hujusmodi rem vel in dubium revocare. Praeterea constat ex ecclesiasticis documentis, sedem romanam semper uti cathedram s. Petri fuisse habitam semperque primatum supra ceteras totius orbis ecclesias obtinuisse; romanos episcopos semper fidei controversias diremisse uti supremos judices; primatum exercuisse in episcopos Africae, Asiae, caeterarumque provinciarum; sua auctoritate concilia oecumenica semper convocasse et rata fecisse; jus appellationum habuisse perpetuo et exercuisse etc. Sed omnia haec absque primatu in ipsis et quidem divino jure existente, tanta universalitate, animorum concordia et perpetuitate, locum habere non potuissent. Ergo.

446. Quod ad *factum* attinet, num scilicet unquam defuerit in Ecclesia romana series successorum s. Petri in ejus gerendo primatu, ipsum innotescit:

a) Ex historiis ecclesiasticis in quibus designantur variorum romanorum Pontificum sibi non interrupte succedentium nomina, genus, patria, aetas, legitima electio, gesta etc.

b) Ex reliquis monumentis ecclesiasticis, sacris diptychis, catalogis, operibus musivis, pictis iconibus vel antiquissimis, sepulchris etiam ipsorum Pontificum ad d. Petri existentibus.

c) Ex testimonio sacrorum scriptorum: sic Tertullianus (de praescr. c. XXXII) et Irenaeus (libr. III. adv. haer. c. III.), tum Eusebius (in hist. et chron.), Epiphanius (haer. LXX.), Optatus Milev. (libr. II. contr. Parmenian.) et Augustinus (ep. CLXV) suc-

cessionem romanorum episcoporum ad sua usque respective tempora diligentissime adnotant. Reliqui Pontifices similiter a sequioribus Patribus similiter recensentur.

d) Idem deducitur ex omnibus illis, quae paulo ante innuimus, quum de jure primatus ageretur. Si enim nulla est aetas, in qua non ubique occurrat realis quaedam praesentia romani Pontificis, sive quum romani Praesules errores haeresesque damnarunt; sive quum exortas controversias ubique gentium diremerunt; sive quum episcopos longe dissitos tum in Oriente tum in Occidente minis aut depositione coercuerunt; sive quum per se aut per suos legatos usque ad Concilium Vaticanum synodis oecumenicis praefuerunt; profecto nunquam defuit in romana ecclesia, qui Petri primatu frueretur.

Igitur de perpetua et nunquam interrupta successione romanorum Pontificum dubitari non potest. Ex alia parte nemo unquam de eorum legitima institutione et ordinatione ausus est ambigere, sed tota Ecclesia uti legitimos s. Petri successores cognovit atque ipsis plenam obedientiam perpetuo praestitit. Ergo romana ecclesia habet tum materialem tum formalem successionem. Imo ipsi adversarii mirari solent talem successionem, qua fit, ut apostolica sedes novemdecim saeculis inter tot vicissitudines religiosas atque politicas stare pergat atque in pleno vigore consistat.

447. Si haec ita se habent de summi pontificatus successione in ecclesia romana, sequitur, in eadem similiter florere totam successionem apostolicam; haec enim est inseparabilis a successione centri unitatis, a quo in suo esse formali constituitur. Unde vel nulla uspiam existit successio episcoporum, quod est absurdum; vel in ea ecclesia reperiri debet, in qua centri successio reperitur. Praeterea si factum ipsum consulamus, nulla est ecclesia particularis ex illis, quae communicent cum ecclesia romana, quae non possit exhibere suam seriem episcoporum, qui ordine non interrupto deducuntur usque ab apostolis; vel saltem quorum successio non fuerit suppleta aut reparata per adhaesionem ad centrum unitatis. Haec vero sufficiunt ad habendam veram apostolicam successionem.

Deinde ex his ipsis liquet, haberi in ecclesia romana adhaesionem ad centrum unitatis; atque insuper perspicuum est, ex eo in romana ecclesia judicari, quinam ad ipsam pertineant, quod, adhaereant romano Pontifici, centro unitatis. Denique certum est, romanam ecclesiam nunquam tolerasse vel uti suos considerasse eos episcopos, qui fide et communione romano Pontifici non adhaererent.

448. Protestantes non habent successionem apostolicam in suis ministris. Calvinus enim sacerdos non fuit; Lutherus quamvis sacerdos, quia tamen non erat episcopus, episcopalem potestatem aut sacerdotium nemini conferre potuit. Ergo in Ecclesia protestantica nulla datur successio episcoporum nullusque datur sacerdos.

449. Hoc valet etiam de ecclesia graeca et russica. Fatemur, eas non destitui quadem specie successionis; sed tamen ea est materialis tantum et non formalis, utpote caret adhaesione servanda capiti in unitate fidei et communionis. Ut ergo materialis successio non favet nestorianis atque eutychianis, quamvis antiquior sit, ita non favet ecclesiae graecae aut russicae. Idem a fortiori dicendum est de successione ecclesiae anglicanae; primum enim laborat eodem vitio, ut si quae est, sit mere materialis, utpote a centro unitatis schismatica; deinde vero ordinationum anglicanarum valor dubio saltem obnoxius est.

Porro graeci et anglicani unde habent hanc ipsam successionem materialem? Possemus eos interrogare, sicut Augustinus donatistas: „Respondete: unde huc existis? unde extitit origo Donati? (vel unde extitit origo Photii? unde origo Matthaei Parkeri, a quo reliqui episcopi anglicani haeretici originem ducunt?) ubi catechizatus est, ubi baptizatus, ubi ordinatus?“ (S. Aug. de bapt. l. II. c. 6.)

450. Nulla ex istis ecclesiis christianis habet successionem formalem. Nam

a) nulla ex ipsis habet legitimam missionem ordinariam vel extraordinariam. Non extraordinariam: haec enim miraculis confirmari deberet, sicut missio Moysis, prophetarum & apostolorum. Non ordinariam; acceperuntne eam ab Ecclesia catholica, vel ab alia aliqua? Si ab alia, quaenam fuit illa? et cur separati sunt ab ea? cur ad eam non redeunt? Si dicunt, ab Ecclesia catholica, quaero fuitne tunc ecclesia catholica haeretica, nec ne? Si haeretica; ergo non fuit vera Christi Ecclesia, adeoque non habuit legitimam potestatem mittendi ministros, nec potuit illam in alios transferre; certum est enim, haereticos omni potestate jurisdictionis in Ecclesia Dei semper privatos fuisse. Si non fuit tunc haeretica Ecclesia catholica; ipsae acatholicae sectae in errores fidei adversantes lapsae sunt, quia dogmata tuentur catholicae professioni contraria autoresque fuerunt schismatis dividendo se ab unitate catholica, ideoque hoc ipso amiserunt potestatem jurisdictionis regendi & gubernandi ecclesias.

Quum Lutherus interrogatus fuisset, quid de Thoma Münzer, anabaptistarum coryphaeo, qui aliam novamque promulgabat doctrinam, esset tenendum, ita senatui muelhusino respodit: „Recte facturum senatum, si roget ex illo, quis docendi munus ipsi commiserit, quis evocaverit? Et si Deum nominet auctorem, tunc jubeat hanc suam vocationem aliquo evidenti signo comprobare, quod si repraesentare non possit, ut tum repudietur: hoc enim Deo esse proprium atque familiare, quotiescunque formulam consuetam & rationem velit immutari, ut tum voluntatem suam aliquo signo declaret.“ (Hurter th. g. n. 307.). Ex ore Lutheri et ipse & caeterae sectae judicantur.

b) Per sententiam excommunicationis a romano Pontifice in acatholicarum sectarum auctores latam privati fuerunt ipsi potestate jurisdictionis sacerdotalis et episcopalis, quam acceperant. Ergo in nulla secta acatholica inveniuntur sacerdotes vel episcopi, qui verbum Dei legitime praedicent aut qui sacramenta legitime conferant. Etenim hanc potestatem non habent a Deo immediate, quum sectae omnes sint longe serius ortae, ac possent singularum commemorari nativitatis epocha, locus, auctor & reliqua hujusmodi; neque ab episcopis apostolorum successoribus, quum in separatione ab Ecclesia romana etiam ab ipsis ante separationem uti vera agnita privati sint omni jurisdictione; sed eam habent a magistratu civili, aut ministerio ipsorum ecclesiastico, quod dare non potuit quod non habuit. Ex quo sequitur, nullam acatholicam sectam esse veram Christi Ecclesiam.

c) Ut Ecclesia sit formaliter apostolica, opus est, ut auctoritas apostolica derivetur in episcopos ab eo, qui eam obtinet eamque communicare potest; modo autem in ecclesia graeca derivatur ab episcopo constantinopolitano; ergo in hoc est posita juxta graecos apostolicitas formalis, ut ab episcopo constantinopolitano auctoritas omnis derivetur. Atqui prius auctoritas episcoporum graecorum a sede romana derivabatur, quae electionem omnium patriarcharum confirmabat; ergo si modo est, non fuit antea ecclesia graeca vere & formaliter apostolica. Si autem tunc non fuit, neque nunc est; est enim juxta ipsos graecos continuatio illius. Ergo. Applicetur haec argumentatio omnibus caeteris sectis, quae materialem successionem dicuntur habere. (Cercia de Eccl. sect. IV. lect. IV. — Sardagna de Eccl. controv. VII. — Palm. de Eccl. p. 823.)

Articulus IV.

Extra Ecclesiam catholicam romanam non est salus.

451. Ex dictis patet, verae Ecclesiae notas tantum in Ecclesia romano-catholica omnes evidenter inveniri, easque deesse ceteris

coetibus christianis. Ergo Ecclesia romano-catholica est sola vera Christi Ecclesia. Atqui demonstravimus jam, extra veram Christi Ecclesiam salutem non dari. Ergo extra Ecclesiam romano-catholicam non est salus; ergo romano-catholicam Ecclesiam omnes amplecti jubentur, eique omnes integra mente adhaerere ac in ea omnes constanter perseverare debent, ut ad aeternam salutem perveniant. Ergo ad solam, „catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes, et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.“ (Conc. Vat. sess. III. c. III.)

452. Catholicorum doctrina, qua dicitur, extra Ecclesiam catholicam neminem salvari posse, multis nimis dura, Dei misericordiae & charitati contraria videtur. Gravissime autem aberrant, qui talia sentiunt. Nam

1) catholici hanc sententiam non defenderent, nisi revelata esset; ipsam autem revelatam esse, jam probatum est.

2) Haec porro sententia Deo indigna vel ejus attributis contraria nullo modo dici potest. Deus enim nullo modo tenebatur ad lapsum genus humanum redimendum, et si hoc non praestitisset, a

nemine reprehendi posset, sed infinite sanctus, justus et bonus laudandus esset. Quum autem Deus ex infinita bonitate homines in peccata lapsos redimere decrevit, quis reprehendet eum, aut quis ipso indignum judicabit, quod pro liberrima sua voluntate et infinita sapientia conditiones praescripserit, quas homo adimplere debeat, ut fructuum redemptionis et recuperatae salutis particeps reddatur? Inter conditiones autem praescriptas hanc praecipuam nobis revelatio assignat, ut homines institutam a Christo Ecclesiam ingrediantur, et illi perfecte subjiciantur. Quid facilius, quid melius, quid sapientius praescribi potuisset? Omni jure ergo Deus illos damnat, qui talem conditionem adimplere recusant. Hominum profecto non est, sapientiae divinae regulas praescribere, vel limites infinitae misericordiae & infinitae justitiae assignare.

3) Omnis denique difficultas evanescit, si doctrina catholica rite exponitur. Dum enim Ecclesia catholica dicit, infideles qui nec baptizati sunt, nec fidem in Christum accipiunt, aeternam salutem consequi non posse, inter illos qui culpabiliter, et eos, qui inculpabiliter in infidelitate manent, distinguit. Qui culpabiliter errori inhaerent, dum veritatem agnoscere possent & deberent, juxta ipsa sanae rationis dictamina jure plectuntur. Qui autem omnino inculpabiliter infidelitati suae insistunt, uti quibus evangelium nunquam praedicatum fuit (Rom. X. 11.); hi damnantur aut puniuntur non propter dissensum seu neglectum Ecclesiae ingressum, sed propter peccatum originale, quod in ipsis non deletur, vel propter peccata actualia, quae commiserunt: justum et aequum autem semper est, ut, qui peccavit, puniatur. Si quis autem hujusmodi infidelis legem naturalem exacte observet, veritatem amet & Deum, quem rationis lumine agnoscit, invocet, etiam per miraculum, ut Cornelius centurio & eunuchus reginae Candacis ad rectam fidem perduci potest. S. Thomas Aq. dicit, Deum potius angelum missurum esse ad talem infidelem instruendum, quam permissurum, ut sine regeneratione pereat. Neque angelo opus est, quum Deus per gratias internas, fidem supernaturalem & charitatem excitare possit; hinc infidelis, qui legem naturalem observat, paratus ad omnia perficienda, quae Deus ab ipso exigit, baptismo flaminis seu desiderii purgatur et Ecclesiam ingreditur ac aeternam salutem consequi potest.

Quoad haereticos Ecclesia catholica distinguit formales, qui culpabiliter et pertinaciter errorem tenent; et materiales, qui sine omni culpa & pertinacia in errore cubant. Illi seipsos damnationi obnoxios reddunt; hi vero Ecclesiae catholicae membra manent, et, si caeteroquin rectam vitam agant, salvantur. Idem S. Augustinus docet, qui (ep. 163. ad Glor.) ait: „Qui sententiam suam, quamvis falsam, et perversam nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim, quod non audacia praesumtionis suae pepererunt, sed a seductis, et in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati quum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos reputandi.“

453. Exinde sequitur, tolerantiam sic dictam theologicam impiam esse & absurdam. Duplex scilicet tolerantismus secernitur: *civilis & religiosus*. Tolerantia theologica sive religiosa est error eorum, qui putant, etiam extra catholicam Ecclesiam in alia religione vel ecclesia aeternam salutem obtineri posse. Hanc tolerantiam affirmamus esse impiam et absurdam. Nam tolerantia religiosa est contra Dei veritatem, sapientiam et justitiam; contra revelationis et Ecclesiae finem; contra rationem ipsarum veritatum religiosarum, quae omnem errorem excludunt; contra intellectus nostri naturam, qui tum veritatem cognoscere tum relate ad veritatem cognitam nullo modo indifferens esse potest. Ecclesia a seipsa, a Christo et veritate descisceret, simulque negaret, esse unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, si tolerantiae religiosae assentiretur. Sciens enim, se originem trahere a Deo, suasque veritates esse infallibiles, necessario intolerans est erroris, qui Deum privat honore, hominem vero abducit ad nequitiam. Ideo numquam licuit errori ab Ecclesia proscripto patrocinari neque directe neque indirecte.

454. Tolerantia civilis publica sive politica est *licentia seu facultas, quam princeps vel respublica alienae religionis asseclis permittit, ut religionem suam publice profiteri et exercere possint.* Professio religionis falsae est semper mala, quae quidem potest quandoque ab iis, qui praefecti sunt rebus publicis, *permitti*, ne majora sequantur mala, nunquam tamen *approbari*. Ad rem S. Thomas (Sum. II. II. q. X. art. 11): Ritus infidelium tolerari possunt vel *propter aliquod bonum*, quod ex eis proveniet, vel propter aliquod *malum*, quod vitatur .... sc. ad vitandum scandalum vel dissidium, quod ex hoc possit provenire, vel impedimentum salutis eorum, *qui paulatim sic tolerati convertuntur ad fidem.* Falsum itaque est: 1) optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, aut saltem nullo facto veram

inter falsasque religiones discrimine; 2) optimam esse conditionem societatis in qua imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulat; 3) civilem cujusque cultus libertatem; itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam, publiceque manifestandi non conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam; 4) laudabiliter in quibusdam nominis catholici regionibus lege cautum esse, ut hominibus illud immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere. Et sane religio ad minus aeque ac pax publica, honor civis, publici mores, est magnum bonum, imo praedictarum rerum origo ac fundamentum. Unde illi, qui rebus publicis praefecti sunt, officium in se receperunt defendendi non solum jura et bona societatis civilis, sed etiam religionem ipsam contra multiplices falsarum religionum errores eo vel magis, quod humana societas ne gubernari quidem possit nullo habito ad religionem catholicam respectu, quippe quae non nascitur ex theoria quadam, sed in se complectitur historice existentem plebem, quae determinatam jam religionem habet.

455. Dum Ecclesia catholica interficit haereses et errores, diligit homines, benigna mater est erga errantes et devios. Jussu Dei enim amare debemus omnes sine ulla exceptione vel religionis vel gentis; nam sive hostis sit sive alienus sive infidelis, proximus est. In hoc autem consistit privata tolerantia, qua in re Ecclesia catholica haereticos, ipsos quoque superat protestantes, quorum intolerantia nota est. Tamen quandoque intolerantia erroris in ipsos redundare potest et debet errantes, si nimirum errores suos nituntur diffundere et ipsa inficere Ecclesiae membra. Quae intolerantia nititur: jure *naturali*, cum cuilibet permissum sit, injustum aggressorem repellere; jure *sociali*, cum quaelibet societas ab hostibus, in primis a rebellibus et seditiosis, se suaque membra tueri, ac proinde omnibus quae ei suppetunt armis, illos insequi possit et debeat; jure *positivo* et *divino*, cum Ecclesiae pastoribus gravissimum incumbat onus abigendi a grege lupos: rationem enim reddere debent de animabus sibi commissis. (Hettinger theol. fund. II. p. de necess. Eccl. — Hurter theol. gen. num. 225. — Alb. a Buls. theol. fund. p. III. §. 274. — Lib. theol. de Eccl. c. I. §. IV.)

Protestantes, qui accusantes Ecclesiam catholicam de intolerantia provocant ad inquisitionem hispanam vel ad quosdam reges catholicos, advertant triplex discrimen: 1. Ecclesia catholica erat in possessione, protestantes vero erant schismatici, hinc rebelles, in quales animadvertere licet. 2) Nunquam inquisitio, nunquam rex vere catholicus ita saeviit in acatholicos: sicut dissidentes ab Ecclesia catholica in hujus filios. 3) Inquisitio hispana institutum erat politicum; quod vero principes catholici egerunt, nequit ita adscribi Ecclesiae, sicut adscribi potest et debet protestantismo, quidquid in religionis negotio egerunt principes protestantes, quia hi demum sunt caput illius sectae, quam profitentur. (Hurter theol. gen. n. 225 not.)

Caput V.

De Ecclesiae dotibus.

Articulus I.

Christus Ecclesiam suam indefectibilem esse voluit.

456. Ecclesiae origine, institutione & constitutione expensis ac vindicatis una cum notis, ex quibus ipsa a quavis adulterina societate, quae sibi christianae ecclesiae nomen arrogat, tuto internosci possit, superest, ut inquiramus, quibus dotibus seu praerogativis divinus conditor eamdem instruxerit. Hae autem dotes in eo a proprietatibus differunt, quod istae a rei natura profluant, illae quodammodo eidem supervenire eamque afficere ac decorare concipiantur. Praecipuae vero Ecclesiae dotes sunt: *indefectibilitas* in existendo, *infallibilitas* in docendo, *auctoritas* in regendo. In hoc articulo de indefectibilitate tantum agimus.

457. Indefectibilitas sumitur tum in *existendo*, quae proprie *perpetuitas* denominatur, tum in *essendo*, quae proprie hoc nomine nuncupatur; i. e. sumitur tum relate ad existentiam tum relate ad essentiam. Indefectibilitas in existentia sive perpetuitas importat durationem Ecclesiae usque ad mundi exitum. Indefectibilitas vero in essentia dicit durationem Ecclesiae in ea ipsa externa & interna constitutione, eoque complexu proprietatum & consequenter notarum, in quo a Christo primitus est instituta.

458. Ecclesiae perpetuitas sive perennitas

1. confirmatur ipsa comparatione novi foederis cum vetere, Ecclesiae cum synagoga. Ita enim confertur & praefertur Ecclesia synagogae, ut significetur *a*) novum foedus non fore abrogandum uti abrogatum fuit vetus; verum *b*) illud fore perenne, aeternum, immobile. Hinc s. Paulus citatis verbis Aggaei (II. 7.) ita prosequitur Hebr. (12. 27.): *Quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium*

(veteris testamenti) *translationem tamquam factorum, ut maneant ea quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam.*

2. Perpetuitas Ecclesiae sequitur etiam ex praerogativa, qua Ecclesia passim dicitur corpus Christi, regnum Christi, quum ea sit coetus eorum, qui legem Christi amplectuntur & sequuntur, qui ei se subjiciunt: coetus proinde, in quo dominatur, in quo actuatur ejus religio. Sed regnum Christi praedictum est perpetuum; nam antequam Christus nasceretur, dictum legitur ab angelo: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus & regnabit in domo Jacob in aeternum, & regni ejus non erit finis.* (Luc. I. 32.)

3. Christus ipse praenuntiavit, fore, ut praedicetur ejus evangelium usque ad mundi finem & tunc venturam consummationem. (Mat. XXIV. 14.) Item dixit futuros usque ad exitum mundi successores apostolorum & portas inferi non praevalituras adversus Ecclesiam (Mat. XXVIII. et XVI.). Promisit etiam suam opem Ecclesiae usque ad consummationem saeculi; repugnat ergo, vel pro minimo tempore deficere aut cessare posse Ecclesiam, quia alias Christus ejusque Spiritus ab Ecclesia pro aliquo tempore recederet, quod promissionibus divinis repugnat. Idem confirmatur parabola boni seminis crescentis ac fructificantis in agro una cum zizaniis usque ad messem i. e. consummationem saeculi. (Matth. XIII. 24. coll. 37.).

4. Cessante denique aut deficiente Ecclesia, ipsa redemtio cessaret vel deficeret eo ipso, quod Ecclesia, quae redemptionem portat & hominibus communicat, cessaret vel deficeret. Si enim Christus est omnium salvator, debet professio ejus extendi ad omne tempus: secus non omnibus per eum salus pateret.

459. Patet etiam, Ecclesiae Christi competere indefectibilitatem, quae afficit ejus essentiam, ita ut illius vi ea perseveret usque in saeculi finem in illa ipsa constitutione seu natura & proprietatibus suis tum internis tum externis, in qua primitus existere coepit. Etenim a Christo instituta est Ecclesia, ut quovis tempore omnibus hominibus per eam suppeterent media idonea ad salutem sibi comparandam; talis igitur quovis tempore perseverare debet, ut ab omnibus cognoscatur & a qualibet secta jugiter secernatur. — Jam vero talis non esset Ecclesia, si aliquando posset aliqua ex parte deficere; nam identica amplius non esset; cessaret una esse, sancta, catholica & apostolica, prout ejus natura juxta Christi institutionem postulat, nec amplius exterius praeseferret notas, quibus uti vera Ecclesia internosci posset: homines proinde possent decipi, dum putarent veram Ecclesiam esse illam societatem, quae reipsa non est nisi secta seu satanae synagoga. Destituerentur eapropter mediis certis ac idoneis, quibus in negotio omnium maximo sibi possent tuto prospicere. Quae omnia absona sunt & contra finem, quem Christus in Ecclesia condenda sibi praestituit.

460. Christus promisit Ecclesiae suae suam assistentiam, suum favorem, auxilium etc.; significat se itaque ita adfuturum quovis aevo suae Ecclesiae, ut sentiri non debeat praesentiae suae visibilis defectus, quatenus idem praestet invisibiliter, quod praestaret, si maneret visibilis & ipse per se praesideret Ecclesiae: *Ego, inquit vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Et: Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Haec porro omnia falsa essent, si ex aliqua sua parte posset Ecclesia aliquando deficere & aliter se habere ab eo statu ac natura, in qua semel instituta est.

461. Haec omnium quoque Patrum est sententia. Duos tantum citabimus. S. Hieronymus ita suum commentarium in Amos absolvit: „Ex quo intelligimus, Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti: tentari, non superari: & hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens sive Deus ejus i. e. Ecclesiae se facturum pollicitus est, cujus promissio lex naturae est.“ S. Chrysostomus vero: „Nihil Ecclesia par est. Ne mihi commemores muros et arma: muri enim tempore deteruntur, Ecclesia vero nunquam senescit. Muros barbari demoliuntur, Ecclesiam ne daemones quidem vincunt. Quod haec non sint jactantiae verba, res ipsae testantur. Quot Ecclesiam oppugnarunt, ipsique perierunt? Ecclesia vero coelos transcendit. Talis est Ecclesiae magnitudo: vincit impugnata; insidiis appetita superat; contumeliis affecta splendidior evadit; vulnera excipit, nec ulceribus cadit; agitata fluctibus non demergitur; procellis impetita naufragium non patitur; luctatur, nec prosternitur; pugilatu certat, nec vincitur. Cur ergo bellum permisit? ut illa splendidius tropaeum erigeret.“ (Hom. de capto Eutropio n. 1.)

Contra indefectibilitatem Ecclesiae non sunt verba s. Hieronymi: „Nicaenae fidei damnatio conclamata est; ingemuit totus orbis, et arianum se esse miratus est“ (Dial. contr. Luciferianos n. 19.). Haec enim hyperbolica s. Hieronymi verba non sunt intelligenda de vero Ecclesiae defectu, sed de apparente quadam ac momentanea multorum defectione. Citata enim verba protulit s. doctor occasione subscriptionis a Patribus ariminensibus factae voci ὁμοιούσιος, dum nempe vim vocis non intelligerent, decepti fraudibus arianorum ac vi adacti; verum simul ac detecta est fraus, plerique illam illico retractaverunt. Deerat

*

concilio romanus Pontifex vel ejus legatus, majorque Ecclesiae catholicae pars eidem concilio non interfuit; addo nonnisi per vim sibi a Constantii imperatoris satellitibus illatam episcopos illos subscripsisse. Sane nemo ingemit et miratur se esse et haberi, qualem se esse scit et vult: ergo cum episcopi arimineuses ingemuerint et mirati sint juxta Hieronymum, traduci se veluti arianos, manifestum est eos tales non fuisse neque in confessione externa; alias nec ingemuissent, nec mirati fuissent. (Perrone de vera relig. p. alt. n. 94).

Verba Christi: „Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?“ non significant, quod peritura sit fides de orbe terrarum, sed quod perfecta et eximia fides vix tunc invenienda sit propter justorum paucitatem et iniquorum multitudinem. Praeterea verba Christi sunt interrogantis, non asserentis. Quod attinet ad verba Apostoli scribentis ad Tessalonicenses (II. c. II. 3.), magnam diem Domini venturam non esse, „nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis“: animadvertendum est, sub fine mundi futuram esse apostasiam magnam, non tamen totalem; multi enim i. e. electi resistent Antichristo usque ad profusionem sanguinis. Discessio per metonymiam potest etiam vocari ipse Antichristus, quia causa erit, cur multi discedant a Christo.

Articulus II.

De Ecclesiae infallibilitate.

§. 1.

Christus Ecclesiam suam infallibilem esse voluit.

462. Dicitur infallibilis Ecclesia, prout est *docens* & prout est *credens*. Itaque infallibilitas statuitur, tum in docendo, quae proprie *infallibilitas* est, tum in credendo, quae proprie *inerrantia* est. Haec duo intime connexa sunt, ita ut inerrantia ab infallibilitate magisterii pendeat.

463. Probatur infallibilitas Ecclesiae imprimis ex verbis Christi Petro dictis: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praevalebunt adversus eam.* (Matth. XVI. 18.) Loquitur hic Christus de Ecclesia *sua* visibili, quam aedificio comparat firmae petrae insistenti. Sed si Ecclesia vel in uno articulo fidei posset falli, jam desineret esse *Christi* Ecclesia. Sermo est praeterea hic de *Ecclesia* supra petram aedificata, quae dividitur in Ecclesiam docentem & discentem. Relationem autem inter unam & alteram Ecclesiae partem, Christus ipse expressit verbis: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit* (Luc. X. 16.). Aequiparatur nimirum in istis verbis judicium apostolorum judicio ipsius Christi, certe non ex alia ratione, nisi quia magisterium a Christo institutum ob assistentiam divinam infallibile est. De hac denique

Ecclesia sua dicit Christus: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Nomine *portarum* potentia designatur juxta morem Judaeorum & aliorum orientalium, qui in portis civitatum judicia exercere consueverunt. Per portas inferi ergo potestas inferorum i. e. malignorum spirituum seu regnum satanae intelligitur, quod regno Dei e diametro opponitur & pro veritate falsitatem obtrudere conatur. Quum autem Christus dicit, ipsam potentiam satanae contra Ecclesiam nunquam praevalituram esse, eo ipso significat, a nulla alia potestate Ecclesiam labefactari posse. Promittit ergo Christus, Ecclesiam contra omnes hostiles assaltus fore victricem, ac proin eam non solum perduraturam usque in finem, sed etiam a veritate religionis a Christo traditae numquam aberraturam esse. Si enim Ecclesia vel semel tantum induceretur in errorem fidei contrarium, praevalerent saltem pro illo tempore portae inferi, quod promissionibus Christi omnino contrarium est.

464. Christus praeterea suam assistentiam magisterio a se instituto seu Ecclesiae in docendo promisit; ergo Ecclesia docens est certe infallibilis. Ascensurus enim Christus in coelum ad apostolos dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. XXVIII. 18. seq.). Christus ergo ut supremus regni divini moralis seu Ecclesiae auctor et rector apostolis gravissimum munus imposuit: 1) docendi *omnes gentes*, et 2) docendi *omnia*, quaecunque ipse revelaverat (Marc. XVI. 15.). Ut autem tanto muneri perficiendo, a quo hominum salus dependeat (Marc. XVI. 16.), pares essent, 3) invisibilem *suam assistentiam* promittit, licet corporali praesentia jam ab ipsis separetur. Hanc autem assistentiam suam in docendo promittit usque ad finem mundi: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Ista vero promissio non potuit verificari in apostolis, qui communi fato obeuntes omnibus diebus usque ad consummationem non docuerunt. Ne ergo dicatur Christus non adimplevisse quod promisit, necessario admittendum est, Christum in hac promissione apostolos considerasse non ut homines individuos, sed ut personam moralem, quae semper in suis successoribus vivit, nempe ut magisterium a se pro omni tempore institutum seu ut Ecclesiam docentem usque ad finem mundi perduraturam. Huic ergo omni tempore in docendo assistentia Christi promissa est.

Atqui illa tria puncta supponunt infallibilitatem Ecclesiae. Nam *a)* Ecclesia, destituta infallibilitate nullum jus haberet *ad convertendas gentes*; frustra missionarios ad illas mitteret, ut ipsas ab haeresi aut a schismate aut ab infidelitate abduceret; possent quippe reponere, se in pari conditione esse atque ita fere ratiocinari: Possumus quidem nos errare ac decipi, at errare pariter ac decipi Ecclesia vestra potest, dum testem se exhibet illius doctrinae, quam se a Deo accepisse contendit; errare potest in controversiis, quae agitantur; itaque in pari statu nulla est ratio, quare ad eam accedamus vel subjiciamus nos judicio ac magisterio illius fallibili perinde ac nostro. Major autem minorve probabilitas haud excludit errandi formidinem, nec haberetur in eo nisi transitus ab opinione in opinionem. Quum tamen Ecclesia mandatum a Christo acceperit praedicandi ac docendi omnes gentes, quumque Christus poenas interminaverit obedientiam detrectantibus, necessario inferendum est, divinam hanc missionem includere infallibilitatem eique plane inhaerentem esse.

b) Ut omnes quoad *omnia,* quaecunque Christus revelavit, recte instrui queant, ne in errores sanae doctrinae adversantes proruant, tum etiam ut in unitate conserventur et contineantur, necessaria est infallibilitas. Si enim nullum esset infallibile tribunal, quod absque erroris formidine dirimere controversias posset, quae quotidie exoriuntur sive circa germanum scripturarum sensum, sive circa quaelibet doctrinae capita, nulla esset catholicis ratio se Ecclesiae decisionibus subjiciendi et captivandi proprium intellectum ejusdem definitionibus. Unusquisque posset pro libitu sentire et credere, turbaeque necessario nascerentur ac disputationes nullo unquam tempore absolvendae in articulis maximi momenti, et perpetua inde confusio. Sola siquidem auctoritas infallibilitate destituta ad compescendas controversias religionis minime valet, nec nisi tyrannidem saperet, velle sola auctoritate homines ratione praeditos ad hoc potius quam illud fide credendum impellere.

c) Christus promittit, se futurum esse cum apostolis *docentibus.* Si ergo apostoli sic docentes fallerentur, erroris causa ipse Christus esset.

465. Ecclesiae in docendo promissa est quoque assistentia Spiritus sancti; ergo Ecclesia est infallibilis. Nam Christus in ultima coena, ubi cor suum majori charitate effudit, apostolis de suo abitu moestis et de sua doctrina sollicitis promissionem de Spiritu sancto fecit eamque saepius repetiit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, qui apud vos manebit, et in vobis erit* (Joa. XIV. 16. seq.). Dandus promittitur *alius* Paraclitus (i. e. consolator, doctor vel advocatus), qui, Christo ex terris abscedente, praestet Ecclesiae, quod manens in orbe praestitisset Christus, videlicet omnimodam illius incolumitatem. Hic Paraclitus est *Spiritus veritatis*, qui apud apostolos eorumque successores *in aeternum maneat et in ipsis sit.* Sed manente in aeternum, ad eos regendos, in apostolis et successoribus Spiritu veritatis, nulla unquam erroris suspicio in eosdem cadere potest, imo vero in *omnem* eos ducet veritatem, quod Christus clare indicat verbis: *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis.* (Joa. XVI. 13. seq.). Itaque magisterio a Christo instituto seu Ecclesiae pro omni tempore in docendo promissa fuit Spiritus sancti assistentia, ac ideo semper infallibilis est.

466. Quae cum ita sint, jure Apostolus (I. Tim. III. 15.) Ecclesiam Dei vivi *columnam* et *firmamentum* veritatis appellat. Ait Apostolus: *Haec tibi scribo, sperans me ad te venire cito; si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Sermo est hic de Ecclesia Dei universa, cujus portio in urbe ephesina Timotheo illius urbis episcopo pastorali curae commissa erat. Paulus ergo Ecclesiam vocat columnam et firmamentum, cui veritas, id est universa revelationis doctrina seu fides insistit (II. 4.), quae opponitur illis, qui aliter docent et non acquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi (VI. 3.). Et sicut columnae et firmamenta efficiunt, ut domus non corruat, sic Ecclesia efficit, ut veritas sive vera religio non pereat; id autem Ecclesia efficere non posset, si in docendo infallibilis non esset. Sane absonum esset, Ecclesiam nuncupare columnam, qua attollitur, et firmamentum, quo sustentatur veritas, si a veritate deficere, et falsa docendo fideles in errores inducere posset. Hac in hypothesi certe egregiam denominationem nullatenus mereretur, quam tamen Spiritus sanctus ipsi attribuit, et quae ideo semper vera esse debet. Est autem Ecclesia eatenus columna et firmamentum *veritatis,* quatenus eam *infalliliter nobis proponit*, stabilitatem et firmitatem conferens non qui-

dem veritati in se ipsa, sed *notitiae* ejusdem, id est auctoritate sua penes omnes certam gignens notitiam veritatis. Unde Ecclesia est firmamentum veritatis tum *passivum*, quia in fide et veritate firmatur a Deo per infallibilem assistentiam Spiritus sancti a Christo promissam, tum *activum*, quia Deus per eam omnes fideles confirmat.

Mirum est, quomodo adversarii verba: *columna et firmamentum veritatis* cum periodo sequenti conjungere tentent. Talis enim interpunctionis mutatio contextui repugnat, quia Paulus apertissime continuat similitudinem *de domo Dei*, in qua veritas docetur, et quae columnis et basibus insistit. Ecclesia namque veritatem attollit et sustentat, ne animis excidat, et ipsa est, quae facit, ut longe lateque videatur.

Et sane Paulus scribens hanc epistolam habebat prae oculis gnosticos, contra quorum falsam scientiam tutos studebat reddere fideles curae Thimothei commissos (1 4—7; IV. I. seq., VI. 3—5.). Horum, qui aliter quam Apostolus docebant, doctrina (VI. 3.) erat adversa fidei, quam apostoli praedicaverunt, et Ecclesia Dei vivi profitebatur. Hinc quum docuisset Apostolus Timotheum (c. III.), quales esse deberent episcopi, diaconi ipsaeque mulieres, advertit, se ea scripsisse, ut etiamsi ipse tardaverit venire, sciat Timotheus quomodo oporteat tum ipsum tum alios in Dei domo conversari, quae est Ecclesia Dei vivi. Mentione autem facta Ecclesiae, ut se opponat gnosticorum novae falsaeque doctrinae, monet, eam esse columnam et firmamentum veritatis; ut fideles scilicet intelligerent ab ea, non vero ab iis novis doctoribus quaerendam esse veritatem. Cum scopo ergo epistolae Pauli optime cohaeret, quod ea verba de Ecclesia dicta intelligantur. Et re quidem vera nequeunt ea conjungi cum sequentibus; in hac enim hypothesi, quoniam subjectum est μυστήριον, quod articulo gaudet, sensus hic foret: mysterium pietatis est columna et firmamentum veritatis, et manifeste magnum: quid autem attinebat dicere, mysterium illud esse magnum, postquam dictum fuerit esse columnam et firmamentum veritatis? et quum incrementum orationis expectares, vides illam desinere in praedicatum minoris momenti nullam novam afferens notitiam. Itaque quemadmodum duo sunt subjecta hujus orationis: *Ecclesia* nimirum et *mysterium pietatis*, ita duo distinguenda sunt, quae de singulis praedicantur: *columna et firmamentum veritatis* de Ecclesia, *manifeste magnum* de mysterio pietatis. Quod autem ea verba sint adpositum Ecclesiae non vero alterius subjecti, liquet ex immediato nexu; quum praeterea nullum sit aliud in oratione subjectum, cui ea adseri possint.

467. Necesse non est infallibilitatem Ecclesiae ex sentiendi ratione totius antiquitatis theoretica et practica comprobare. Semper enim quaevis doctrina, speciosis quamvis rationibus niteretur, eo ipso falsa judicabatur, quod dissona esset a praedicatione magisterii ecclesiastici. Credebatur ergo haec supra omne dubium et examen posita, quod proprium tantum est auctoritatis infallibilis. Speciminis causa afferemus auctoritatem duorum vel trium Patrum. Sic s. Irenaeus (libr. adv. haer. III. c. IV.) ait: „Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; quum

apostoli quasi in depositorium dives plenissime contulerint omnia, quae sunt veritatis, ut omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitae." S. Chrysostomus (homil. de expuls.) ait: „Christi Ecclesia nihil fortius; si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est, velut si coelo bellum meditatur inferre. Ecclesiam vincere nulla vis potest; Deus est in Ecclesia, qui est omnibus fortior." S. Augustinus (de symb. ad catech. serm. I. c. VI.): „Pugnare potest (Ecclesia), expugnari non potest."

468. Infallibilitatis dos probatur demum ratione theologica. Quidquid Ecclesia credendum proponit ut revelatum, debemus credere fide immutabili *ipsi Deo* propter ipsius Dei auctoritatem. Atqui si Ecclesia non esset infallibilis, non possemus obligari ad credendum illud *Deo* fide immutabili; nam illud non esset verbum *Dei*, et fides illa, utpote falsa, necessario esset *mutabilis*. Praeterea Ecclesia, si falli posset, desineret esse sancta, quia illius doctrina non esset doctrina Christi, neque conformis foret voluntati Dei, quae est norma omnis sanctitatis; Deus enim nunquam vult, ut falsa, sed ut sana tradatur doctrina. Demum si Ecclesia in errorem fidei contrarium laberetur, non amplius foret sponsa Christi, sed potius meretrix et adultera; non esset haereditas Christi, nec corpus Christi, nec civitas Dei, nec ovile Christi: quae sunt proprietates Ecclesiae respectu Dei. Cessarent quoque omnia officia verae Ecclesiae respectu hominum, quibus est spiritualis mater; nam sine vera fide, et vera fidei doctrina nec posset Christo filios concipere, nec parere, nec nutrire, nec fideles defendere adversus hostes: quae omnia aperte repugnant manifestis Christi promissionibus in scriptura contentis. (Sardagna de Eccl. infall. controv. II. — Alb. a Buls. theol. fund. p. III. §. 192 et seq. — Cercia de Eccl. sect. V, lect. IV. — Palmieri de Eccl. §. 21. — Schouppe theol. dogm. tract. IV. n. 204 et seq. — Perrone de Eccl. n. 347 et seq.)

§. 2.

Infallibilitatis subjectum est triplex: Ecclesia tum dispersa, tum in concilio collecta, et romanus Pontifex.

469. Cognita infallibilitatis existentia, magni momenti est, ut etiam ipsius subjectum rite cognoscatur, seu ut cognoscantur illi, qui Ecclesiam docentem infallibilitatis dono praeditam, seu magisterium authenticum et infallibile a Christo institutum efficiant. Id vero ex hactenus probatis facile determinatur. Subjectum enim infallibilitatis,

seu Ecclesiam docentem infallibilem constituunt episcopi soli cum suo primate rom. Pontifice uniti.

470. Et re quidem vera munus docendi Christus apostolis tradidit, inter quos eminuit Petrus, iisdemque suam et Spiritus sancti assistentiam in docendo promisit. Haec autem Christi et Spiritus sancti assistentia usque ad consummationem saeculi et in aeternum promissa in apostolorum successores perpetuo continuari debet. Apostolis autem in munere docendi et regendi Ecclesiam (Act. XX. 28.) succedunt proprie soli episcopi, sicut Petro succedit romanus Pontifex. Ad illos ergo solos pleno et quasi haereditario jure transiit omnis illa spiritualis potestas, quae a Christo in apostolos fuit derivata; iisdem ergo infallibilitatis donum pro omni tempore concessum est; ergo ad illos quoque pertinent, quae ad apostolos dicta sunt: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* (Joa. XX.). *Docete omnes gentes. Ecce ego vobiscum sum.* (Mat. XXVIII.) *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum* (Joa. XIV.).

471. Ex constanti etiam praxi Ecclesiae patet, episcopos, ut apostolorum successores, cum suo primate, successore Petri, constituere magisterium authenticum et infallibile a Christo institutum. Ideo si agebatur de dogmate definiendo et de fidei controversia dirimenda, episcoporum consensus inquirebatur, quo cognito causa finita censebatur. Constat quoque, sive in concilio causa judicata fuerit, sive extra concilium, sola episcoporum suffragia valuisse et habita fuisse tamquam decretoria. Numquam legimus concilia a sacerdotibus secundi ordinis fuisse celebrata. E contra nunquam in Ecclesia dubitatum fuit, quin coetus episcoporum ex omnibus undique ecclesiis legitime congregatus totam representaret Ecclesiam. Doctrina fidei ab ejusmodi concilio definita, etiamsi nullus presbyter inter judices sederit, a toto semper christiano orbe fuit recepta, uti vera Christi et totius Ecclesiae doctrina, a qua deflectere nulli christiano liceret. Id totum ecclesiastica omnium saeculorum historia testatur. Ergo semper, ubique et ab omnibus episcopi cum suo primate pro infallibilitatis subjecto habiti sunt.

472. Exinde statim sequitur, doctrinam quoque, quam profitetur plebs fidelium in quantum adhaeret coetui pastorum esse infallibilem. Hinc apparet, reperiri infallibilitatem active in solo coetu pastorum, in plebe vero tantum ex consequenti et modo passivo, quatenus plebs accipit ac tenet, quod ei traditur ut infallibile. Et consequenter conspectus coetus fidelium per se non adstruit dogmata, sed indirecte illa exhibet, quatenus in iis tenendis plebs adhaeret pastoribus, quorum est infallibilia docere; et impossibile est, ut tota excidat a tali adhaesione. Unde si hoc tenet, signum est, quod adhaerens teneat seu quod ipsum pastores transmittant. Exinde tria fluunt corollaria:

a) Nulla quantumvis magna fidelium multitudo potest unquam praescribere adversus doctrinam coetus pastorum. Quandoquidem multitudinis non est consortium habere in magisterio activo et fidei judicio, sed tantum sibi tradita participare.

b) Est plane extranea a constitutione alicujus dogmatis acceptatio coetus fidelium, eo quod ipsi non sint ullo modo judices. Hinc conciliorum oecumenicorum dogmatica decreta irreformabilia sunt ante acceptationem fidelium. Unde eadem totam obligant Ecclesiam, sive acceptentur sive non.

c) Quum quaeritur, num ad ratificanda decreta dogmatica romanorum Pontificum requiratur acceptatio Ecclesiae, intelligitur hoc nomine corpus pastorum, non vero Ecclesia subjecta.

473. Ecclesia universalis docens duplici modo infallibiliter dogmata definire et fidei controversias dirimere potest. Id enim vel in concilio oecumenico congregata vel per orbem dispersa consensu extraconciliari praestare valet. Praeterea idem praestare potest romanus Pontifex, qui se solo est infallibilis. Hinc triplex est infallibilitatis subjectum. Quum tamen de romano Pontifice alibi occurrat quaestio, hic de primo et secundo infallibile judicium manifestandi modo agendum venit.

474. Per consensum Ecclesiae extraconciliarem intelligitur consensus episcoporum, per orbem catholicum dispersorum, quandam religionis doctrinam ut divinitus revelatam et credendam declarantium. Consensus iste non tantum voluntatis, sed et intellectus actum in episcopis supponit, quo pro imposito sibi munere docendi de doctrina ad revelationem spectante judicium ferunt. Consensus iste ratione *extensionis* est vel *universalis* vel *particularis*, prout vel omnes moraliter vel aliqui tantum praesules ecclesiastici consentiunt. Ratione *modi* consensus est vel *expressus* vel *tacitus*; prior est vel *theoreticus*, qui publica aut omnino solemni doctrina, verbis aut scriptis ab ipso episcopo prodita manifestatur, vel *practicus*, qui factis manifestatur, dum doctrina, jubente vel approbante episcopo, libris symbolicis inseritur, aut in praxim reducitur. Consensus tacitus differt a solo silentio, quod ex ignorantia hincinde oritur, vel ex reverentia

erga superioris effata servatur, quo in casu obsequiosum dici solet; sed tacitus consensus tunc habetur, si episcopus doctrinae promulgatae se nullatenus opponit, quum tamen certo constet, quod se illi opponere deberet, posset et vellet, si eam ut veram non approbaret.

Ut consensus universalis sit, non opus est, ut omnes ad unum episcopi consentiant. Singuli enim seorsim spectati infallibiles non sunt, sed errare et deficere possunt, quod et factum est. Nam Arius, Nestorius, Pelagius suos habuere asseclas, etiam episcopos; ad consensum ergo requiri non potest, ut omnes et singuli consentiant, sed sufficit major pars romano Pontifici adhaerens; et eo ipso quod Ecclesia est infallibilis, impossibile est, ut plerique episcopi a romano Pontifice deficiant.

475. Constat imprimis, *Ecclesiam per orbem dispersam* esse infallibilem. Ex textibus Matthaei XVI. et XXVIII. aliisque patet, Christum perpetuam assistentiam promisisse Ecclesiae docenti, qualis ab eo fuit instituta. Atqui ab eo instituta fuit, ut esset dispersa per orbem: *Euntes docete omnes gentes.* Et certe quum privilegium non tantum inerrantiae passivae in tota christianorum societate, sed etiam infallibilitatis activae in pastoribus ita sit inhaerens Ecclesiae, ut avelli ab ea ne momento quidem possit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,* sequitur, quod Ecclesia eo gaudere debeat in statu suo naturali et ordinario, ubi per ecclesias suas dispersi sunt pastores, qui constituti sunt vigiles doctrinae custodes et judices; illorum est sanam doctrinam propinare ovibus suis, noxiam arcere; illi docendo judicant et judicando docent. Unde quod illi in fidei quaestionibus communi testimonio ex omnibus terrae partibus edicunt, tam certum est et inconcussum, quam certum est, Ecclesiam integram non posse a fide deficere.

476. Idem probatur ex praxi constanti Ecclesiae, quae etiam in tribus primis saeculis, licet ob diras persecutiones concilium generale celebrare non posset, tamen dogmata definivit et credenda proposuit ac fidei controversias diremit, ita quidem, ut omnes, qui se tali judicio subjicere recusarunt, uti haeretici damnati et alieni a salute habiti fuerint, sicut testantur S. Ignatius M. (ep. ad Ephes. c. 16), Tertullianus (l. de bapt. c. 8), Origenes (comment. ad Tit.), Cyprianus (l. de unit. eccl.). Ergo jam tunc temporis creditum est, Ecclesiam docentem extra concilium infallibilem esse. Constat praeterea, post concilium nicaenum e. gr. pelagianam haeresim romanorum Pontificum et Ecclesiae dispersae judicio in toto orbe terrarum

proscriptam fuisse. Imo ad hunc ecclesiarum consensum ceu ad certissimam et errori haud obnoxiam fidei normam antiquissimi Patres provocarunt. Non alio argumento nisi ex consensu Ecclesiae dispersae petito contra sui temporis haereticos pugnavit et veram doctrinam defendit S. Irenaeus. Ait enim (l. adv. haer. c. 3): „Hanc fidem Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, quasi unam animam habens, et unum cor; et consonanter haec praedicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os." — Tertullianus (l. de praescr. c. 21) ait: „Christi doctrinam, apostolis revelatam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsis eis praedicando tam viva voce, quam per epistolas postea." Quo principio posito, ita pergit: „Si haec ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis conspirat, veritati deputandam." Et tandem concludit: „Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli diversa doctrina: hoc igitur est testimonium veritatis."

477. Concilia quoque oecumenica esse infallibilia facile probatur. Concilia enim oecumenica non sunt nisi Ecclesia ipsa congregata. Atqui Ecclesia infallibili pollet auctoritate. Eadem ergo infallibilitate juxta Christi promissa frui concilia oecumenica dicenda sunt.

Hinc factum est, ut quovis tempore dogmaticae conciliorum oecumenicorum sanctiones absque ulla controversia ceu totidem fidei articuli habitae fuerint, atque uti haeretici spectati illi omnes, qui illorum definitionibus acquiescere detrectarunt. Sic post concilium nicaenum ariani, post constantinopolitanum macedoniani, post ephesinum nestoriani, eutychiani post chalcedonense et ita porro; quod supponit, certum ratumque fuisse in tota antiquitate, oecumenica concilia infallibili auctoritate esse praedita. Confirmatur hoc ex eo, quod multi fideles, qui pro conciliorum definitionibus mortem passi sunt, ab Ecclesia ut martyres colantur.

Hinc Patres concilii oecumenici sententiam aut vocant *ultimum Ecclesiae judicium*, quod nullo modo retractari potest, ut Athanasius (ep. ad Epict. Opp. eccl. Maur. tom. I. P. II. p. 901 seq.), Epiphanius (haer. LXXVII.), concilium ephesinum (ep. Tractor. ap. Had. act. conc. t. I. col. 1623 seq.) etc.; aut *haereticos* appellant, qui concilii dogmaticae definitioni non acquiescunt, ut iterum Athanasius (ep. ad Afros. l. cit. col. 891 seq.), concilium chalcedonense (act. V) etc.; aut affirmant, decreta conciliorum generalium

esse *divina et a Spiritu sancto edita,* ut Athanasius (ep. ad Afr.), Gregorius M., qui protestatus est, se quatuor priora concilia sicut quatuor evangelia venerari; aut denique docent, moriendum potius, quam recedere a conciliorum oecumenicorum decretis, prout verbis et factis inter ceteros praestiterunt Athanasius, Hilarius, Eusebius, qui propter nicaenam fidem exilium passi sunt.

478. Romanum quoque Pontificem infallibilitatis subjectum esse suo loco probabitur.

Semper, ubique et ab omnibus creditum est, promisisse Christum apostolis assistentiam singularem, ita ut nullus aberrare potuisset et singuli infallibiles essent; successoribus vero generalem, ita ut omnes simul errare non possent, sed in docendo infallibiles essent. Talem traditionem probant loca pro Ecclesiae infallibilitate citata. Facile quoque est, genuinae hujus distinctionis rationem afferre. Apostolis enim per totum orbem dispergendis singulis assistentia necessaria fuit, quia non semper convenire vel communicare poterant ad fidei controversias dirimendas, sed separatim evangelium praedicare et ecclesias fundare debuere, quamobrem singuli dono inerrantiae indigebant: haec autem singularis assistentia necessaria non est eorum successoribus, qui convenire et communicare possunt ad fidei dogmata stabilienda, quare pro conservanda unitate et puritate fidei sufficit assistentia generalis, ita ut omnes simul sumpti infallibiles sint.

479. Quum Ecclesia docendi munere fungitur, triplex implet officium: *testis, judicis & magistrae.* Testis est in exponendis fidei veritatibus, quas a Christo accepit e. gr. quum perhibet, scripturas fuisse a Deo revelatas; judex in dirimendis controversiis circa fidem v. gr. quum decernit de vero sensu scripturae & traditionis; magistrae in ministerio quotidiano praedicationis exercendo i. e. quatenus ministerio quotidiano fideles viva voce & praxi iis omnibus imbuit, quibus vera Christi doctrina & religio ac aeternae salutis semita continetur. In triplici hoc officio Ecclesia pari gaudet dote infallibilitatis. Hoc totum tamen non peragitur per aliquam inspirationem, uti fuit prophetarum propria, qua nempe Ecclesia per infusionem idearum primo & per se factam doceat, quae docere debet; sed per simplicem assistentiam, qua Ecclesia in errorem labi non sinatur, nec permittatur decipere. Practice: quatenus agit testem, assistentia efficit, ne excidat a fideli apprehensione eorum, quae testificari debet, neque velit ea adulterare. Ut agit judicem, assistentia impedit, quominus ex verbi Dei fundamentis pravas consecutiones aut sensum falsum extundat. Ut magistram se exhibet, ex assistentia habet, ut ea proponat & ea ratione, qua omnium saluti tuto prospiciat. Ex his vero omnibus efficitur, ut doctrina Christi & apostolorum de aetate in aetatem intemerata descendat. Descendit enim integra quoad ipsas res, quas Christus & apostoli protulere; quippe Ecclesia, uti testis, nequit falli in testando, quae Christus & apostoli ore & scripto transmiserint. Descendit intemerata quoad conclusiones inferendas & rectam scripturae intelligentiam; quippe harum Ecclesia est infallibilis judex. Denique in communicatione & practico usu, propter infallibile Ecclesiae magistrae ministerium.

480. Hinc Ecclesia sive dispersa sive in concilio collecta et romanus Pontifex humana via incedunt, rationemque sequuntur, atque argumentando verum a falso discernunt. Adhibere consilium necesse est, et expendere utriusque partis argumenta; tum deinde sequetur auxilium Dei . . . Ex quo perspicuum est, non dormientibus et oscitantibus Patribus Spiritum sanctum assistere, sed diligenter humana via et ratione quaerentibus rei, de qua disseritur, veritatem. Ecclesiae infallibilitas minime opponitur libertati singulorum episcoporum. Nam „non est dubitandum, voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit . . . Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam voluntatem.“ (S. Aug. de corrept. et grat. XIV. 45. — Hettinger theol. fund. p. II. libr. I. sect. II. §. 11.)

481. Quando affirmamus, in collectione episcoporum infallibilitatem activam residere, per se intelligitur, jam in illo necessario includi romanum Pontificem; quippe Christi promissiones datae sunt Ecclesiae non acephalae sed capite affectae.

Quod attinet ad ipsum concursum capitis cum corpore in ordine ad infallibilitatem, et de influxu ipsius capitis in infallibilitatem corporis, animadvertenda sunt sequentia:

1) Ecclesiae infallibilitas non est posita in forma *intrinseca,* quae a coetu pastorum vel a solo romano Pontifice possideatur; sed in *extrinseca actione* Christi et Spiritus sancti, per quam impossibile est, ut corpus et caput Ecclesiae simul sumpta in errorem conspirent. Enimvero Christus illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum,* pollicitus est, non futurum unquam, ut Ecclesia in sua plenitudine accepta, prout scilicet est capite et membris constituta, in errorem conspirare possit. Haec forma promissionis simul effectum spopondit avertendi erroris, simul expressit conditionem, tunc teneri Christum hac sua pollicitatione, quando habentur coexistentia et conspiratio utriusque partis Ecclesiae, nimirum corporis et capitis.

Per haec apparet, infallibilitatem Ecclesiae esse positam in externa Christi assistentia, et esse affixam coexistentiae et conspirationi utriusque elementi. Unde si coetus pastorum non habet ex se solo infallibilitatem judicii, hoc non est quia nullo modo habeat infallibilitatem, sed quia non impletur conditio a Christo posita coexistentiae cum capite et conspirationis. Interim tamen coetus ipse pastorum non desinit esse elementum ex iis, quae, si concurrant, dent compositum infallibile. Ex eo, quod sibi relictum errare possit corpus pastorum, sequitur illud non esse se solo infallibile, non vero, illud nullo modo esse infallibile; sequitur episcopos non esse in se infallibiles, esse tamen elementum compositi infallibilis; nullo modo sequitur, eis non esse propriam ullam assistentiam, sed tantum non esse propriam illam assistentiam, quae eos faciat infallibiles etiam extra statum coexistentiae.

Ex alia parte si habita romani Pontificis approbatione judicium evadit infallibile, hoc non ideo est, quasi in solum Pontificem devolvatur assistentia, quasi ipsius tantummodo sit propria infallibilitas, imo quasi ex ejus affirmatione intrinsece articulus exuat fallibilitatem et ad infallibilitatem transferatur; sed extrinsece, quia, posito Pontificis suffragio, jam caput et corpus Ecclesiae inveniuntur aliqua in re conspirare. Qua posita conspiratione Ecclesia non potest versari in errore, quandoquidem promisit Christus, nunquam fore, ut tota Ecclesia in errorem conspiraret. Quamobrem Pontifex non dat Ecclesiae infallibilitatem, quasi in se solo habeat ejusdem rationem et ejus possessio in Ecclesia refundatur; sed extrinsece et materialiter, quatenus complet conditionem coexistentiae, cui fuit adnexa Christi promissio.

Doctrina ergo in concilio definita non ideo est infallibiliter vera, quod edita sit a viris doctis, sed ob assistentiam Christi et Spiritus sancti, quae promissa est Ecclesiae. Pulchre s. Irenaeus (lib. 7. adv. haer. c. 3) ait: „Praedicatio veritatis ubique lucet, et neque is, qui valde praevalet in sermone, ex iis, qui praesunt ecclesiis, alia, quam haec sunt, dicet, . . . neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem.

2) Romanus Pontifex, qui etiam se solo est infallibilis, potest aliquid jam a se definitum coetui pastorum qua fidei articulum proponere, et in hoc casu minores praesules ab ejus sententia non possunt recedere, et se haberent ad decretum Pontificis uti singuli fideles ad idem se habent modo passivo. Sed etiam in hoc casu accedente Ecclesiae consensu fit illud decretum, quod ante concilii vel Ecclesiae consensum fuit ex sola Pontificis definitione infallibile, infallibile etiam ex certiori quoad nos principio, scilicet totius Ecclesiae conspiratione. At vero Pontifex potest considerari etiam uti unum ex elementis Ecclesiae, quorum conspirationi promissa est infallibilitas. Sub hoc respectu locum habent minores praesules, ut veluti infallibiles judices cum eo conspirent. Neque haec est vana et futilis argutia. Nam reapse fontes infallibilitatis sunt diversi vel papa cum Ecclesia vel se solo Pontifex. Item ipse Pontifex, quum suum decretum concilio proponit, non uti ceteris fidelibus ad simplicem obedientiam proponit, sed invitat corpus pastorum ad secum conspirandum in re illa, unde veluti se constituit uti simplex praecipuum Ecclesiae elementum.

482. Unde concilia oecumenica, quamvis absolute necessaria non sint ad infallibilitatis exercitium, admodum tamen sunt utilia, quum agitur vel de doctrina catholica statuenda vel de damnandis haereticis vel de sanciendis decretis. Nam libentius a fidelibus iisque, qui nutant in fide, decreta accipiuntur, quae ab adeo conspicuo et numeroso pastorum coetu prodeunt vel confirmantur, quam quae ab uno vel pastorum coetu per orbem disperso eduntur, quum suspiciones fraudis, ignorantiae, deceptionis, utilitatis propriae etc. longius arceantur. Facilius partes etiam dissidentes in ejusmodi synodis ad concordiam revocantur; episcopi alacrius illa exequuntur decreta, quae ipsi cum aliis condiderunt, in fide confirmantur, caritatem unionemque fovent, viribus unitis in haeresum destructionem et schismatum exstinctionem conspirant collatisque consiliis bono communi Ecclesiae melius prospiciunt (Cercia de Eccl. sect. V. lect. V. — Alb. a Buls. theol. fund. p. III. sect. I. §. 203. — Lieb. theol. fund. de Eccl. p. II. c. III. art. IV.).

De conciliorum utilitate pulcherrime concilium Vaticanum sess.: III. „Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Jesus Christus, ad Patrem coelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris ejus providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime conspecta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis, ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior mem-

brorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae aliaque christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando."

§. 3.

Infallibilitatis objectum directum et immediatum sunt res fidei et morum; indirectum vero et mediatum sunt ea omnia, sine quibus revelationis depositum incolume et fides integra servari nequit.

483. Demonstrato infallibilitatis subjecto, quaeritur adhuc, quodnam sit illud objectum, de quo Ecclesia infallibiliter judicare valeat.

484. Imprimis certum est, infallibilitatis objectum directum & immediatum esse *res fidei et morum* id est *revelationis depositum*. Extensio enim seu objectum infallibilitatis colligi debet tum ex *verbis*, quibus Christus hanc contulit praerogativam, tum ex *fine*, quem in ea conferenda intendit. Atqui tam ex illis, quam ex hoc eruitur, infallibilitatis objectum non minus patere, quam ipsa patet *revelatio christiana*. Promittit enim Christus (Joa. XV. 16. col. XVI. 13.) Spiritum sanctum, qui ducat Ecclesiam in *omnem veritatem*, utique a se ex voluntate Patris hominibus manifestandam: promittit Christus assistentiam suam omnibus diebus usque ad consummationem saeculi magisterio ecclesiastico docenti *quaecunque ipse mandavit* (XXVIII. 20.), et praedicanti *evangelium* qua late patet; *finis* vero ecclesiastici magisterii est, *totum revelationis depositum* conservare, promulgare atque omnes circa illud obortas controversias peremptorie dirimere, ut omnes occurrant in unitatem fidei et non circumferantur circa Christi evangelium omni vento doctrinae (Eph. IV. 13.). Aliis verbis, ex duplici illa norma sequitur, infallibilitatis objectum directum & immediatum esse *res fidei et morum*; sive sint ad statum dogmatis jam deductae, sive nondum evolutae; depositum enim revelatum non in fidei articulis tantum consistit, sed etiam in morum praeceptis, quibus homines ad omnem vitae sanctitatem informantur. Unde per se patet, Ecclesiam esse infallibilem in explicandis praeceptis moralibus et consiliis evangelicis, quum haec quoque divina contineantur revelatione.

485. Ecclesiae infallibilitas licet primo gradu et immediate referatur tantum ad revelationis depositum, secundo tamen gradu et mediate refertur ad ea omnia, sine quibus revelationis depositum incolume et fides integra servari nequit. Hoc enim exigit ipse revelationis divinae et ecclesiastici magisterii finis. Neque enim veri-

tates revelatae sunt semina mortua, infecunda, sterilia, sed vera principia, semina fecunda, quae gradatim sub directione Spiritus sancti mediante magisterio ecclesiastico, cooperante rationis lumine, totam vitam intellectualem & moralem, internam & externam ac socialem fermenti instar (Math. XIII. 33.) pervadere et fermentare debent; has autem veritates revelatas Ecclesia custodire debet, ne ullis inficiantur vel obfuscentur erroribus, sicut et fideles ab erroribus fidei subversivis praeservare. Id vero fieri nequit, ut par est, nisi Ecclesiae infallibilitas ultra strictae revelationis porrigatur depositum seque extendat ad judicium quoque *a*) de *erroribus*, qui revelationi adversantur; *b*) de *conclusionibus* sive theoreticis sive practicis, quae veritates revelatas consequuntur; *c*) de *veritatibus*, quibus negatis vel in dubium vocatis ipsa nutat revelatio; *d*) de *relatione* inter doctrinam aliquam sive mores et veritates revelatas. Et sane Ecclesia sibi jus potestatemque vindicavit decernendi etiam de iis, quae immediate et directe revelatione non continentur, et quidem *judicio peremptorio* dubium nullum deliberatum permittente, consequenter *infallibili*. Hinc damnata est propositio: „Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur." (Syllabi XXII.).

486. Unde per modum corollarii sequitur:

1) Ecclesiam esse infallibilem in agnoscendis, recensendis, exponendisque libris divinitus inspiratis aliisque revelationis i. e. traditionis divinae fontibus. Omnis enim circa revelationis divinae fontes sive canales error, foret capitalis circa ipsum revelationis depositum.

2) Ecclesiam esse infallibilem in proponendis enarrandisque symbolis et canonibus dogmaticis: hisce enim docet fideles, quid credendum sit, iisque consulit unitati fidei.

3) Ecclesiam habere jus infallibiliter statuendi quaedam verba qua sola apta ad dogma aliquod exprimendum; alioquin errare posset in fide et docenda et conservanda; in illis enim statuendis intendit et docere fidem, et eam aptiori modo puram et securam conservare. Sic concilium Tridentinum verbum *transsubstantiatio* statuit ad significandam conversionem substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi: „Quae *convenienter* et *proprie* a sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata". (Sess. XIII. c. IV.).

487. Hinc Ecclesia infallibilis est in scientiis et artibus non pertinentibus ad fidem i. e. in talibus veritatibus, quae, etsi imme-

diate revelatae non sunt, tamen cum revelatis intime connectuntur, ita ut qui illas negaret et ipsas veritates revelatas negare deberet, quum ad harum custodiam, explicationem et defensionem sint necessariae. Et jure merito Ecclesia damnare potest opiniones, quae ss. literis evidenter repugnant, aut quibus positis s. scripturae loca apte et commode explicari nequeunt. Ratio est, quia veritas una est, et ideo nihil verum esse potest in philosophia, quin et verum sit in theologia, et vicissim: a Deo autem revelata semper vera sunt, ac ideo his contraria certissime falsa. Merito propterea damnavit Pius IX. hanc propositionem: „Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum debet ipsius philosophiae tolerare errores eique relinquere, ut ipsa se corrigat". (Syllabi XI.).

Per se intelligitur, illas veritates philosophicas, quae in ipsa revelatione continentur, pertinere ad objectum infallibilitatis immediatum, ac esse vera dogmata. Tales veritates sunt e. gr. origo hominis, immortalitas animae, libertas etc.

488. Infallibilis est quoque Ecclesia in statuenda *generali disciplina*. Pertinet autem generatim ad ecclesiasticam disciplinam quidquid aut a Christo aut ab apostolis, aut ab universa Ecclesia sive ab ecclesiis privatis institutum fuit ad externum cultum aut quaedam pietatis aliarumque virtutum opera externa. Quae in evangelio legimus a Christo ipso instituta aut quae apostoli instituerunt tamquam a Christo & a Spiritu sancto accepta, haec sunt infallibilitatis objectum immediatum ac res fidei constituunt. De his hic non agitur. Neque illud quaeritur, an ullus error possit in particularium ecclesiarum instituta irrepere; nam privatae ecclesiae ne in fide quidem infallibiles sunt. Tota ergo quaestio ad disciplinam Ecclesiae generalem restringitur. Neque id examinandum est, an ejusmodi disciplina pro temporum hominumque necessitate mutari possit vel an tam bona sit, ut melior esse non possit; sed de hoc movetur quaestio, an Ecclesia errare possit ejusmodi disciplinam statuendo. Et respondemus, Ecclesiam in ejusmodi disciplina generali statuenda non posse errare. Nam

a) licet decreta disciplinaria revelata non sint et in verbo Dei non contineantur, illud tamen ut revelatum habendum est, Ecclesiam nihil posse contra fidem & mores statuere. Id enim neccessario fluit ex promissis Christi, apostolis eorumque successoribus factis. Et sane necessario fides ipsa labefactaretur, si Ecclesia integra posset disciplinam instituere, aut ubique vigentem approbare, quae fidei aut morum principiis esset contraria. Hinc

b) Constantiense concilium sess. XIII. statuit, eos pro haereticis habendos, qui dicerent, Ecclesiam errare in more communicandi plebem sub una specie tantum.

489. Ecclesia est pariter infallibilis in *factis dogmaticis* decernendis. Sunt autem facta dogmatica *ea facta, quae, quamvis non sint revelata, ita tamen cum revelatione devinciuntur, ut in dubium vocari nequeant, quin ipsa veritas revelata periclitetur.* Ejusmodi sunt e. gr. concilia oecumenica a nicaeno I. usque ad vaticanum fuisse legitima; legitimam esse a Petro usque ad Leonem XIII. romanorum praesulum successionem. Sane fac quidpiam horum in dubium vocetur, illico consequetur, editas definitiones in conciliis esse incertas, incertum esse centrum unitatis catholicae, scilicet consequetur ipsius fidei excidium revelationisque pernicies. Jam vero contendimus, judicium Ecclesiae de ejusmodi factis non modo *naturaliter* et *historice* certum, verum etiam *supernaturaliter infallibile* esse existimandum. Et sane tota Ecclesia, utpote columna et firmamentum veritatis, non potest errare in rebus ad communem totius Ecclesiae religionem pertinentibus. Atqui judicium, quo Ecclesia acceptat hoc vel illud concilium, pertinet ad communem totius Ecclesiae religionem. Ergo in hoc judicio non potest errare Ecclesia, ideoque de fide est, hoc vel illud concilium fuisse legitimum. Idem deducitur ex ipso fine authentici magisterii. De his enim factis moveri possunt dubia plus minusve gravia, esse inter fideles controversiae dissensusque. Quum autem hisce factis ita sint implexae veritates revelatae, ut illis nutantibus hae ipsae nequeant consistere, non poterit servari revelationis depositum unitasque fidei sarta tectaque, nisi Ecclesia judicio supra omne dubium posito proinde infallibili de hisce judicare possit controversiis et hinc de ipsis factis dogmaticis. Quare in illis dijudicandis infallibilis est censenda.

490. Ecclesia est etiam infallibilis in dijudicandis *textibus dogmaticis*. Nomine autem textus dogmatici humanae originis intelligitur *scriptum ab homine citra divinam inspirationem compositum, quod de dogmate agat.* Quum vero statuitur Ecclesia in illo dijudicando infallibilis, etiam quando illud damnat in sensu ab auctore intento, sermo non est de sensu auctoris *subjectivo*, qui in ejus animo reconditus est, sed de sensu *objectivo*, quem verba vi contextus secundum regulas legitimae interpretationis fundunt, quique merito supponitur ab auctore intentus; nam quilibet supponitur id velle significare, quod verba prolata significant. Rem habemus hic cum jansenianis,

qui ultro quidem concedunt, Ecclesiam esse infallibilem in dijudicandis veritate revelata & errore huic opposito, sed singulari pertinacia negant, eam esse infallibilem, dum judicat, Jansenium in suo libro *Augustinus* doctrinam docere haereticam, quum id non sit revelatum, Ecclesia autem infallibilis sit tantum circa revelationis depositum. Nos itaque asserimus Ecclesiam esse infallibilem in his quoque textibus dogmaticis dijudicandis. Nam

1) Ecclesia est infallibilis in declaranda *Vulgatae authentia*, in enarrandis symbolis et conciliorum canonibus dogmaticis aliisque divinae traditionis monumentis (num. 486.). Atqui tam versio vulgata, quam symbola & canones, qua tales, sunt textus dogmatici humanae originis.

2) Si quod defendimus negetur, nullus erit controversiarum finis, ut ad evidentiam usque patet ex ipsa jansenismi historia. Semper enim patebit haereticis effugium, errorem nescio quem fuisse quidem damnatum, sed non doctrinam hujus auctoris, hujus libri etc, eo quod Ecclesia eam non intellexerit. Atqui Christus idcirco instituit magisterium authenticum et infallibile, ut non solum fideles veram edoceantur fidem, sed etiam ut controversiae fidei unitatem subvertentes dirimantur et haereses exstirpentur.

3) Ex ecclesiastica historia patet: *a)* Ecclesiam non solum damnasse haereses, sed etiam haereticos, atque eos damnasse *b)* innixam eorum verbis ore prolatis aut scriptis consignatis simulque damnasse id genus scripta haeretica: et quidem *c)* ita, ut plenam decretis adhaesionem exigeret & eos, qui nollent sententiae latae acquiescere, haberet ut haeresum fautores eosque excommunicaret. Sibi ergo vindicavit jus decernendi de heterodoxia vel orthodoxia textuum dogmaticorum humanae originis. Sed fuisset admodum injustum sententia irretractabili aliquem declarare haereticum, declaratione ab omnibus fidelibus admittenda, propter illius verba aut scripta, si Ecclesia in his interpretandis posset errare.

4) Ecclesia non solum infallibilis est in dijudicanda doctrina revelata, verum etiam in dijudicando eo, quod illi conforme est vel contrarium. Atqui quaelibet tandem haeresis sive ore prolata, sive literis consignata revocari potest ad textum dogmaticum: neque enim concipi potest haeresis, quae non aliqua propositione contineatur humana. Nisi ergo de hac infallibiliter posset judicare Ecclesia, nunquam de aliqua haeresi in concreto authenticum ei liceret proferre judicium. Ergo falsa est jansenianorum illatio, qua ex eo, quod aliquid in divina revelatione non contineatur, inferunt: judicium Ecclesiae de illo non esse infallibile. Ex omnibus ergo constat, Ecclesiam esse infallibilem in dijudicandis textibus dogmaticis.

491. Exinde qua corollarium sequitur:

1) Ecclesiam jure divino habere auctoritatem definiendi, utrum systema aliquod educationis bonum sit an malum, tutum an periculosum.

2) Ecclesiam quoad educationem secularem jure divino habere auctoritatem constituendi ea omnia, quae necessaria sunt ad custodiendam puritatem fidei et morum discipulorum catholicorum. Nisi enim educationem secularem educatio religiosa concomitans simul quasi penetret, informet, vivificet, sanctificet, discipulorum salus in periculum adducatur necesse est. Et sane in educatione seculari multa in periculum vocant educationem religiosam: ipsa religiosae educationis exclusio; prava principia, quae a magistris in disciplinis etiam pure per se secularibus insinuantur; varii libri, in scholis etiam usitati, qui discipulorum mentem ab aeternis avertunt et totam in terrenis defigunt; pravi condiscipuli.

3) Merito damnatas esse a Pio IX. propositiones syllabi 44 et seq., quibus totum scholarum publicarum societatis christianae regimen auctoritati politicae asseritur, ac methodus in ipsis clericorum seminariis adhibenda eidem subjicitur.

4) Ab Ecclesia posse damnari societates sic dictas *secretas*. Est autem societas secreta: *societas hominum foedere secreto et stabili conjunctorum, et inspectioni et moderationi auctoritatis legitimae sive ecclesiasticae sive civili occlusa.* Una ex notis malis, quae istis societatibus affixae sunt et ob quas ab Ecclesia damnantur, est ipsa earum natura abdita et occulta.

In constitutione *Providas* (1751) Benedicti XIV. de secretis societatibus haec habentur: „Inter gravissimas praefatae prohibitionis et damnationis (masonismi) in praeinserta constitutione (Clementis XII.) enuntiatas una est, quod in hujusmodi societatibus et conventiculis cujuscunque religionis ac sectae homines invicem consociantur: qua ex re patet, quam magna pernicies catholicae religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum et impervium secreti foedus, quo occultantur ea quae in hujusmodi conventiculis fiunt. . . Tertia est jusjurandum quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt: quasi liceat alicui cujuslibet promissionis aut juramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus omnia fateri teneatur quaecunque requirantur ad dignoscendum an aliquid in hujusmodi conventibus fiat quod sit contra religionis aut reipublicae statum et leges. . . Quinta est, quod jam in pluribus regionibus memoratae societates et aggregationes secularium principum legibus proscriptae

atque eliminatae fuerunt. Ultima demum, quod apud prudentes et probos viros eaedem societates et aggregationes male audirent, eorumque judicio quicunque eisdem nomina darent, pravitatis et perversionis notam incurrerent.

492. Tenendum est, Ecclesiam errare non posse in approbatione religionis seu ordinis religiosi quoad judicium de honestate ac sufficientia talis modi vivendi, ut est status perfectionis acquirendae seu religionis.

493. Tenendum est quoque, Ecclesiam esse infallibilem in solemni sanctorum canonizatione. Hic ergo non quaeritur, an potuerit ullus error in canonizatione quorumdam hominum facta a particularibus ecclesiis contingere, quum privatae ecclesiae ne in fide quidem infallibiles sint. Et sane canonizatio non est nisi publicum et solemne Ecclesiae testimonium atque judicium de alicujus hominis defuncti sanctitate & gloria, quo quidem ille tamquam patronus et exemplar christianae virtutis & sanctitatis proponitur, fideles vero admonentur et quandoque obligantur, ut illum colant atque imitentur. Unde si Ecclesia in canonizandis sanctis falli posset, fieri quoque posset, ut universis fidelibus colendum proponeret hominem damnatum, qui ex decreto et definitione ipsius Ecclesae a fidelibus ubique titulo *sancti* appellaretur et ut *sanctus* honoraretur et invocaretur; cujus laudes per Ecclesiam celebrarentur; in cujus honorem missae offerri, officia recitari deberent. Sed haec omnia pugnant cum Ecclesiae sanctitate. Ad sanctitatem enim Ecclesiae absolute necessarium est, ut cultus ab ea, praesertim pro universa Ecclesia, decretus et definitus omnino sit sanctus et purus, nec magis ab infallibilitate deficeret, definiens propositionem haereticam ab omnibus credendam, quam a sanctitate deficeret, definiens cultum superstitiosum et impium ab omnibus frequentandum. Atqui cultus religiosus homini damnato delatus cultus esset summe impius et superstitiosus, cujus vel notionem, quasi ipsius fere diaboli cultum, horrent aures christianae. Vel ergo Ecclesia sancta non est, sed superstitionis et impietatis universalis nutrix et cultrix, vel omnino dicendum est, eam esse infallibilem in canonizatione sanctorum.

Discrimen inter canonizationem & beatificationem servorum Dei est sequens. Canonizatio est ultima et definitiva sententia de sanctitate & gloria alicujus, non vero beatificatio, post quam requiruntur adhuc novae informationes, ut perveniatur ad canonizationem. Praeterea per canonizationem sanctus (vel sancta) toti Ecclesiae colendus proponitur, beatificatio autem non tam est sententia, quam indulgentia seu permissio, ut alicui deferatur cultus religiosus, non in tota Ecclesia, saltem regulariter, sed in aliqua provincia vel regione.

494. Quod attinet ad quaedam martyrum aliorumque sanctorum facta, in Breviario rom. contenta, ait de iis Benedictus XIV.: „Maximae quidem auctoritatis esse Breviarum Romanum in iis, quae per sese ad cultum ecclesiasticum attinent: minoris tamen ponderis esse in privatis factis aut gestis, quae in vita sanctorum ex occasione referuntur, ita ut efficax inde argumentum peti non possit, ubi praesertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quae iis utitur, inconcussa infallibilisque veritatis judicat, quaecunque Breviariis suis sunt inserta, quum multoties pro variis temporibus varia ex occasione ea mutaverit, correxeritque“ (De serv. D. beat. l. 4. p. 2. 113. — Hurter de Eccl. num. 263. et seq. — Lieb. theol. fund. p. II. c. III. art. III. — Alb. a Buls. theol. fund. p. III. sect. I. c. II. art. III. — Mourray obj. auct. Eccl. n. 45 et seq.).

Quae sunt revelata creduntur fide divina, quae vero non sunt revelata, infallibili tamen judicio ab Ecclesia ad credendum proposita, creduntur fide ecclesiastica sive fide mediate divina.

§. 4.

Non omnia, quae in actis conciliorum vel constitutionibus romanorum Pontificum habentur, obligatorie tenenda proponuntur.

495. Quoniam non omnia, quae in actis conciliorum vel constitutionibus romanorum Pontificum habentur, obligatorie ab omnibus credenda proponuntur; et quia, etiam inter credenda, non omnia proponuntur tamquam immediate revelata & definita de fide catholica; idcirco operae pretium erit criteria quaedam statuere, quibus altera ab alteris secernantur. Sermo non est de decretis disciplinae, sed de solis decretis dogmaticis seu doctrinalibus; et de his duo inquirenda sunt: *a)* quomodo in illis ea, quae Ecclesia definire & docere ut obligatorie credenda voluit, ab illis secernantur, quae non sunt definita. *b)* In definitis, quomodo ea, quae de fide sunt, ab illis secernantur, quae non sunt de fide.

496. *Resolvitur quaestio prima.* In conciliis generalibus (de particularibus enim nulla hic quaestio esse potest) ea sola credenda proponuntur, quae in canonibus & decretis proferuntur. Ratio est, quia in illis solis episcopi *intendunt definitive* docere, et, etsi in aliis forsan aliquo modo doceant seu sententias suas proferant, non tamen volunt in his definiendo docere. Hinc quae in congregationibus proferuntur, vel etiam in ipsis sessionibus, et etiam uno animo

atque una voce, si nec in decretis nec in canonibus inveniantur, non sunt ut talia obligatorie credenda. Dico *ut talia;* fieri enim potest, ut alibi definiantur.

497. Quoad argumenta, quae in decretis vel canonibus proferuntur, distinguendum est. Vel enim ex scriptura aut traditione proferuntur, vel ex rationibus theologicis aut philosophicis. Si primum, tunc, si modo definitivo proferantur a concilio vel Pontifice declarante hunc vel illum esse verum sensum scripturae aut cujusdam textus singularis scripturae, aut esse veram traditionem Ecclesiae, sine dubio talis declaratio obligatorie credenda est. In hoc enim casu Ecclesia scripturam vel traditionem judicio dogmatico interpretatur; et in tali judicio infallibilis est. Hoc modo concilium Tridentinum s. scripturam & traditionem in decretis saepius interpretatur: v. g. sess. VI. c. 6.: „*De hac dispositione (ad justificationem) scriptum est*", etc. deinde varios profert textus scripturae. Similiter ibidem, c. 8: *Cum vero Apostolus dicit* (Rom. III.) *justificari hominem per fidem & gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit & expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur*", etc. deinde prosequitur expositionem sensus illius scripturalis & traditionalis. Similiter et sess. XIII. c. 1. de verbis, quibus institutum est sacramentum eucharistiae; et alibi saepius.

498. Si vero textus scripturae proferat concilium hoc vel illo sensu, non definiens sensum istum esse verum sensum a Spiritu sancto intentum, sed vel verba accommodando, vel per modum argumenti ad hominem, vel alio aliquo modo ea usurpando, tunc planum est, concilium non voluisse sensum praefatum pro definito haberi. Idem dicendum est de textibus simili modo adhibitis in constitutionibus rom. Pontificum. Exemplum habes clarum in concilio Trid., sessione XIII. c. 2. ubi, sermonem de eucharistia habens, profert textum ex Joan. VI. 58., quasi de eucharistia in illo textu locutus fuisset Christus, et tamen sess. XXI. c. 1. de illo ipso sermone apud Joa. VI. dicit: *Utcumque juxta varias S. Patrum & doctorum interpretationes intelligatur.* — Censeo concilium sess. XIII. revera non accommodare sed interpretari verba Christi, sed non definiendo; ut patet non solum ex sess. XXI., sed ex modo, quo verba adhibentur sess. XIII; ibi enim simpliciter citatur textus, nullo apposito verbo, quod definitionem vel minimum sonet. In textibus ergo scripturae proferendis aliquando patet, concilium velle eorum sensum definire, aliquando patet, concilium hoc non velle, aliquando vero dubium est de intentione concilii. Si verum existat dubium ejusmodi, tunc nulla est definitio: non magis enim definitio dubia definitio est vera et obligans, quam lex dubia lex est vera & obligans.

499. Haec de argumentis ex scriptura vel traditione eductis, seu potius de interpretatione scripturae vel traditionis. Quoad alia vero argumenta, quae theologica aut philosophica vocantur, in iis proferendis nihil intendit definire concilium vel Pontifex, & ergo nihil definit — hoc enim universaliter verum est, nempe, *nihil definitum esse ultra intentionem definientis.* (Zallinger, libr. Subs. seu Isagog., n. 95.). Ista autem argumenta ob varios fines optimos proferri possunt. Hinc in multis quaestionibus (ut ait Lugo, de justitia & jure, d. 10, n. 2.) „magis certa est conclusio, quam rationes, quae variae a diversis afferuntur ad ejus probationem".

500. *Finis* intrinsecus & ipsius operis in condendis decretis & canonibus, nihil aliud est quam verae fidei conservatio & confirmatio, et errorum damnatio & depulsio. „Cum hujus sacrosancti concilii praecipua cura solicitudo & intentio sit, ut, propulsatis haeresum tenebris, quae per tot annos operuerunt terram, catholicae veritatis lux, Jesu Christo qui vera lux est annuente, candor puritasque refulgeat; et ea, quae reformatione egent, reformentur"; etc. Conc. Trid. sess. II. & alibi saepius. Praeter hunc finem generalem, alia dari possunt motiva particularia quoad decreta particularia, v. g. ex vi horum & illorum argumentorum, ex propensione ad has vel illas sententias, Thomistarum ad Thomisticas, Scotistarum ad Scotisticas etc., vel etiam ex causis minus commendandis. Satis planum est, haec omnia definitioni omnino externa esse, nec ejus auctoritatem et vim obligatoriam ullo modo participare.

501. Obiter dicta non sunt definita. Per obiter dicta censeo ea omnia esse intelligenda quae non sunt ipsa doctrina vel pars doctrinae, quam concilium vel Pontifex diserte suscipit definire & definit. Talia sunt argumenta, de quibus n. 498; verba facta de aliis punctis doctrinalibus, sive cum doctrina hic & nunc definita sint connexa sive non; narrationes factorum; etc. In decretis dogmaticis Tridentinis rariora sunt ista obiter dicta, in canonibus vel nulla vel rarissima: in constitutionibus vero Pontificum, ob diversum modum definiendi, haut ita rara sunt.

502. Inter obiter dicta recensendae sunt opiniones pure philosophicae. Sed quod non semel dictum est contra Jansenisticum erro-

rem hodie de novo excitatum, sedulo prae mente tenendum est, ad infallibilitatem Ecclesiae pertinere, ut nunquam definire possit aliquam propositionem, sive in materia philosophica, sive in ulla alia, cujus definiendae auctoritatem non habeat ex jure divino: et omnem propositionem vere definitam ab Ecclesia statim et absolute acceptandam esse, absque ulla inquisitione materiae, in qua versatur propositio, utrum sit definibilis an non.

503. Sed de his obiter dictis duo notanda sunt: Primum est quod, si forsan in aliquo istorum obiter dictorum v. g. in narratione factorum personalium, error deprehendatur, qui eum reperit patefacere potest, sed cum reverentia, non jactanter et irrisive, ne forsan in maledictionem Chanaani incidat. Secundum est quod, et si obiter dicta et alia non definita non sunt obligatorie credenda, ea tamen esse possunt, quae auctoritatem sibi concilient magnam et permagnam: quod tunc praesertim contingeret, si cum deliberatione solemniori fuerint prolata, vel si in constitutionibus Pontificum eo modo proferantur, qui indicet mentem et sensum S. Sedis permanentem.

504. *Resolvitur quaestio secunda,* de secretione eorum, quae definita sunt de fide ab iis, quae definita quidem sunt, sed non de fide; in ista distinctione statuenda, alia facilia sunt et plana, alia vero difficilia et obscura. Manifesta est res, si concilium vel Pontifex diserte affirmet aliquam doctrinam a) esse de fide, vel b) esse revelatam (sicut definita est immaculata conceptio B. V. Mariae), vel c) doctrinam oppositam esse haereticam (sicut propositiones quaedam damnantur in constitutione „Auctorem fidei“), vel d) si haereticum declaret, qui doctrinam tenet oppositam. Item e) si definiat, doctrinam aliquam esse dogma catholicum, f) si declaret doctrinam esse dogma fidei, vel dogma fidei catholicae, vel g) contineri in scriptura aut verbo Dei. Item, ait Canus si declaret, oppositum esse Evangelio doctrinaeve apostolorum contrarium. Uno verbo definitio est de fide, quaecunque forma verborum adhibeatur, si plane significet doctrinam esse revelatam vel oppositam esse haereticam. Hinc si in decreto dicatur, doctrinam aliquam perpetuo in Ecclesia creditam fuisse, fidem esse omnium, a Patribus traditam fuisse etc., eo ipso affirmatur eam esse revelatam; haec enim nonnisi de revelatis affirmantur. Similiter dicendo doctrinam aliquam esse contra fidem Ecclesiae etc., dicitur eam esse haereticam.

505. Sed revera tanti non est momenti accurata ista in omnibus et exquisita secretio eorum, quae de fide sunt ab aliis definitis. Peccat enim graviter, qui cuicunque definitioni Ecclesiae se opponit, vel qui quamcunque propositionem ab Ecclesia damnatam tenet, sive propositio damnata fuerit ut haeretica, sive sub quacunque alia censura theologica.

506. Veritates pure catholicae plerumque modo negativo, contrariis erroribus damnatis, proponuntur. In concilio Tridentino doctrina catholica statuitur et docetur tum in decretis modo positivo, tum in canonibus modo negativo et directe ad errores oppositos indicandos et damnandos. In capitibus ergo continetur, quid credendum, et in canonibus quid damnandum et non credendum. Hinc certam esse ac veram sententiam censemus, quae affirmat, conc. Tridentinum semper, quotiescunque in capitibus docet et doctrinam proponit, non minus decretorie et infallibiliter docere et definire, quam in canonibus.

507. Ea, quae tradit concilium Tridentinum in capitibus esse fide catholica necessario credenda, colligitur ex fine cujusque sessionis. Sic in prooemio decreti et capitulorum de justificatione sess. 6. haec habentur: „Tridentina synodus ...... exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, etc. . . . districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare, aut docere, quam praesenti d e c r e t o statuitur ac declaratur.“ Deinde sequitur decretum in 16 capita divisum, quibus absolutis haec statim adjunguntur: „Post *hanc catholicam* de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit, placuit sanctae synodo *hos canones* subjungere, ut omnes sciant non solum quid *tenere et sequi,* sed etiam, quid *vitare et fugere* debeant.“ Ex his manifestum est, concilium non minus in decretis, quam in canonibus definitive docere voluisse: imo in decretis *docet,* in canonibus *damnat.* Similia habentur in prooemio et fine decreti sess. 14.: „Haec sunt, quae de Poenitentiae et extremae Unctionis sacramentis sancta haec oecumenica synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus *credenda et tenenda* proponit.“ Similia habentur sess. 21. 22. 23. (De Eccl. Patr. Murray Dublini 1874. p. 441. seq.)

508. *Scholion.* Ex positis principiis varia resultat qualificatio seu censura propositionum. Est autem censura theologica: *judicium seu sententia, qua nota prava et maligna cuidam inuritur doctrinae, tanquam fidei aliquo modo nocivae.* Duplex est sententia theologicam ferens censuram: una, quae *doctrinalis* dicitur, est eorum qui, licet

nulla fruantur auctoritate coelitus sibi commissa ad servandam fidei integritatem, nihilominus tamen varias notant propositiones, quarum virus discernunt eo facilius, quo peritiores sunt et habentur. Talis sententia doctrinalis a doctoribus theologis profertur. Altera sententia, quae propositionibus theologicas inurit notas, *judicialis* appellatur: ipsius auctores sunt episcopi, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, et dedit fidelibus pastores et doctores, ut non circumferantur omni vento doctrinae; unde ipsis pro munere competit depositum fidei servare, veritatem tueri, errores profligare. Censuras autem theologicas pro jure suo ferunt episcopi sive in conciliis, sive extra concilium, sive conjunctim, sive divisim, et unusquisque in sua dioecesi: at infallibilis non est eorum sententia, nisi emanet a corpore episcoporum congregato aut disperso, vel a romano Pontifice etiam solo, ut jam demonstravimus. Hinc judicium dogmaticum, quo theologica censura ab Ecclesia vel rom. Pontifice fertur, generatim definitur: *judicium veritates credendas et errores proscribendos proponens*: vel: *judicium de rebus a Deo revelatis vel cum iis certo et indivulse connexis.*

509. Variae passim recensentur damnabilium propositionum censurae. Alia nimirum propositio est *haeretica*, alia *erronea*, alia *haeresi proxima, sapiens haeresim, haereseos suspecta;* alia *proxima errori, sapiens errorem, suspecta erroris;* alia *impia*, alia *blasphema*, alia *periculosa in fide et moribus;* alia *scandalosa*, *male sonans*, *piarum aurium offensiva*; alia *captiosa*, *temeraria;* alia denique *schismatica, seditiosa, ecclesiasticae hierarchiae eversa, falsa, improbabilis* etc.

510. Has censurarum species singillatim et obiter referemus:

1) Proposito *haeretica* ea est, quae directe et immediate adversatur doctrinae, a Deo revelatae et per Ecclesiam propositae.

2) Communiter theologi censent, propisitionem *erroneam* formaliter constitui per oppositionem mediatam cum doctrina divinitus revelata, eamque esse definiunt, quae opponitur veritati certae theologica certitudine, id est, veritati, quae non sit in se immediate revelata, sed ex uno fidei placito et altero naturali certo et evidenter eruitur. Unde sicut haeresis directe ac immediate opponitur fidei, ita et error proprie ac theologice sumptus directe ac immediate adversatur conclusioni theologicae i. e veritati mediate dumtaxat revelatae seu veritati ex dogmatibus ope rationis deductae.

3) Proposito *haeresi proxima* ea est, quam major ac sanior theologorum pars ex scriptura et traditione judicat haereticam, etsi tamen non audeat absolute ac simpliciter eam pronunciare haereticam, quod aliqui graves theologi contendant, ipsi censuram hujusmodi inuri non debere. Propositio ergo haeresi proxima non est confundenda cum erronea: haec conclusioni theologicae, illa placito fidei

ex communi ac fere omnium theologorum consensu, paucis ex adverso dissentientibus levi ductis fundamento, adversatur.

4) Proposito *haeresim sapiens* ea est, quae utriusque sensus: sani et pravi, capax est; attamen sensum pravum sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum loci, temporis, personarum etc. praevalentem involvit, vi cujus nata est gravem de haeresi suspicionem ingerere.

5) Propositio *de haeresi suspecta* ea est, quae ex sese utriusque sensus: catholici et heterodoxi, capax est, quaeque sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum, sufficiens praebet fundamentum, non quid ad probabile judicium ferendum, quod auctor sit haereticus, sed solum ad suspicionem et timorem aliquem absque temeritate de eo concipiendum.

6) De propositionibus: *proxima errori, sapiente errorem, suspecta de errore*, eodem prorsus modo est judicandum, servata proportione, sicut diximus de propositione haeresi proxima, sapiente haeresim et suspecta de haeresi.

7) Notae *male sonans et piarum aurium offensiva* ab invicem non distinguuntur, et de utraque propositione eo fere modo dicendum, quod de propositione sapiente haeresim, aut suspecta de haeresi: hoc solo discrimine, quod propositio haeresim sapiens, aut de haeresi suspecta respiciat credenda, circa quae sensus praevalens sit omnino haereticus; male sonans vero aut piarum aurium offensiva respiciat agenda, vel si credenda, non ita, ut sensus praevalens sit penitus haereticus, sed aliqua infra haeresim pravitate infectus. Hinc propositionis male sonantis seu piarum aurium offensivae natura in eo consistit, quod ita formetur, ut, quamvis in bonum sensum exponi queat, nihilominus pravus ipsius sensus sive ex intrinseca natura, sive ex circumstantiis extrinsecis, sano & catholico praevalens ac praeponderans, pias aures offendat malumque sensum praeseferat.

8) Propositio *temeraria* ea est, quae communi SS. Patrum doctrinae adversatur aut quae constanti theologorum sententiae contradicit insolenter & audacter nulla doctorum auctoritate. — Propositio autem *scandalosa* ea est, quae dat occasionem ruinae spiritualis inclinando ad peccata, vel avertendo a virtutum exercitio.

9) De Lugo *schismaticam* propositionem definit, quae sine haeresi promovet schisma, vel illud generare potest; vel ad illud ind .cere. — Propositio *seditiosa* ea est, quae ab obedientia principibus civilibus debita retrahit, aut ad tumultus in republica excitandos conducit.

10) Propositio *blasphema* ea est, quae contra Deum vel contra Deiparam aut sanctos aut res sacras convicium continet, illis debitas detrahendo perfectiones, vel indebitos affingendo naevos, aut ipsis desiderando aut imprecando malum aliquod vel carentiam alicujus boni. — Propositio *impia* est doctrina, quae pietatis opera deprimit ac depretiat, debitum sc. cultum Deo ut supremo omnium nostrum Patri; honorem parentibus & consanguineis, superioribus & benefactoribus obsequia & debitam gratitudinem aufert aut imminuit.

Hucusque celebriores propositionum censurae. Nunc nonnullas minus praecipuas afferemus.

11) Propositio *injuriosa* seu *contumeliosa* ea est, quae alicui vel personae, vel statui injuriam infert: dixi, personae vel statui; nam si sit in Deum, est blasphema.

12) Propositio *captiosa* ea est, quae sub specie quadam veritatis aut pietatis in errorem inducit.

13) Propositio verbo Dei *contraria* dicitur, quae opponitur veritati revelatae quidem, sed nondum ut tali supremo Ecclesiae judicio definitae.

14) Propositio *improbabilis* ea est, quae nullo scripturae aut traditionis testimonio aut nulla theologica ratione nititur.

15) Propositio *falsa* ea est, quae identitatem, propinquitatem aut necessariam connexionem dicit cum propositione expresse damnata, quaecunque tandem sit censura, qua inuritur dicta propositio: & in hoc differt a nota erroneitatis, quae necessariam connexionem dicit cum propositione expresse damnata ut haeretica

Ceterarum censurarum notitia ex sola vocum interpretatione haberi potest.

511. Triplici modo damnari possunt dogmaticae propositiones. *Primus* est, quum propositiones singillatim referuntur, iisque singulis debita opponitur censura.

Secundus est, quum nulla relata propositione integer damnatur liber ut venenosus.

Tertius modus, inter duos praecedentes medius, propositiones quidem singillatim refert, ast notas singulis non applicat, sed in unum congestas, propositionibus *respective* convenire asserit. Tales sententiae proscribi & damnari *in globo* dicuntur. Particula autem *respective*, quae reperitur in decretis, in quibus propositiones *in globo* damnantur, duo significat. *Primum*, nullam esse notam ex assignatis, quae non alicui saltem competat propositioni: est enim Spiritus sanctus, qui dogmaticis Ecclesiae judiciis praeest, est inquam, Spiritus & prudentiae, quae poenam non affligit vanam & inanem; justitiae, quae modum poenae nec minuere nec excedere debet. *Secundum*, nullam esse ex propositionibus, quae aliquam non mereatur notam, quia idem Spiritus veritatem tuetur, nec immunem ab omni labe propositionem cum reis, foedis & perniciosis miscere potest aut sinit. Haec duo certa manent vi decreti dogmatici; haec duo definit Ecclesia tali decreto; haec duo quisque tenere debet. *Tertium* autem, nempe quae nota singulis competat propositionibus, obscurum est, sed nec absolute requisitum, ut sana servetur doctrina perversaque vitetur. (Tournely Praelect. theol. tom. II. de locis theol. p. 348 seq.)

Articulus III.

Christus in sua Ecclesia instituit imperium seu potestatem legislativam, judiciariam & coactivam.

512. Ecclesia accepit a Christo auctoritatem. Hic auctoritatis vocem usurpamus in ordine ad regimen ecclesiasticum. Auctoritas

proinde sic accepta pro objecto habet potestatem Ecclesiae *legislativam, judiciariam & coactivam.* In hac triplici potestate consistit sacrum imperium, quod etiam *potestas regiminis* seu *jurisdictionis* nominari solet. Habet Ecclesia quidem & *potestatem magisterii & potestatem ministerii* seu *ordinis;* ast de hac utraque potestate alibi occurrit sermo. Hic est sermo tantum de *imperio sacro* sive de potestate leges ferendi, hominum actiones judicandi & refractarios coercendi seu puniendi.

513. Christum apostolis potestatem dedisse *leges ferendi* eaque ordinandi, quae ad Ecclesiae finem conducunt, probatur sequentibus rationibus:

1) Ecclesia habet omnem illam potestatem, quam Christus concessit Ecclesiae. Sed Christus concessit Ecclesiae potestatem ferendi leges ecclesiasticas. Ergo Ecclesia habet potestatem ferendi leges. Et sane Christus (Mat. XVIII. 18.) ait: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in coelis: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta & in coelis.* Hisce verbis traditam esse apostolis potestatem legislativam, probatur: a) Ex *obvio verborum sensu;* nam *ligare* significat impedire, quominus alius pro libitu agere possit; ligantur autem homines in societate justis legibus, quibus ipsorum libertas coarctatur; ligare ergo significat idem ac prohibere seu legem ferre, sicut *solvere* idem est ac permittere seu legem abrogare vel relaxare. b) Ex *modo loquendi* Judaeis usitato, quibus ligare et solvere idem erat ac leges ferre & leges abrogare. c) Ex *locis biblicis parallelis.* Christus, ut ostendat, se divina V. T. praecepta non abrogare velle, dicit: *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* (Mat. V. 17.) De pharisaeis autem, qui cum maximo rigore nonnulla praecipiebant & alia interdicebant, Christus ait: *„Alligant onera gravia, et importabilia, et imponunt super humeros hominum.“* (Matth. XXIII. v. 4.) Ubi certe ligare significat legem imponere. d) Ex *contextu.* Christus enim in praecedenti versiculo praecipit, ut delinquens Ecclesiae denuntietur, et si hanc non audierit, ut ethnicus & publicanus habeatur; quorum non aliam rationem reddit, nisi quod apostolis potestas ligandi & solvendi competit.

2) Christus ante ascensionem ad apostolos dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Jo. XX. 21.). Christus ergo eadem ratione, eadem auctoritate & potestate misit apostolos ad propagandam & regendam Ecclesiam, qua ipse fuerat missus a Patre. Chri-

stus autem a Patre *potestatem legislativam* & habuit & exercuit; saepe enim de suis praeceptis & mandatis locutus est. Si ergo apostoli, eadem potestate instructi, a Christo missi sunt, qua Christus a Patre missus est, certe etiam ipsis potestas legislativa concessa fuit.

3) Apostoli, verborum Christi optimi interpretes, potestatem legislativam sibi adjudicarunt eamque actu exercuerunt. Veram enim legem non ut praecones revelationis, sed ut praesules Ecclesiae in concilio hierosolymitano tulerunt, fidelibus praecipientes, ut se abstineant *ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato.* (Act. XV. 28.) Leges istae ubique statim propagatae sunt, earumdemque observantia ab omnibus exacta fuit. Legitur enim (ib. v. 41): Paulus perambulabat *Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias, praecipiens custodire praecepta apostolorum & seniorum.* Ipse etiam Paulus legem tulit, quod vir aperto, mulier autem velato capite orare debeat, cujus rei etiam rationes affert, et demum addit: *Hoc autem praecipio* etc. (I. Cor. XI. 17.).

4) Prob. ratione. Sine imperio nullam societatem bene ordinatam consistere posse, philosophi docent, juris periti probant, historia confirmat. Quum autem Christus regnum divinum morale fundaverit seu societatem religiosam instituerit eamque bene ordinatam esse voluerit, absque dubio illam etiam sacro imperio instruxit.

514. Apostoli a Christo potestatem acceperunt non solum judicandi in controversiis fidei, sed etiam *judicandi de actionibus fidelium,* & quidem non solum in foro interno seu in tribunali poenitentiae, sed etiam in foro externo. Est autem haec potestas judiciaria, quae in foro externo exercetur, *legitima facultas actiones subditorum examinandi & de earumdem bonitate vel malitia, merito vel culpa authenticum judicium ferendi.* — Hanc quoque potestatem a Christo apostolis concessam esse, manifestum est. Potestas enim legislativa judiciariam necessario involvit; nam hac sublata leges vanae sunt & nullae. Et sane Christus ait: *Si peccaverit in te frater tuus ... dic Ecclesiae, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus* (Mat. XVIII. 15—17), ubi per Ecclesiam intelligitur coetus pastorum, non jam universus populus; agitur enim de Ecclesia, quam audire oportet; agitur de Ecclesia, quae possit ligare & solvere, uti ex versu sequenti apparet; ergo de Ecclesia *imperante* agitur, quam soli praesules ecclesiastici constituunt. Refractarius ergo, si fraternae correctiones irritae sint, denuntiandus est Ecclesiae ex Christi praecepto, quod inutile & absonum esset, si Ecclesia illum

judicare non posset. Christus ergo certe Ecclesiae, quam tunc apostoli constituerunt, potestatem judiciariam dedit & ita dedit, ut omnibus strictissimam obligationem imposuerit, se judicio Ecclesiae subjiciendi, nisi ut ethnici & publicani haberi velint.

Apostoli omnino persuasi fuerunt de tradita sibi judiciaria potestate; ideo hanc sedulo exercuerunt. Sic Petrus judicium tulit de Anania & Saphira (Act. V.), & Paulus, quum comperisset turpissimum incestum, Corinthi commissum, zelo justitiae plenus scripsit: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens eum qui sic operatus est* (I. Cor. V, 3); quibus in verbis verum judicium occurrit, non ab omnibus, sed ab uno apostolo latum. Idem apostolus, dum (l. c. v. 12) scribit: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* satis clare manifestat, se judicare posse de iis, qui intus i. e. in Ecclesia sunt. Apostoli ergo in omnimoda persuasione fuerunt, traditam sibi esse a Christo potestatem sicut ligandi & solvendi, pascendi & vigilandi: ita etiam judicandi.

515. Parum prodest potestas legislativa & judiciaria, nisi illi addita sit *potestas coercitiva* seu *punitiva,* quae est *potestas superioris subditis inobedientibus & refractariis irrogandi poenas ad medelam vel publicam vel privatam.* Ordo enim & bonum societatis solummodo obtinetur per accuratam legum observantiam, quam ideo, considerata corrupta hominum indole, etiam per poenas promovere oportet. Sicuti ergo hanc ob causam in quacunque bene ordinata societate cum potestate legislativa & judiciaria etiam coercitiva conjuncta existit: sic certe Christus Ecclesiam, quam omnibus ad finem ipsius mediis abunde instruxit, nullatenus hac necessaria potestate destitutam esse voluit. Sane in ss. literis comperimus, potestatem coercitivam a Christo apostolis traditam fuisse.

Christus enim ipse modum puniendi refractarios docuit, dum de peccatore apud Ecclesiam denuntiato dicit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus;* ex quibus verbis sic argumentamur. Ecclesia ex confessione Christi erga refractarium ita se gerere potest, sicuti erga ethnicum & publicanum. Atqui erga illos ita se gerere solet Ecclesia, ut illis non communicet bona quaedam spiritualia communium suffragiorum, neque etiam cum illis consuetudinem conversationis externae habeat, quam habet cum suis membris. Ergo potest Ecclesia subditos suos refractarios eodem illo bonorum genere privare. Ergo potest illos excommunicare, quum excommunicatio nil aliud sit, quam censura ecclesiastica privans

baptizatum communione bonorum Ecclesiae; quae excommunicatio, dum publica auctoritate fit & cunctis Ecclesiae bonis, maximo honore habendis, privat, certe gravissima poena est.

516. Hinc Paulus, qui parem cum ceteris apostolis, potestatem a Christo obtinuit (Gal. I. 1.), se potestate coercitiva instructum esse, publice professus est. Nam (I. Cor. IV. 21.) scribit: *quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?* per virgam autem, spiritui charitatis et mansuetudinis oppositam, rigorem et poenarum inflictionem intelligi nemo dubitabit. Idem (II. Cor. X. 6) de apostolis dicit, quod sint *in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*; et (II. Cor. XIII. 10) ait: *Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus.* Poterat ergo Paulus non solum praedicare et verbis delinquentes corrigere, sed poterat etiam cum istis durius agere i. e. illos punire, et quidem *secundum potestatem*, quam ei non *populus*, non *princeps*, sed *Dominus* dedit.

Ideo Paulus hanc potestatem coercitivam data occasione actu etiam exercuit, et quidem modo verbis Christi (Math. XVIII. 17.) consentaneo. De flagitioso enim Corinthio scribit: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu jam judicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine D. N. J. Christi, congregatis vobis, et meo spiritu, cum virtute D. N. Jesu, tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. J. Christi.* (I. Cor. V. 3 seq.) Occurrit hic publica et solemnis excommunicatio in nomine Christi et auctoritate divina lata. Tradi enim satanae nihil aliud est, quam ab Ecclesiae societate segregari, et ejusdem bonis, precibus fidelium, sacramentis etc. privari ita, ut anima et corpus potestati satanae relinquantur. Eamdem excommunicationem Paulus tulit etiam in Hymenaeum, et Alexandrum, qui errores fidei oppositos spargebant. Nam I. Tim. I. 19. commendat fidem et bonam conscientiam, *quam quidam repellentes circa fidem naufragarunt, ex quibus est Hymenaeus, et Alexander, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare.*

Animadvertendum est, Deum, ne potestas Ecclesiae undique afflictae vilesceret, eam primis temporibus portentoso interdum effectu sustentasse, et permisisse, ut excommunicatione perculsi a satana vere obsiderentur, ac morbis aliisque aerumnis gravissime affligerentur, tum ut hi efficacius corrigerentur, tum ut alii a contumaci inobedientia aliisque sceleribus deterrerentur. Ex hac sane causa factum est, ut Ananias et Saphira, quos Petrus poena dignos pronuntiavit, praecoci morte abriperentur (Act. V.) et Elymas magus ad increpationes Pauli derepente coecitate feriretur (Act. XIII, 11) Quae omnia luculenter ostendunt, apostolos divina auctoritate jus habuisse refractarios coercendi et scelera vindicandi.

517. Probatur idem ex praxi antiquissima Ecclesiae, quae tum in conciliis tum extra illa refractarios ac contumaces praecipue autem haereticos: Marcionem, Montanistas, Novatianos, Arianos, Nestorianos, Eutychetem aliosque anathemate perculit. Atque haec non modo ostendunt, dari in Ecclesia potestatem coactivam censuris animadvertendi in refractarios, verum etiam hanc potestatem esse penes *solos* superiores ecclesiasticos, qui a Spiritu sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei. Idem observari debet etiam relate ad potestatem leges ferendi et potestatem judiciariam. Omnia enim argumenta probant, *soli* Ecclesiae *independenter* a civili potestate traditam esse a Christo potestatem legem ferendi, judiciariam et animadvertendi in refractarios. Triplex enim haec potestas est prorsus distincta a potestate civili; quia potestas ecclesiastica ordinatur ad finem supernaturalem, et originem habet a jure positivo divino: civilis autem ordinatur ad finem naturalem, ad servandam nempe reipublicae pacem, estque a Deo ut autore naturae. Utraque itaque potestas spiritualis et secularis deducitur a potestate divina; et ideo in tantum secularis potestas est sub spirituali, in quantum est a Deo supposita, scilicet in his, quae ad salutem pertinent. Et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali quam seculari. Hanc supremam atque a potestate laica independentem potestatem semper inculcarunt SS. Patres et romani Pontifices. Sic S. Ambrosius (ep. 20): „Mandatur: Trade basilicam. Respondeo, nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, imperator expedit . . . Scriptum est: Quae Dei Deo, quae caesaris caesari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiae. Publicorum tibi moenium jus commissum est, non sacrorum.“ S. Gregorius Nazianzenus (orat. XVII. ad imperatorem) perorat: „Vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subjicit: imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam praestantius ac perfectius.“ S. Joannes Damasc. (orat. II. de imag.) ait: „Penes imperatores potestas non est, ut Ecclesiis leges sanciant. Attende, quid dicat Apostolus: quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio pastores et doctores ad perfectionem Ecclesiae; non adjecit imperatores. Verbum locuti non sunt vobis reges, sed apostoli et prophetae, pastoresque et doctores.“ Pulcherrima sunt verba S. Gelasii ad Anastasium imperatorem: „Duo sunt, imperator auguste, quibus principaliter hic

mundus regitur: autoritas sacra Pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis: inque sumendis coelestibus sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis potius ordine, quam praeesse. Nosti itaque inter haec, ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.“

Merito itaque proscriptae sunt sequentes syllabi propositiones. Prop. 19. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, neque pollet suis constantibus et propriis juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat. Prop. 20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu. Prop. 24. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. Prop. 28. Episcopis, sine gubernii venia fas non est, vel ipsas Apostolicas litteras promulgare. Prop. 34. Doctrina comparantium romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia doctrina est, quae medio aevo praevaluit. Prop. 41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus, quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, ab abusu. Prop. 42. In conflictu legum utriusque potestatis jus civile praevalet. Prop. 44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Prop. 54. Reges et principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, sed etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

518. Illud certum est atque exploratum, nunquam regna pulchrius floruisse, quam dum concordia viguit sacerdotium inter et imperium, suaque ecclesiastico statui privilegia sunt servata. Ideo „sic sibi spiritualis et materialis gladius mutuae mutuant subventionis auxilium et vicissim communicant vires suas, ut defectus ope vicaria suppleant et uterque alterius suppleat imperfectum“ (Innoc. III. ep. VII. 54. Reg. Bohem.). Ad rem S. Augustinus: „Quomodo ergo reges serviunt in timore, nisi ea, quae contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo et plectendo? . . . In hoc ergo serviunt Domino reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere nisi reges.“ (Ep. 185.) Quousque ergo, historia testante, privilegia sunt servata status ecclesiastici, profecit in augmentum sui conservatus a Deo status regni. At postquam haec coeperunt parvi pendi, labefactatus de die in diem, et jam pene in nihilum redactus est ille, qui quondam florebat vigebatque, status hujus regni: et ita inolevit malum, quod a transactis retro coeperat annis, ut jam principalis potestas putet sibi licere, secus quam auctoritas divina se habeat, in causas ecclesiasticas prosilire, et duce sancto Spiritu statutum a Patribus Ecclesiae ordinem pervertere. (Troslejana syn. tom. VI. p. I. coll. Harduin. Concil. colum. 512. — Sardagna theol. dogm. de Eccl. art. II. controv. VI. — Alb. a Buls. theol. fund. p. III. sect. I. c. III. art. I.)

Ecclesiae docenti ideo tantum potestas coercitiva denegari non potest, quia gladium non portat, et per se vim physicam adhibere nequit; nam poena vel in irrogatione mali vel in subsractione boni consistit, et ideo Ecclesia sicut plurima bona dispensare, sic etiam haec refractariis denegare potest. Haec autem poena refractario infligitur, tum ne bonis ecclesiasticis abutatur, tum ut eorumdem jactura perterritus resipiscat, tum ut fideles a scandalo praeserventur. Talis ergo poena ex justis causis et ad optimum finem inflicta spiritui charitatis et mansuetudinis in evangelio commendato non opponitur. Christus enim ipse, perfectissimum charitatis et mansuetudinis exemplar, Pharisaeos et Scribas, hypocritas, dire et publice corripuit (Math. XXIII) et ementes ac vendentes e templo ejecit (Luc. XIX. 45). Dum autem gravium criminum reus ecclesiasticis bonis privatur, non jam aeger a medicina excluditur, quam Ecclesia ipsi libentissime exhibet, dummodo serio emendatus ad ipsam humiliter recurrat.

Conclusio.

519. Scopus totius hujus tractatus de Ecclesia fuit: ostendere *Ecclesiam catholicam* esse veram Christi Ecclesiam. Et obtentus est iste scopus. Demonstravimus enim, nullam esse ecclesiam praeter catholicam, quae omnia illius formae, quam Christus Ecclesiae suae impressit, lineamenta referat. Unde deduximus, *Ecclesiam romano-catholicam* esse **veram** Christi Ecclesiam; esse **solam** veram Christi Ecclesiam, custodem et magistram verbi revelati, quae Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: quae nostra est mater, cujus foetu nati sumus, cujus lacte nutriti, cujus spiritu animamur, quae nos Deo servat, quae filios regno quos generavit assignat. Quis obliviscatur amoris, quis obliviscatur gemitus matris suae? Si oblitus fuero tui, Ecclesia sancta catholica, oblivioni detur dextera mea! Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui! Eja ergo laetamini omnes cum nostra matre Ecclesia, Jerusalem nova, *et exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam.*

Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus: ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. Quia haec dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt: et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis. (Isa. LXVI. 10—15.)

Sectio posterior.

De romano Pontifice.

520. Quaestionis de romano Pontifice magnitudo atque utilitas ex duobus potissimum intelligitur: ex magnitudine rei, de qua agitur, quaeque in dubium revocatur, et ex multitudine et contentione adversariorum. De quanam re agitur, quum de primatu Pontificis agitur? Brevissime dicam: de summa rei christianae. Id enim quaeritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vero dissolvi et concidere? Quid enim aliud est quaerere, an oporteat ab aedificio fundamentum removeri, a grege pastorem, ab exercitu imperatorem, solem ab astris, caput a corpore, quam an oporteat aedificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sidera obscurari, corpus jacere?

521. Adversarii, id est haeretici, quum in aliis fere dogmatibus non minus inter se quam a nobis dissentiant, in hoc tamen omnes conveniunt, ut totis viribus summaque animi contentione romani Pontificis sedem oppugnent. Nulli fuerunt unquam hostes Christi atque Ecclesiae, qui simul cum hac sede bellum non gesserint. (Bellarm. in praef. in lib. de rom. Pont.).

522. Hujus muneris sacramentum (scribit S. Leo. M. ep. 89.) ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro, apostolorum omnium summo, principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Cui quisquis principatum aestimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiae suae semetipsum in inferna demergit.

523. Intimus igitur nexus inter corpus et caput, id est, inter Ecclesiam et ejus principem B. Petrum ejusque successores expostulat, ut tractatum de vera Christi Ecclesia subsequatur tanquam ejusdem complementum tractatus de rom. Pontifice, qui proinde sectionem posteriorem partis III. theologiae fundamentalis constituit.

524. Quum totius doctrinae de romano Pontifice nexus in prooemio constitutionis dogmaticae primae de Ecclesia Christi editae in sessione IV. sacrosancti oecumenici concilii Vaticani exhibeatur, sufficit hic proferre ipsum prooemium.

„Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in Domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant, per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt.

Quemadmodum igitur apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret. Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset Ecclesiam, contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos, errores proscribere et condemnare."

525. Totam igitur doctrinam de romano Pontifice quatuor capitibus absolvemus; agemus enim: 1) de apostolici primatus in beato Petro institutione; 2) de perpetuitate primatus beati Petri in romanis Pontificibus; 3) de vi et ratione primatus romani Ponti-

ficis: 4) de romani Pontificis infallibili magisterio. Quibus capitibus adjungemus appendicis instar caput *quintum*, in quo tractabimus de romanorum Pontificum potestate temporali.

Caput I.

De apostolici primatus in beato Petro institutione.

Articulus I.

Beatus Petrus non solum honoris, sed etiam verae propriaeque jurisdictionis primatum in universam Dei Ecclesiam a Christo Domino directe et immediate accepit.

526. Ne Ecclesia Dei acephala remaneret, primatus potestatis et jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro apostolo promissus et collatus est a Christo Domino. Porro nomine primatus *honoris* omnis illa praerogativa intelligitur, quae in collegio aequalium primo inter pares competere solet. Nomine vero primatus *jurisdictionis* venit illa praerogativa, qua quis verus aliorum superior veramque in eos tamquam in sibi subditos potestatem habens constituitur. Huic doctrinae catholicae aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui, constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant, *solum* Petrum prae ceteris apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum aut qui affirmant, eumdem primatum non immediate et directe ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

527. Docemus itaque imprimis, *primatum jurisdictionis* in universam Dei Ecclesiam *immediate et directe* beato Petro apostolo *promissum* a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat: Tu vocaberis Cephas (Joan. I. 42.), postquam ille suam edidit confessionem inquiens: Tu es Christus, filius Dei vivi solemnibus his verbis allocutus est Dominus: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* (Matth. XVI. 16—19.). Ex his verbis duo demonstrantur:

1) omnem Christi promissionem hoc contextu contentam referri ad Petrum;

2) promitti a Christo verum primatum non honoris tantum, sed praecipue jurisdictionis.

528. *Probatur pars I.* i. e. probatur *omnem Christi promissionem hoc contextu contentam immediate et directe referri ad Petrum;* probatur autem

1) *ex narrationis evangelicae serie.* Verba enim Christi tum interpretationem continent novi nominis *Petri,* tum remunerationem pro insigni fidei confessione. Sed *unus* Simon dictus fuit *Petrus, unus Petrus* confessus est Christum Dei esse Eilium. Hinc sicut Gen. XVII. 5. Deus postquam dixit: „*Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham*“, statim subjicit rationem: *quia Patrem multarum gentium constitui te,* ita et hic ratio appellationis *Petri* redditur inciso sequenti: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

2) *Ex ratione linguae syriacae,* qua usus est Christus; hinc dixisse putandus est: Tu es Cephas et super hoc Cephas, seu tu es saxum et super hoc saxum aedificabo Ecclesiam meam. Sed si in utroque inciso idem est nomen, praesertim si in altero inciso repetitur cum pronomine *hoc,* ad idem illud referri debet subjectum. Verba ergo: *et super hanc petram,* referri debent ad Petrum.

3) Hoc suppeditat ipsa *grammaticalis constructio.* Et sane nisi pronomen *hanc* referratur ad Petrum, proxime nominatum, nihil plane est in toto anteriori contextu, ad quod possit referri; nihil enim in eo est, quod sub petrae conceptu fuerit exhibitum, ut correlative ad ipsum subjungi potuerit: et super hanc petram. Et grammaticalis ergo constructio expostulat, ut verba: *super hanc petram* ad Petrum referantur. Et profecto quis non videt, pronomen demonstrativum *hanc* positum esse loco relativi, perinde ac si dixisset Christus: Tu es petra, super quam aedificabo Ecclesiam meam?

4) Idem colligitur ex ipsa *naturali connexione propositionis.* Quis enim haberetur nexus in sententia Christi, si aliud quidvis sit petra et non Petrus proxime ante nominatus Cephas seu petra? Diceret enim Christus: Tu es Cephas, imo etiam tanta praevia affirmatione: Et ego dico tibi, quia tu es Cephas, et interim quid porro? Scito aliud a te distinctum subjectum fore Ecclesiae petram. Quis unquam tali modo sententias suas connectit?

Tot igitur modis Christus in hoc contextu Petri personam designavit, ut non pluribus adjunctis describere soleant aliquem certum hominem notarii illi, qui publica instrumenta conficiunt. Expressit enim substantiam personae singularis per pronomen *tibi;* deinde addidit nomen inditum in nativitate, quum ait: *Beatus es Simon.* Adjunxit nomen patris, quum dixit: *Filius Jonae.* Mox etiam adjicit nomen a se recens impositum subjungens: *Ego dico tibi, qiua tu es Petrus.* Atqui nihil absurdius quam tam accurata personae designatio, nisi ipsam Petri personam designare Christus intenderet.

529. Modo probatur pars II. i. e. probatur, *promisionem Petro* (Matth. XVI.) *factam non spectasse solum primatum honoris, sed etiam jurisdictionis in universam Ecclesiam.*

Petro fuisse promissum honoris primatum non indiget demonstratione, quum et plerique adversarii eundem Petro collatum fateantur, et, si quid concedatur fuisse Petro a Christo promissum, saltem primatum honoris promitti oportuit.

530. *Primatum jurisdictionis* Matthaei XVI. Petro promitti, probatur imprimis ex verbis: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Hic Christus induit personam sapientis architecti: *aedificabo.* Ecclesia vero Christi (i. e. omnes et singuli fideles simul cum ceteris apostolis, iique collecti in unitatem societatis) exhibetur sub imagine *aedificii,* quemadmodum plerumque in scripturis repraesentatur sub figura *templi, domus.* Petrus demum dicitur ea petra, supra quam Ecclesia aedificatur. Sermo igitur Christi metaphoricus manifeste indicat, Petrum se habere ad Ecclesiam Christi, ad Ecclesiam universam i. e. ad societatem a Christo instituendam sicut fundamentum ad aedificium.

Atqui fundamentum est pars maxime *necessaria,* quae *firmitatem, stabilitatem et unitatem* aedificio tribuit, *extra quam* aedificium aut aliqua pars aedificii esse nequit. Ergo et Petrus pars est maxime *necessaria Ecclesiae,* a qua Ecclesia universa *firmitatem, stabilitatem* et *unitatem* nanciscitur, citra quam Ecclesia esse nequit, et a qua si quis separetur, in Ecclesia esse desinit.

Sed quod est maxime necessarium in societate, quod est principium stabilitatis et unitatis in societate, id cui necesse est adhaerere omnes qui velint in societate esse, est *auctoritas,* a qua universa societas pendet et regitur, hoc est *auctoritas suprema* in societate, quae principium est efficax unitatis in societate et a qua sola, si firma et stabilis sit, potest firmitatem et stabilitatem societas habere. Illa ergo persona, quae id est in Ecclesia quod fundamentum in aedificio potitur suprema auctoritate in Ecclesia, ac proinde habet vere et proprie dictum primatum jurisdictionis.

Ergo, quum haec verba: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* significent supremam potestatem in Ecclesia alicui conferendam, et haec verba dicta sint uni Petro: suprema in Ecclesia auctoritas *uni Petro* est promissa, et idcirco ea forma regiminis promissa est, quae *monarchia* dicitur.

531. *Corollaria.* 1) Ergo Petro promissa est suprema auctoritas in universam Ecclesiam, et in omnes et singulos, qui ad Ecclesiam spectant.

2) Ergo, quum ceteri apostoli etiam collegialiter adunati ad Ecclesiam spectent et sint distincti a Petro, in eos quoque suprema auctoritas est Petro promissa.

3) Ergo ille tantummodo coetus christianus est Ecclesia Christi, quae *Petro* cohaeret.

532. Dum Petrus per auctoritatem in terris cum Christo et Christi loco regnat, alterum, quod ei promissum est, obtinet: *Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis* (Matth. XVI. 19.). Clavium traditione ex usu gentium is, cui traduntur, constituitur vel dominus loci vel praeses, qui domini vices agat. Hic ergo, ubi de clavibus *regni* sermo est, earum traditione officium et potestas loco regis *regnandi* significatur; quod iis, quae de potestate ligandi et solvendi sequuntur, etiam magis cognoscitur; potestas enim ligandi et solvendi est potestas actuum vere et proprie jurisdictionalium, qui veram et omnimodam in exercente jurisdictionem supponunt, quique ex potestate clavium quasi corollaria deducuntur. At potestas promittitur super *terram* ligandi et solvendi; itaque per regnum coelorum hoc loco, ut saepe alibi, intelligitur regnum Christi in terris sive Ecclesia. Petro ergo per *claves* veri nominis potestas et auctoritas spondetur, per claves vero *regni* promittitur illi potestas in *regnum,* quae non potest esse nisi potestas *regia,* ideoque potestas *supremae jurisdictionis* in regnum Christi in terris i. e. in Ecclesiam.

Exinde tamen non sequitur, apostolos omnes, quibus dictum est (Matth. XVIII. 18.): *Amen dico vobis, quaecunquae alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecunquae solveritis super terram erunt soluta et in coelo,* eamdem potestatem habere, quae collata est Petro (Matth. XVI. 12.). Imo si vere a Christo eadem, quae apostolis eorumque successoribus tributa sunt, etiam

Petro soli ejusque successori, et solemniori quidem modo, tributa sunt; nonne statim sequitur, eamdem potestatem, quae toti corpori inest, etiam soli capiti inesse? At ne hoc quidem verum est, collegio apostolorum prorsus eadem, quae Petro, promissa vel data esse. Nam dignitas *fundamenti* totius Ecclesiae est *uni Petro* collata, ad quem Petrum proinde etiam ceteri apostoli se habent ut *fundati in ipso*, non *ex aequo fundantes*: claves regni uni Petro sunt datae, cui idcirco quicumque ad regnum spectat, ideoque ceteri apostoli subditi sunt: haec duo non sunt communia facta ceteris apostolis. Atqui id jam per se ostendit, non eamdem esse dignitatem Petri et ceterorum apostolorum: Petrus ergo nec in potestate ligandi et solvendi parem habere potest. Et sane in conceptu *clavium regni* duo continentur; tum potestas quaecunque ligandi et solvendi; tum *supremus gradus et independentia* hujus potestatis, quae suprema et independens potestas per metaphoricam traditionem clavium regni directe repraesentatur, quum principium et fons sit omnis potestatis in regno, qui claves habet regni. Hinc potestas ligandi et solvendi data ei, qui claves habet regni, est potestas prorsus independens a quocumque membro regni; potestas vero ligandi et solvendi data iis, quibus claves non sunt datae, dependentiam habet ab eo, qui claves obtinet regni. Quum ergo subditi apostolorum quoad potestatem ligandi et solvendi sint ceteri fideles, subditi vero Petri universa sit Ecclesia ac proinde et ipsi apostoli, qui membra sunt Ecclesiae, patet, potestatem Petri praestare potestati apostolorum.

533. Idem *primatus jurisdictionis* seu *supremae episcopalis auctoritatis* demonstratur verbis Christi, quibus ipse primatus Petro *confertur* sub metaphora totius gregis Christi: *Pasce agnos meos . . . pasce oves meas* (Joan. XXI). His verbis Petro primatum collatum fuisse, facile probatur. Nam

1) haec verba ad *solum* Petrum spectant. Evangelista enim scribit: *dicit Simoni Petro Jesus*, et Christus ter ipsum designat nomine proprio et nomine patris: *Simon Joannis!* ac praeterea interrogatio excludit ceteros dicens: *diligis me plus his?* ideoque ipse Petrus proprio et non aliorum nomine respondit: *Tu scis Domine! quia amo te;* unde etiam verba Christi: *pasce agnos meos, pasce oves meas* ceu remuneratoria pro maximo amore *soli Petro* dicta sunt.

2) Per *munus* autem *pascendi* ipsa potestas regendi designatur. Ad pastoris enim officium pertinet: gregi cibum praebere, ipsum ducere, reducere, tueri, regere, corrigere etc. Ergo qui in societate religiosa, id est in Ecclesia pastor constituitur, debet: docere seu pabulum doctrinae praebere, gregem per adaequatas leges dirigere, a deviis arcere, lupos repellere, aberrantes corrigere, etc, id est potest et debet fideles regere. Id confirmatur ex locis parallelis, in quibus *pastor*, *pascere* idem est ac *rex*, *regere*. Davidis in regem electio sic ipsi a Deo praenuntiatur (II. Reg. IV. 2.): *Tu pasces populum meum*

Israel, et tu eris dux super Israel. Ad regem Cyrum, cujus potestate Deus usus est ad consilia sua perficienda, dixit omnipotens: *Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis* (Isai. c. XLIV. 28.). Jure ergo dicitur, in munere pascendi potestatem regendi Petro traditam esse.

Pascere autem Petrus debet *agnos* et *oves*. Et quoniam Christus, aeterna sapientia, credendus non est, cum hoc mandatum repeteret, fortuito et sine ratione diversa nomina usurpasse; quid aliud per agnos et oves, quam minores et majores, qui sunt in Ecclesia, significare voluit? Universalis enim Ecclesia Christi comparatur *ovili* (Joan. X. 16.); in ovili autem non sunt nisi *oves*, quae generant, et *agni*, qui generantur; omnes ergo fideles sunt vel oves Christi vel agni; per agnos significatur populus, per oves pastores. Hoc modo jam SS. Patres verba Christi intellexerunt. Egregie in rem loquitur Eucherius Lugdunensis (serm. de Natal. Petri et Pauli): „Prius agnos, deinde oves commisit ei (Petro), quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit: pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos, et praelatos; omnium igitur pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est." Et s. Bernardus (l. 2. de consid. c. 8.) ait: „Cui non dico episcoporum, sed etiam apostolorum sic absolute, et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas Petre! pasce oves meas: quas? Illius, vel illius populos civitatis, aut regni? Oves meas inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil."

Dum ergo Petrus agnorum et ovium pastor constitutus est, summam potestatem regendi Ecclesiam universalem seu primatum jurisdictionis a Christo obtinuit.

534. Hinc quoque Petrus se semper principem apostolorum gessit et tamquam talis a reliquis apostolis agnitus est. Petrus enim fere semper nomine reliquorum apostolorum locutus est, quando nomine omnium aliquid proponendum erat. Ipse alium apostolum in locum Judae eligendum esse proposuit (Act. I. 15.). Ipse primus gentibus Christum annuntiavit (Act. II. 14. X. 10.), atque fratrum defensionem suscepit (Act. ibid.). Ipse in concilio apostolorum et discipulorum Hierosolymis celebrato praesidem egit (Act. XV. 6.). Ipse tandem universos coetus in Judaea, Galilaea et Samaria pertransivit, *tamquam imperator*, ut ait S. Chrysostomus, *suas copias recensens*. Porro Evangelistae constanter Petrum inter apostolos primo

loco collocant, et Matthaeus expresse *primum* πρῶτον appellat, vel praetermissis aliis solum nominant (Matth. X. 2. etc.), atque apostolus Paulus tanti facit, ut eum visurus Hierosolymam proficiscatur (Gal. I. 18.). Quin imo ipse Christus redivivus Petro seorsum apparuit, atque ante suam mortem pro constantia fidei in Petro, qui dein ceteros confirmaret, specialiter oravit (Luc. XX. 22.), ac si, prout loquitur s. Leo, aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit (Serm. IV. in anniv. 3. c. 3. Op. T. I. p. 18.).

535. *Eadem doctrina confirmatur unanimi Patrum consensu.* Nulla ferme in re theologica veritas est, quae uberiori Patrum testimonio confirmari possit, quam Petri primatus. Ut tamen brevitati consulatur, Patrum doctrinam in rem praesentem ad quaedam capita revocamus.

1) *Primum* esto unanimis illorum consensus, qui sive locum (Matth. XVI.) sive textum (Joan. XXI.) de primatus praerogativa Petro collata explicuerunt. Sic S. Optatus Milevitanus (C. 1. l. 1. contr. Parmenianum): „Bono unitatatis B. Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, et praeferri omnibus apostolis meruit, et claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit.“ Et S. Augustinus (Libr. XXII. contra Faustum c. 70): „Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est pastor Ecclesiae: sicut Moyses post percussum Aegyptium factus est rector illius Synagogae.“

2) Idem sequitur *secundo* ex principiis, quae Patres unanimiter profitentur circa ipsius primatus *naturam.* Tum enim datum illum constanter dicunt propter *unitatem Ecclesiae,* tum juxta hoc principium omnia jura et officia Petro tribuunt, quae ad munus unitatis Ecclesiae efformandae atque exhibendae videantur necessaria. S. Cyprianus totus est in hac veritate passim inculcanda, sic (epist. 55): „Petri cathedra atque Ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est.“ Et S. Hieronymus (l. I. in Jovin. n. 26.): „Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.“ Hinc Patres necessitatem adstruunt fidei Petri adhaerendi, ut quis possit unitatem fidei servare, neque inter haereticos deputari. Patres, dum super fidei confessionem (Petri) aedificatam a Christo Ecclesiam docent, non confessionem Petri in abstracto significant, sed in concreto ita, ut sensus sit, Christum aedificasse Ecclesiam suam supra Petrum confitentem ac praedicantem veram fidem. Quare non unicum illum fidei articulum de Christi divinitate

complectuntur, sed universam fidem, quam Petrus praedicare debebat, quapropter Petrum non solum *Ecclesiae petram* et *fundamentum* appellant, sed *petram fidei, et fidei fundamentum.* Porro quum Petrus neminem adigere posset ad unitatem fidei a se professae et praedicandae absque suprema auctoritate, qua dissidentes cogere valeret, plane consequitur, ex Patrum mente illis verbis fuisse Petro primatum jurisdictionis a Christo collatum.

3) *Tertio* Patres intuitu primatus Petri extollunt romanam sedem ut omnium maximam, uti Ecclesiam principalem, ecclesiarum omnium matrem, matricem, principium et originem unitatis. Hinc Petrum appellant *caput, principem, verticem,* et *os apostolorum, primum mundi praesidem,* sic inter ceteros Hieronymus, Chrysostomus, Leo M.; eumdem dicunt primatum super discipulos habuisse, atque apostolatus primatum, uti Augustinus; appellant *petram Ecclesiae, petram infragibilem, fundamentum, petram fidei, clavicularium coelorum, clavigerum, coeli janitorem, clavem ad regnum,* uti Origenes, Chrysostomus etc. (Theoph. Rayn. Corona aurea super cap. r. Pont.).

536. Res extra omne dubium ponitur per decreta conciliorum oecumenicorum. Brevitatis causa afferimus tantum decretum Concilii Vaticani sess. IV. C. I. „Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem, et totius Ecclesiae militantis visibile caput, vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.“ (Palmieri de rom. Pont. thes. I. — Cercia de rom. Pont. lect. I. et II. — Alb. a Buls. theol. fund. p. III. c. III. art. III. — Hurt. tract. de prim. n. 326 et seq. — Perrone tract. de loc. theol. n. 446 et seq.)

537. Inter omnigena christianae traditionis monumenta, quibus primatus Petri illustratur, peculiarem vim habent monumenta liturgica, quae adhuc aeque apud antiquas sectas ac apud Ecclesiam catholicam graeci ritus in usu sunt; hujusmodi sunt, quibus in liturgia graeco russica S. Petrus prae ceteris apostolis decoratur. Hic afferimus speciminis gratia titulos sequentes ex menelogia sumptos, quibus in liturgia slavica tum schismatica tum catholica graeci ritus mutuata a liturgia graeco-russica S. Petrus ejusque successores condecorantur.

1. Festo S. Petri: 'Апⷭ҇лѡвъ преднача́лникъ (Apostolov prednačalnik) = apostolorum princeps. — Ка́менъ и ѡснова́нїє (kamen i osnovanije) = petra et fundamentum. — Верхо́вный а҆пⷭ҇лѡвъ (verhovnij apostolov) = cory-

phaeus (primus) apostolorum. — **Первопрестóльникъ** (pervoprestoljnik) = primus thronus. **Кáмень вѣ́ры** (kamen vjeri) = petra fidei. — **Свѣти́льникъ цр҃кве** (svjetilnik cerkve) = lucerna Ecclesiae. — **Вселéнныѧ оу҆чи́тель** (vselenija učitelj) = totius orbis doctor. — **Ключáрь бл҃годáти** (ključar blagodati) = claviger gratiae. — **Кáмень цр҃кве** (kamen crkve) = petra Ecclesiae. — **Лꙋ́чшій а҃пловъ** (lučšij apostolov) = apostolorum praestantissimus. — **Первостоѧ́тель ли́ка а҃ггласкагѡ** (pervostojatelj lika angjelskago) = praeses chori angelici. — **Ключáрь цáрствїѧ небéснагѡ** (ključar nebesnago carstvija) = claviger regni coelorum. — **Догмáтѡвъ ѡ҆снованїе недвижи́мо** (dogmatov osnovanije nedvižimo) = basis inconcussa dogmatum. — **Пéрвый а҃пловъ** (prvij apostolov) = primus apostolorum. — **А҆п҃ловъ слáва** (apostolov slava) = apostolorum decus. — **Слáвныи и вéлики Гд҃а оу҆чéникъ** (slavni i veliki Gospoda učenik) = gloriosus et magnus Domini discipulus.

2. Festo S. Silvestri papae: **Стóлпъ ѻ҆́гненъ** (stolp ognen) = columna ignea — **Ѻ҆́блакъ ѡ҆сѣнѧ́ющь** (oblak osjenjajušć) = nubes obumbrans. — **Во сщ҃éнницѣхъ сщ҃éнникъ** (vo svjašćenicjeh svjašćenik) = sacerdos sacerdotum. — **Слáвныи пáстырь** (slavni pastir) = pastor gloriosus. — **И҆́стиненъ оу҆чи́тель** (istinen učitelj) = doctor veritatis. — **Верховникъ сщ҃éннагѡ собóра** (verhovnik svjašćenago sobora) = coryphaeus sacrosancti Collegii. — **Верхóвникъ сщ҃éнныхъ ѻ҆тцéвъ** (verhovnik svjašćenih otcev) = coryphaeus Sanctorum Patrum.

3. Festo S. Gregorii Magni. **Подобоначáльникъ начáльника пáстырем Хрⷭ҇тá** (podobonačalnik načalnika pastirem Hrista) = princeps similis Christo, principi pastorum.

4. Festo S. Martini papae. **Храни́тель непорóчныѧ вѣ́ры** (hranitelj neporočnija vjeri) = custos incorruptae fidei. — **Сщ҃еннодѣ́тель сщ҃éннѣйшій** (svajšćenodjelitelj svjašćenejši) = liturgus sanctissimus. — **Свѣтозáрное сл҃нце возсїѧ́ющее къ востóкѡмь ѿ зáпада** (svjetozarnoje solnce vozsijajušće ko vostokom od zapada) = sol splendidus, collustrans orientem ex occidente.

5. Festo S. Clementis papae: **Розгá лозы̀ жи́зненныѧ** (rozga lozi žiznenija) = palmes vitis vitae. — **Дрꙋгі́й Мѡѷсі́й** (drugi Mojsij) = secundus Moyses. — **Законоположникъ** (zakonopoložnik) = legislator. — **Преéмникъ престóла** (prejemnik prestola) = successor throni. — **Первосщ҃éнникъ** (pervosvjašćenik) = pontifex maximus.

6. Festo S. Leonis papae: **Глáва правослáвныѧ цр҃кве** (glava pravoslavnija crkve) = caput orthodoxae Ecclesiae. — **Бг҃оначертáнный сви́токъ вѣ́ры прáвыѧ** (bogonačertanij svitok vjeri pravija) = a Deo insculptus splendor rectae fidei. — **Старѣ́йшина верхóвнагѡ собóра** (starješina verhovnago sobora) = senior supremi Collegii. — **Прáвило оу҆чéній** (pravilo učenij) = norma (regula) doctrinarum. — **Стóлпъ правослáвїѧ** (stolp pravoslavija) = columna orthodoxismi. — **Патрїáрхъ и҆́стиненъ** (patrijarh istinen) = patriarcha veritatis.

Articulus II.

Quamvis Paulus cum Petro episcopus romanus fuerit, minime tamen sequitur, duo fuisse suprema Ecclesiae capita.

538. Paulum vere ac proprie fuisse episcopum romanum cum B. Petro, res est extra omne dubium posita. Neque mirum videri debet, Paulum cum Petro eodem tempore Urbis episcopatum gessisse, quum Petrus initio nascentis Ecclesiae non incongruum, imo necessarium duxerit plures pro sola Urbe romana consecrare episcopos, Linum nempe, Cletum et Clementem, ut testantur S. Irenaeus (libr. III. adv. haer. cap. III.) et Tertullianus (libr. de praescript. cap. XXXII.), qui ipso vivente, sed ad praedicandum evangelium diutius abfuturo, episcopalia obirent munia intra romanam Urbem, extraque illam in vicinis locis, mortuo autem sibi succederent.

539. Quamvis autem Paulus cum Petro episcopus romanus fuerit, minime tamen sequitur, propugnari hic a nobis doctrinam Antonii Arnaldi Ecclesiam bicipitem statuentis, quam anno 1647. Innocentius X. solemni decreto ut haereticam merito proscripsit. Fatemur enim, Paulum inferiorem fuisse Petro eique subordinatum; Paulum episcopum quidem romanum fuisse, sed non ordinarium neque caput Ecclesiae; auctoritatem SS. Petri et Pauli non aequali modo in eorum successores romanos Pontifices fluxisse, sed episcopalis quidem ab utroque, a Petro autem singulariter apostolica auctoritas conjuncta cum praerogativa supremi Capitis, et quidem jure divino, ut suo loco demonstrabimus.

540. Dixi, in romanos Pontifices a B. Petro singulariter derivari *authoritatem apostolicam*, vi cujus possunt illi fidem ubique gentium jure suo praedicare, ubique novas ecclesias instituere, institutas confirmare, collapsas erigere, errantes ad rectum veritatis tramitem revocare, leges ferre, judicia exercere, controversias dirimere, dogmata infallibili judicio definire, suprema in omnes potestate Ecclesiam universam administrare. Derivatur itaque a Petro in romanos Pontifices *apostolica authoritas;* non tamen *ipse apostolatus*, quia apostoli proprie dicuntur *primi tantum evangelii legati a Christo missi.*

541. Hinc duplex est praerogativa, ob quam S. Petrus praefertur tum Paulo tum ceteris apostolis, licet omnes apostoli summa potestate et dono infallibilitatis praediti fuerint.

Prima praerogativa est, quod apostoli ex officio obligati fuerint ad unionem et communionem cum Petro tamquam capite conservandam ecclesiasque per provincias instituerint ea lege, ut Petrum

tanquam Ecclesiae caput respicerent ejusque regimini subjicerentur. Christus enim, ut Ecclesiae unitatem solidaret, uni claves tradidit, et super Petrum, tamquam *petram* solidissimam, totius aedificii molem imposuit.

Secunda praerogativa est, quod causas communes ad universalis Ecclesiae disciplinam pertinentes apostoli ad Petrum, tamqam apostolici collegii et Ecclesiae Principem, discutiendas referre debuerint: quod factum est a Paulo in quaestione de rituum judaicorum usu a gentilibus ad fidem conversis retinendo vel repudiando, quae a Petro in concilio apostolico, Jacobo dein et ceteris apostolis in ejus sententiam euntibus, decisa fuit.

542. Qui Ecclesiam bicipitem esse volunt, et B. Paulum in partem primatus vocant, frustra 1) ad Patrum auctoritatem, 2) ad effata Pontificum aut 3) ad veteres picturas confugiunt, in quibus dexterum latus B. Paulus, sinistrum B. Petrus occupat. Nam

1) Patres quidem ambos apostolos vocant praefectos Ecclesiae, Patres ac fundatores, Sanctorum coryphaeos, oculos Romae, ecclesiarum Principes, episcopos romanos; at numquam vocant *duo suprema Ecclesiae capita* aut episcopos romanos non modo quoad munus docendi, sed etiam quoad auctoritatem regendi Ecclesiam universalem. Quare illi honorum tituli ostendunt, B. Paulum aequalem fuisse B. Petro in *auctoritate apostolica*, non vero in *primatu*.

Quod si dicas, B. Paulo denegari non posse primatum, eo quod episcopus romanus fuerit, respondeo, Paulum episcopum romanum fuisse non ordinarium sed extraordinarium propter apostolicum munus, quod jus episcopale ubique terrarum omnibus apostolis conferebat; et primatum in universam Ecclesiam alligatum esse pastoribus ordinariis ecclesiae romanae. Hinc omnes apostoli fuerunt etiam *fundamenta Ecclesiae* tum quia ipsi ecclesias fundarunt; tum ratione doctrinae a Deo ipsis revelatae; tum ratione gubernationis, quia ipsi erant pastores universae Ecclesiae: diverso tamen modo, quam Petrus; quia ipsi a Petro dependebant, Petrus vero a solo Deo; Petri auctoritas erat immunis ab aliorum apostolorum auctoritate, reliqui vero apostoli suum munus exercere non poterant citra respectum ad Petrum, sejuncti a Petro, suasque ecclesias Petro subordinare debebant, utpote unitatis centro & origini; quia Petri potestas & cura se ad reliquos quoque extendebat apostolos: ceteri vero apostoli in se invicem nullam habebant auctoritatem; quia apostoli illam amplissimam potestatem habuerunt ut legati Christi

extraordinarii & ad posteros & successores suos non transmittendam: Petrus vero habuit illam ut ordinariam & ad successores suos transmittendam.

Nec generatim summa apostolatus & collegii apostolici dignitas, nec speciatim infallibilitas, auctoritas aliaeque praerogativae, immediatae & extraordinariae apostolorum missioni adnexae, opponuntur primatui Petri in universam Ecclesiam atque in ipsos etiam apostolos, si accurate finis & natura apostolatus & primatus distinguantur, et primatus ipse distinguatur a quibusdam ejus actibus, qui exerceri non potuerunt in apostolos, non quidem ob imperfectionem auctoritatis primatus, sed potius ob extraordinariam apostolorum perfectionem. Fatendum namque est pro eximiis, quibus apostoli excellebant charismatibus extraordinarioque Ecclesiae stadio, exercitio primatus Petri in ipsos apostolos locus nullus aut vix aliquis dari poterat. — Sed quum primum apostolorum charismata cessarent ac stadio charismatum extraordinario ordinarium succederet, tota semet primatus vis pro variis rerum personarumque adjunctis multifariam explicavit, adeo ut in Petri successoribus manifestum fieret, quanta ad Ecclesiam regendam continendamque principi apostolorum in alios pastores omnes potestas tributa fuisset.

2) Pontifices romani successores se dicunt ss. apostolorum Petri & Pauli *successione reali*, non *personali*. Sic enim solius Petri successores dici possunt. Aliud est igitur succedere alteri veluti realiter, jura sibi eius vindicando; aliud succedere personaliter, idem munus obeundo. Priori sensu non Petri tantum, sed apostolorum plane omnium successor romanus Pontifex dici potest, unde et vocatur *haeres apostolorum*; posteriori sensu vero *solius Petri successor* appellatur: unde s. Bernardus (libr. II. de Consid. c. VIII.) ad Eugenium papam inquit: *Tu potestate Petrus.*

Pari modo intelligenda sunt verba Pontificum, quando dicunt, fungi se auctoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, aut quando eadem auctoritate indicere se ajunt concilia generalia. In hoc enim loquendi modo non officii intelligenda est auctoritas, cui succedatur; sed patrocinii potius, quod ad officium illud rite obeundum imploratur. Certe Pontifices aliqui v. g. S. Nicolaus I. in sententia contra Photium lata et Alexander II. epist. IX. non Petri dumtaxat & Pauli, sed omnium sanctorum auctoritatem sibi vindicant; nec tamen sequitur, sanctos omnes eamdem habuisse cum sancto Petro auctoritatem.

3) Dextera pars non semper in Ecclesia locus fuit honoratior. In concilio Chalcedonensi Dioscorus, licet mox damnandus, dexteram tenebat, legati vero S. Leonis sinistram. In sinistro cornu altaris evangelium legi solet, quod prophetiis & epistolis apostolicis dignius

est, quae in dextero recitantur. — Quum olim in Ecclesia feminae seorsum a viris orabant, sinistra viris, dextera feminis est assignata. — In antiquis nummis impressa videtur interdum christianorum imperatorum imago ad dexteram Deiparae; in nonnullis vitris & picturis Petrus ad dexteram, Christus vero ad sinistram visitur. — Ex quibus nemo non videt, in sacris ritibus hunc olim usum viguisse, ut sinistra dexterae praeferretur, ad gentium conversionem exprimendam, quae Judaeis velut dexteram antea tenentibus antelatae sunt. Nihil ergo ex dextera Paulo interdum data inferri potest ad illius aequalitatem cum Petro comprobandam. — Praeterea illud antiquitus observari solitum erat, ut, quum duo simul incederent, senior & honoratior ad sinistram esset, junior vero dextrum ipsi latus tegeret, et non nihil anteiret in signum obsequii, ut narrat Natalis Alexander (in diss. IV. hist. eccl. saec. I.). Variatio denique in his subinde occurens aequalitatem auctoritatis minime prodit, sed potius vel imperitiam sculptoris, vel nullam situs hujusmodi habitam aut habendam rationem. (Sardagna de rom Pont. art. III. controv. II. — theol. gen. Hurter n. 339.).

543. *Scholion.* Huic thesi non obstat, quod scribit Paulus ad Galatas: *Quum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat* (II. 11) et: *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* (II. 8.). Nam Petrus Antiochiae existens cognito Judaeorum in eam urbem adventu, abstinuit a mensa gentilium, qui recens Christo per baptismum authorati erant. Paulus judicabat, hanc simulationem non esse ferendam, ne occasio daretur christianis existimandi, eos legalibus mosaicis adhuc teneri: adeoque illi restitit ac Petrum reprehendit, ut *inferior* superiorem, non per auctoritatem in illum, sed per correctionem fraternam, quam ex charitate inferiores debent superioribus male agentibus. Ad rem S. Thomas (II. II. q. 33. art. IV. ad II.): „Sciendum tamen est quod ubi immineret periculum fidei, etiam publice essent praelati a subditis arguendi. Unde et Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publice arguit.“ — Quod ad secundum attinet, loquitur Paulus evidenter de peculiari sua destinatione ad gentiles convertendos (juxta Act. IX. 15) deque peculiari destinatione Petri ad docendos Judaeos, quin tamen alteruter prohiberetur sive Judaeis sive gentilibus prodesse, ut facto ipso saepe ex Actis & epistolis apostolorum innotescit. (Cercia de rom. Pontifice. sect. I. lect. IV.).

Articulus III.

Vim argumentorum pro primatu adductorum vario modo adversarii enervare tentant, sed irrito conatu.

544. Contra primatum S. Petri variae difficultates moveri solent, sed frustra. Praecipuas tantum difficultates afferemus, easque statim solvemus. Quod adversarii affirmant, aliud fundamentum admitti non posse praeter Christum dicente apostolo (I. Cor. III. 11.): *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*, hoc et nos affirmamus, sed tantum negamus, exinde inferri posse, Petrum non esse fundamentum Ecclesiae. Christus enim est, et manet semper Ecclesiae auctor & summum caput, atque ideo jure primarium illius fundamentum dicitur, quod nemo mutare potest. Sed id primatui Petri nullo modo opponitur. Christus enim, qui est Ecclesiae auctor, quique etiam post ascensionem in coelum manet illius summum caput & fundamentum *invisibile*, voluit, ut adsit etiam caput & fundamentum *visibile*, et hoc Petrum constituit.

Neque aliter PP. intelligendi sunt, dum petram Christum esse dicunt. Solemne enim est Patribus, ut in scripturae locis non nenegato sed admisso sensu literali alium quoque sublimiorem seu mysticum quaerant. Ideo iidem PP. modo per petram Petrum intelligunt, modo petram Christum dicunt, quia Christum ut fundamentum primarium & invisibile, Petrum vero ceu fundamentum secundarium & visibile venerantur, quod omnem suam firmitatem ab illo obtinet.

545. Secundum Luc. XXII. cum facta esset contentio inter apostolos, quis eorum videretur major esse, increpuit Christus ipsos dicens: *Reges gentium dominantur eorum . . . . Vos autem non sic.* Inepte exinde deducitur, nemini primatum esse collatum. Nam duplici de causa Christus apostolos increpuit: primo quod ambitiose quaererent primatum, non tamquam ministerium, sed tamquam merum imperium, quale gentium reges in subditos exercebant; secundo quod contenderent de temporalis dominationis primatu, quum eximiam dignitatem Petro promissam non intelligerent, putarentque, a magistro suo temporale regnum Israel restitutum iri. Spiritualem primatum, qui tamen ambitiose quaerendus non esset, Christus minime negavit aut reprobavit: imo supponit, aliquem esse inter eos, cui hic primatus conveniat; non enim ait: *Nemo inter vos major est, nemo praecessor;* sed *qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui*

praecessor est, sicut ministrator. Nominatim vero ad obtemperandum Petro eos tunc non est adhortatus, quia Petrus tunc promissione tantum & designatione Christi, non actuali exercitio obtinebat primatum, quem demum post ipsius resurrectionem est consecutus.

546. Ex eo quod quidam PP. ajunt, Petrum, dum claves accepit, *repraesentasse Ecclesiam*, nullo modo deducitur, claves immediatius & principalius Ecclesiae datas esse; imo ex eo ipso quod Petrus, propter primatum in eo cum *jure traducis* institutum, juridice & typice repraesentavit Ecclesiam, tum primatus ipse tum immediata ejusdem collatio facta Petro confirmatur.

Et sane PP. nihil aliud volunt, quam quod claves traditae sint Petro ut principi & pastori Ecclesiae, non in privatum ipsius commodum, sed in publicum Ecclesiae bonum, atque in perpetuam Ecclesiae utilitatem, atque ideo eas etiam post mortem Petri in Ecclesia esse non desiisse. Hanc fuisse Patrum mentem patet ex *scopo*, quem sibi Patres proposuerunt. PP. enim, qui dicunt, Petrum gessisse personam Ecclesiae, in eo toti erant, ut montanistarum et novationorum errorem convellerent. Quum enim isti haeretici negarent, Ecclesiam habere potestatem dimittendi graviora crimina, contendebant, potestatem clavium Petro et apostolis datam fuisse *personaliter.* Ut Patres huic doctrinae perversae se opponerent, docuerunt, potestatem clavium fuisse collatam Ecclesiae in persona apostolorum, et apostolis in persona Petri; docuerunt, Petrum repraesentasse collegium apostolorum et figuram gessisse Ecclesiae, quum accepit claves regni coelorum. Quae quidem effata eo tendunt, ut indicent, potestatem istam ad Petri et apostolorum successores transiisse, seu Petro claves esse collatas cum *iure traducis,* quia videlicet ad Ecclesiae bonum has claves Christus Petro et apostolis contulit. Ex eorum proinde mente non unus Petrus et apostoli acceperunt hasce claves, verum etiam Ecclesia, id est corpus episcoporum, ut per eas filiorum suorum crimina, quaecunque demum essent, solverentur. Hoc tamen interponitur discrimen inter Petrum et apostolos, atque Ecclesiam prout hoc nomine designatur coetus fidelium, quod illi claves acceperint *active* ad eas adhibendas, Ecclesia autem seu communitas fidelium acceperit *passive*, quandoquidem in eius commodum essent a Petro et ab apostolis adhibendae. Quum autem Ecclesia semper duratura esset, Petrus vero et apostoli ad tempus tantum victuri, concludebant Patres, semper mansuras esse has claves, nempe in Petri et apostolorum successoribus, quia collatio ista non fuit *personalis*, sed *perpetua.*

547. Adversarii oggerunt: ex scriptura non constare, Petrum exercuisse suum primatum; imo scripturam contrarium asserere; eo quod septem diaconi non a Petro tantum, sed etiam ab aliis apostolis fuerint constituti. Praeterea apostoli miserunt Petrum et Joannem Samariam; atqui qui mittitur est inferior. Deinde Petrus ab ipso Christo satanas vocatur: *vade post me satana! scandalum es mihi* (Math. XVI. 23); sed talis non potest esse fundamentum Ecclesiae. Denique Paulus et Barnabas controversiam de legalibus non ad solum Petrum, sed ad omnes apostolos detulerunt.

At haec omnia nihil concludunt. Nam imprimis quod ex silentio scripturae hic deducitur, nullius est momenti, quum sciamus, plerasque res, ab apostolis gestas, scripto non fuisse consignatas. Ratio autem adducta nihil valet; nam neque imperator exercet *solus* omnes actus jurisdictionis, quamvis sit caput imperii.

Porro quod ad missionem Petri attinet, animadvertendum est, Petrum non fuisse missum cum imperio ab apostolis, sicut superior mittit inferiorem; sed fuisse missum ex consensu et consilio apostolorum, sicut v. g. consiliarii mittunt regem ad bellum.

Neque deinde obstat thesi, quod Petrus vocatus sit satanas. Nam satanas etymologice non significat, nisi adversarium, qui se alteri opponit: tale autem nomen Petrus merebatur, quia quum amoris affectu abreptus Christum a passione subeunda retinere studeret, divinae providentiae et caritatis consiliis adversabatur. Ex eadem ratione *scandalum* dicitur, quia Christum ab adimplenda voluntate Patris dissuadere tentavit. Quomodocunque autem Petrus hac in re oberraverit, non ideo negari possunt praerogativae Petro concessae, sed magis caritatem et clementiam Christi admirari decet, qui sicut non venit vocare justos sed peccatores, ita etiam eum in primatum Ecclesiae suae eligere voluit, qui non solum se adversarium exhibuit et scandalum posuit, sed miserandum in modum ter ipsum negavit.

Id denique, quod de Paulo et Barnaba narratur, ideo factum est, ut decisio fieret cum majori partium satisfactione, partesque litigantes facilius acquiescerent. Plures controversiae ad parlamentum Austriae deferuntur, nemo tamen exinde inferet, imperatorem Austriae primatum non habere in suo regno. (Sardagna de rom. Pont. art. III. contr. II. — Alb. a Buls thol. fund. p. III. sect. I. c. III. art. III. — Perrone de rom. Pf. p. 256 seon. n. 509. seq.)

Caput II.

De perpetuitate primatus beati Petri in romanis Pontificibus.

Articulus I.

Primatus Petro collatus ex Christi institutione debuit in Ecclesia post illius obitum in perpetuum perdurare.

548. Licet inter acatholicos non pauci, argumentorum pondere victi, primatum Petro concessum a Christo admittant, negant tamen, primatum a Christo institutum in romanis Pontificibus perdurare. Hinc in hac thesi demonstrabimus, *primatum* a Christo institutum in *successoribus Petri* perdurare debere, in sequente autem, *hos* esse *Pontifices romanos*, qui *jure divino* Petro in primatu jurisdictionis succedunt

549. Primatum a Christo institutum traduci debuisse ad Petri successores, patet ex sequentibus.

1) Ex Matth. XVI. primatus est fundamentum Ecclesiae; proinde pertinet ad constitutionem aedificii illius a Christo conditi. Ergo quamdiu Ecclesia, tamdiu primatus duraturus est. Sed Ecclesia nunquam deficere potest, perpetua est. Ergo primatus quoque perpetuus sit oportet.

2) Primatus est modificatio summi momenti, quam apostolorum potestati Christus apposuit; atqui apostolorum potestas, qualis a Christo modificata fuit, perpetuo durare debet, ex Matth. ult.; ergo pariter primatus durare debet.

3) Primatus institus est a Christo ad Ecclesiae unitatem constituendam et conservandam, adeoque ad Ecclesiae essentiam pertinet; unitas enim Ecclesiae essentialis est. Primatum vero tanquam unitatis medium institutum esse patet tum ex ipsa metaphora fundamenti (Matth. XVI), quod universas partes aedificii sustentando eas omnes continet sibi et secum ipsis cohaerentes in unitate (vid. num. 530), tum ex unanimi Patrum consensu, quorum docuere alii Christum contulisse primatum Petro, „ut capite constituto, schismatis tolleretur occassio“, uti Hieronymus (libr. I. adv. Jovinn. 26); alii ut *unitatis originem* institueret et unam Ecclesiam, uti Cyprianus (ep. 55, 75); alii *bono unitatis b. Petrum apostolis omnibus praeferri meruisse,* uti Optatus (libr. VII. adv. Parmen.); alii ut *unitatem funderet ex uno,* ut S. Pacianus (ep. III. ad Sympron.); alii ut inferrent ibi esse *Ecclesiam, ubi est Petrus*, uti S. Ambrosius (in ps. 40 n. 30); et ita porro per Patres singulos discurrentes, hanc constanter rationem invenimus ab ipsis assignatam, quare Christus primatum instituerit, quem Petro contulit super omnes apostolos, super omnes fideles, super Ecclesiam universam. Ergo quamdiu Ecclesia, tamdiu primatus duraturus est; illa est perpetua; ergo perpetuus quoque primatus sit oportet. Quod ergo „in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est . . . Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores anathema sit“. (Conc. Vat. sess. IV. c. II).

550. Petrum primatu jurisdictionis auctum fuisse ea lege, ut perpetuo in suos successores illum transfunderet, ex hactenus disputatis abunde constat. At enim, ecquis porro ille est, qui legitimus Petri successor sit existimandus? Et hoc statim demonstrabimus.

Articulus II.

Petrus Romam venit, atque hujus urbis episcopatum instituit rexitque usque ad obitum suum.

551. In antecedenti thesi demonstravimus, primatum a Christo in Ecclesia institutum ac Petro collatum, debere post Petri obitum ad ejus successores transire et usque in saeculi finem in ipsis perseverare; modo autem demonstrandum esset, hos successores in Petri primatu alios non esse, nisi romanos Pontifices, qui post illius mortem ejus cathedram seu romanum pontificatum obtinuerunt, atque id quidem *jure divino.* Quum vero ejusmodi successio ex Petri in Urbem adventu ejusque in ea episcopatu, quem gesserit usque ad mortem, tota pendeat, ideo ab hoc facto veluti basi ac fundamento constabiliendo auspicandum nobis est, ut illam successionem adstruamus.

Demonstrandum itaque est: I. Petrum Romam venisse ibique commoratum esse, atque II. in romana cathedra sedisse seu romanum episcopum fuisse, et III. episcopatum romanum usque ad obitum suum tenuisse.

552. *Demonstratur p. I.* Petrum Romam venisse ibique commoratum esse, ex ipsius prima epistola, quam *Romae* scriptam esse, ostendunt verba, quae consuetam Ecclesiae, ex qua scribitur salutationem exhibent. Dicitur enim: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* (1 Petr. V. 13.). Per Babylonem autem urbs Roma intelligitur. Id testatur Eusebius (Hist. eccl. l. 2. c. 15.) dicens: „Porro Marci mentionem fieri ajunt a Petro in priori epistola, quam Romae scriptam esse contendunt." Ex quo prodit, Eusebium quoque agnovisse, S. Petrum civitatem romanam verbi translatione Babylonem appellasse. Eadem fere habet S. Hieronymus, qui (de script. eccl. loquens) de Marco ait: „Meminit hujus Marci et Petrus in epistola sua prima, nomine Babylonis figuraliter Romam significans." Dicta vero est urbs Roma Babylon, tum quia Roma gentilis magnitudine, potentia, impietate ac idolorum cultu veterem Babylonem aequabat; tum quia B. Petrus commorationis suae locum nolebat omnibus esse notum, timebatque ne forte epistola sua, gentilibus tradita, palam fieret, plurimos Romanorum Christo nomen dedisse, atque inde contra ipsos persecutionis causa nasceretur: ac propterea Romam arcano Babylonis vocabulo nuncupavit. Sic etiam B. Paulus liberationis suae certiorem faciens Timotheum dissimulato Neronis nomine, scribit in ep. II. ad Tim. cap. IV., se liberatum esse de ore leonis.

Petrum Romae fuisse ibique evangelium praedicasse et Ecclesiam fundasse, testantur quoque antiquissimi scriptores ecclesiastici: ut Clemens Rom., Petri discipulus, in prima sua ad Corinthios epistola, Papias, Ignatius Martyr (ep. ad Rom. c. 4.), Irenaeus (l. III. advr. haer. c. I.) testificans, „Petrum et Paulum Romae evangelizasse et fundasse Ecclesiam"; Tertullianus (de praescript. c. 32.), Origenes (tom. 3 in Genes.); Eusebius scribit: „Anno secundo Claudii Petrus Romam proficiscitur, ubi evangelium praedicans 25 annis ejusdem Urbis episcopus perseverat." (Chron. an. 44. a Cl. Conf. hist. eccl. l. 2. c. 14.); item S. Hieronymus: „Simon Petrus — ad expugnandum Simonem magum, Romam pergit, ibique 25 annis cathedram sacerdotalem tenuit." (De vir. ill. c. 1); S. Augustinus (Parm. 296 in nat. Apost.) et ceteri.

Si Petrus et Paulus Romae evangelium praedicasse dicuntur, non negatur, id longe prius praestitum fuisse a Petro: constat enim ex ipsa Pauli epistola ad Rom. I. 13. Romae multos christianos fuisse, antequam Paulus eo veniret.

553. *Demonstratur p. II.* Petrum in romana cathedra sedisse seu romanum episcopum fuisse.

Id patet *a)* ex catalogis romanorum episcoporum. Quotquot enim catalogi romanorum episcoporum etiam antiquissimi inveniuntur, in horum serie ubique Petrus primo loco ponitur. Erant autem isti catalogi jam antiquitus frequentissimi publica auctoritate confecti in magno honore habiti. Ad ostendendam enim communionem ecclesiasticam nomina episcoporum orthodoxorum dyptichis inserebantur, ex quibus nomina episcoporum haereticorum et schismaticorum expungebantur.

Idem patet *b)* ex SS. Patrum testimonio. Romanorum episcoporum catalogum texuit Irenaeus (l. III. c. III.), et primo loco ponit Petrum, secundo Linum, tertio Anacletum, quarto Clementem, et ceteros usque ad Eleutherium, qui tunc sedebat. Optatus Milev (l. 2. c. Parm.) ait: „Cathedra una est, quae est prima de dotibus... sed et prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens." Et ibidem c. 2 dicit: „Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est." S. Augustinus (ep. 165 ad Generosum) scribit: „Petro successit Linus, Lino Clemens"; et (l. III. c. Petil. c. 51.) ait: „Cathedra tibi quid fecit Ecclesiae romanae, in qua Petrus sedit, in qua hodie Anastasius sedet."

Probatur demum *c)* ex romanae Ecclesiae ac romanorum episcoporum denominatione. Ex universali enim persuasione, Petrum fuisse episcopum romanum, factum est, ut romana Ecclesia jam antiquitus cathedra Petri diceretur. Sic s. Cyprianus de Fortunato et Felicissimo Romam proficiscentibus (ep. 55.) scribit: „Navigare audent ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est." Eodem modo romani pontifices Petri successores, Petri personam agentes dicuntur, eorumque eminentior potestas a Petro petitur. Haec omnia confirmantur ex eo, quod usque ad saeculum decimum quartum nemo vel infensissimus romanae Ecclesiae hostis, ex tot haereticis, qui ab apostolica sede damnati sunt, nemo ex tot schmismaticis, graecis praesertim, quibus id commodum omnino accidisset, sibique atque causae suae perutile, nemo unquam ex tot ambitiosis praesulibus atque Ecclesiae romanae aemulis in dubium vocavit, Petrum Ecclesiae romanae episcopum fuisse. Primus omnium, qui docuit, B. Petrum non fuisse episcopum romanum, fuit

Marsilius Patavinus, a Joanne XXII. anno 1327. speciali decreto ob impia et schismatica scripta damnatus.

554. *Demonstratur demum* p. III. Petrum in urbe Roma, cujus episcopatum gessit, martyium subivisse. Sane *a)* certum est ex praedictis quod Petrus romanam Ecclesiam fundaverit, ejusque sedem tenuerit, et nullibi legitur, quod post dimissam sedem Antiochenam alibi quam Romae sedem habuerit; ergo ad obitum usque sedem rom. tenuit. — *b)* SS. Patres unanimi consensu testantur, Petrum Romae mortuum esse. Sic Tertullianus (Scorp. c. 15.) ait: „Orientem fidem Romae primus Nero cruentavit; tunc Petrus ab altero cingitur quum cruci adstringitur.“ Eusebius (l. 2. hist. eccl. c. 24.) dicit, Petrum Romae suffixum cruci. Idem testantur Lactantius (de mort. persec.) Origenes, Athanasius (Apol. de fuga sua), Hieronymus (in cat. sript. eccels.) *c)* Jure hic etiam affertur argumentum praescriptionis. Semper enim Ecclesia romana gloriata est de martirio Petri et Pauli. Nunquam autem alia ecclesia hanc gloriam sibi vindicare ausa est, quod certe contigisset, nisi omnino certe constitisset, Petrum et Paulum Romae glorioso martirio obiisse. — *d)* Romae et non alibi Petri et Pauli sepulchra ostenduntur ac venerantur. Ideo a remotissima antiquitate peregrinationes Romam ad sepulchra Apostolorum usu venerunt. De his jam loquitur Eusebius (hist. eccl. l. 2. c. 25. n. 2.): „Sic igitur omnium divini nominis hostium princeps Nero in ipsos etiam apostolos saeviit. Ac Paulus quidem Romae capite truncatus, Petrus vero cruci suffixus fuisse eodem regnante traduntur. Quam quidem narrationem abunde confirmant Petri Paulique nomine insignata monumenta, quae in urbis Romae coemeteriis etiamnum visuntur.“ Et s. Hieronymus (in catal. script. eccl.) de Petro, postquam hujus crucifixionem a capite inverso retulit subdit: „Sepultus Romae in Vaticano juxta viam triumphalem totius orbis veneratione celebratur.“

Articulus III.

Romani Pontifices, Petri in episcopatu romano successores, illius primatum jure divino obtinuerunt, non autem humana sive ecclesiastica sive politica dispositione.

555. Uti ex ipsa propositionis enuntiatione liquet, apprime secerni debet in romanis Pontificibus eorum successio in romanum Petri episcopatum seu romanam Petri sedem et cathedram a successione in ejus primatum. Successio enim in Petri episcopatum juris ecclesiastici est, successio vero in illius primatum est juris plane divini. Successio in Petri sedem uti conditio solum se tenet ad successionem in ejus primatum, qui quum ex Christi institutione perpetuus in Ecclesia sit et alligatus personae Petri, fit, ut qui Petro in episcopatu succedit, hoc ipso in ejus primatum ex Christi dispositione succedat. Romani scilicet Pontifices mediante episcopatu romano potiuntur Petri primatu, qui nunc ab illo inseparabilis est, postquam nempe Petrus utrumque in sua persona conjunxit; et ideo peculiarem sedem fixam, seu episcopatum elegit, ut per ipsum transmitteret ad successores suos in episcopatu primatum perpetuo in Ecclesia duraturum. Diximus autem, romanos Pontifices esse Petri in sede seu episcopatu romano successores jure *ecclesiastico;* quia reipsa individuorum electio in episcopos romanos a sola Ecclesia pendet; quod vero electi in romanos praesules potiantur primatu, hoc juris divini est. Duo igitur demonstranda sunt: 1) romanos Pontifices Petri in episcopatu romano successores, illius primatum obtinuisse, et quidem 2) jure divino.

556. *Probatur prima pars,* i. e. probatur, romanos Pontifices, Petri in romano episcopatu successores illius primatum obtinuisse. Ex hactenus constitutis Christus contulit Petro primatum jurisdictionis super universam Ecclesiam; contulit hunc primatum Petro ad constabiliendam Ecclesiae suae unitatem, eamque in perpetuum conservandam, seu in utilitatem et emolumentum Ecclesiae suae; ac propterea, quod consequens est, voluit eundem primatum in societate a se in unitate constituta esse perpetuum: debuit igitur hic primatus ex Christi dispositione in Petri successores promanare. Atqui nullus alius Petri successor praeter romanum Pontificem est vel esse potest, qui illius nempe sedem seu episcopatum romanum, quem ipse prius instituit et ad obitum usque rexit, occupaverit. Nam juxta naturalem successionis legem in societate legali ibi successor quaeri debet, ubi antecessor moriens gradum suum dimisit. Atqui Petrus Romam venit ibique episcopatum gessit et regendae ibidem Ecclesiae immortuus est. Ergo qui Petro mortuo in eadem cathedra i. e. in Ecclesia romana ut episcopus succedit, est legitimus Petri successor, in quem primatus Petri jure divino transit. Ergo solus romanus Pontifex Petri primatus jure divino haeres est seu gaudet primatu jure divino.

Sane Petrus ne *incerta* permaneret post obitum suum primatus sui successio, Romae episcopatum instituit illumque ad mortem suam usque occupavit ac tenuit. Quum vero Petrus romanum gessit

episcopatum, etiam primatum sibi divinitus collatum in universam gessit Ecclesiam, atque uti episcopus romanus unitatem Ecclesiae in se veluti *personificabat*, adeo ut unus idemque esset episcopus romanus et Ecclesiae universae primas, ac unitatis Ecclesiae centrum. Qui propterea Petri episcopatum adepti sunt, jure naturali successionis utrumque sunt munus adepti, episcopatus scilicet et primatus, quibus Petri persona potiebatur; atque essentialem Ecclesiae unitatem per primatum romano episcopatui, ut ita dicam, a Petro inoculatum et insertum continuarunt.

557. Romanos Pontifices tenere primatum universalis Ecclesiae, probatur speciatim sequentibus argumentis.

Patres tum theoretice tum practice id demonstrant. Quod ad eorum dicta attinet, eminet testimonium S. Irenaei, qui (lib. 3. c. 3. adv. haeres.) romanam ecclesiam appellat *maximam* et *antiquissimam* et docet: „Ad hanc enim ecclesiam (romanam) propter potentiorem principalitatem (sc. principatum) necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles"; quasi diceret: huic enim ecclesiae non talis principalitas vel eminentia, qualem in aliis sedibus patriarchalibus suspicimus, sed potentior propria est, quae exigit, ut tota Ecclesia, id est, omnes fideles, *ubicunque* sunt, sive in oriente sive in occidente constituti, cum ipsis in fide consentire debeant, et ita hujus ecclesiae fides id exprimit, quod omnes credunt. Ergo juxta S. Irenaeum ecclesia romana potestatem habet in alias ecclesias ejusque decretis debetur obedientia; alias *utile* tantum foret, non autem *necesse*, ad illam omnem convenire ecclesiam.

S. Irenaeo alium adjungimus testem s. Cyprianum, episcopum Charthaginiensem, qui in epistolis suis ad Cornelium papam tales romanae ecclesiae titulos attribuit, qui ejus primatum in universam Ecclesiam manifeste supponunt; nam non solum eam epistol. 55. *petram Ecclesiae principalem* vocat, quo eam in Ecclesia Christi firmanda aliis omnibus ecclesiis praefert, sed et ibidem de romana ecclesia loquens addit: „ex qua unitas sacerdotalis exorta est", quo ecclesiae huic tanquam Ecclesiae petrae eam vim attribuit, ut Ecclesiam in unitate consociet; et epist. 45. eamdem ecclesiam non solius Africanae ecclesiae, sed *ecclesiarum omnium matricem* appellat, qualis ipsa, quum ratione propaginis non sit, solius auctoritatis ratione vocari potest. Eodem spectat, quod s. Cypriano communicare cum romano episcopo, (epist. 52) idem est ac cum Ecclesia *catholica communicare;* unde deducit, neminem posse ad Ecclesiam pertinere, quicunque cum episcopo romano conjunctus non sit (epist. 55. ad Cornelium): „Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?" — S. Hieronymus in epistola ad Damasum scribit: „Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum (i. e. Ecclesiam) agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe (quae figura Ecclesiae est) non fuerit, peribit regnante diluvio." Quis enim alius est sensus, quem verba haec magnifica habent, quam ne extra Ecclesiam Christi, in qua sola salutem invenire possum, peream, beatitudini tuae, super quam Ecclesia aedificata est, communione me conjungo?

558. Quod singuli Patres affirmant, testantur quoque omnes simul in conciliis oecumenicis collecti. Sic Lateranense IV. c. V. de romana ecclesia docet: „Disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra." Item conc. Florentinum, quod consentientibus Graecis et Latinis sic in definitione fidei (sess. 25.) pronuntiat: „Definimus, S. Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere principatum; et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere." Et novissime concilium vaticanum sess. IV. c. II.: „Si quis ergo dixerit . . . Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit."

559. Patrum et conciliorum voces hactenus expensae, confirmantur eorumdem quoque modo agendi, quatenus tum singuli Patres tum omnes simul in conciliis collecti romanum Pontificem semper tamquam Ecclesiae primatem agnoscebant et se ei subjiciebant. Quod ad facta attinet, romani Pontificis primatum testantur:

1) tot consultationes ex quavis orbis plaga ad sedem apostolicam missae. Luculenta sunt haec Hieronymi de se referentis (epist. ad Agerruchiam al. 11. or. 10.) verba: „Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum romanae urbis episcopum, et Orientis Occidentisque synodicis consultationibus responderem" etc. Praxis vero consulendi romanos episcopos, si *tempus* et *locum* spectes, est *universalis* et *constans;* si consulentium numerum vel dignitatem, ea est *solemnis;* si titulum, non innititur ea dotibus personalibus sapientiae (nam multi romani episcopi non claruerunt scriptis operibus scien-

tiaque), sed innititur romanorum episcoporum muneri, quo sunt petra fidei, Ecclesiae fundamentum, unitatis centrum, quo debent pascere non solum agnos, sed et oves, confirmare nutantes fratres.

2) Non solum consulebant majores nostri sedem apostolicam, sed et ad eam recurrebant in negotiis ecclesiasticis, ut episcopi romani pro suo munere et sollicitudine bono prospicerent Ecclesiae universae. Hinc vix dum aliqua haeresis aut aliquod schisma grassari inciperet, illico omnium oculi tum episcoporum tum fidelium ad romanum Pontificem tamquam ad communem magistrum et judicem convertebantur: ejus suffragium uti tesseram decretoriam habebant, ut cum dissidentibus communicare pergerent, aut ipsis Ecclesiae communionem denegarent. Id factum est in Ario, Macedonio Eutichete, Nestorio, Pelagio, monotheletis, aliisque omnibus haereticis.

3) Romani Pontifices condemnarunt pravas consuetudines aliarum ecclesiarum, patriarchis etiam vel exarchis orientalibus subditarum, celebrationem conciliorum praeceperunt, exortas lites pro auctoritate sua composuerunt, refrectarios non tantum in materia fidei, sed etiam disciplinae anathema quandoque minati sunt, quandoque etiam dixere. Sic saec. I. S. Clemens I. ep. I. ad Corinthios, qui episcopum suum cum presbyteris deposuerunt, declaravit episcopos et presbyteros semel legitime institutos non posse a populo deponi, jussitque sub comminatione aeternae damnationis et anathematis episcopum et presbyteros iterum recipi. — Saec. II. S. Victor papa Theophilo Caesariensi episcopo praecepit, ut concilium episcoporum Palestinae cogeret in causa paschatis celebrandi. Polycrati ephesino, aliisque Asiae minoris episcopis, judaico more decima quarta luna pascha pertinaciter celebrantibus anathema minatus est. — Saec. III. S. Stephanus I. Cypriano et Firmiliano, qui baptizatos ab haereticis rebaptizabant a sententia sua recedere nolentibus anathema minatus est. S. Dionysius papa datis ad Dionysium Alexandrinum literis, quem clerici alexandrini haeresis accusarunt, jussit eum explicare, quae contra Sabellium scripserat, ut testatur S. Athanasius (libr. de synodis). Alexandrinus Pontificis rom. jussis obtemperans, quatuor libros Romam transmisit, quibus catholice mentem suam explicabat, ideoque a rom. Pontifice absolutus est. — Saec. IV. S. Julius Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum ab arianis episcopis sedibus suis ejectos cognita causa auctoritate sua pristinae dignitati restituit. — Saec. V. in ephesino concilio S. Coelestinus Nestorium privari jussit episcopatu; in chalcedonensi vero S. Leo M. Dioscorum, quin etiam ex codicibus ecclesiasticis expungi et eradi imperavit canonem 28. chalcedonensem, quo primus locus post rom. Pontificem tribuebatur episcopo Constantinopolitano. — Saec. VI. Agapetus papa Anthimum Constantinopolitanum, euthychianis faventem, sacerdotio et christiana communione privavit, ejusque loco Mennam patriarcham constituit, suisque manibus Constantinopoli in basilica S. Mariae consecravit.

4) Quavis aetate romani Pontifices vicarios suos in variis regionibus aut ordinarie aut ad tempus habuerunt cum reservatione tamen majorum causarum. Porro quemadmodum ex eo quod rex mittit proreges ad provincias, intelligimus regi eas provincias esse subjectas; et ut ex eo quod rex injungit judicia praesidibus provinciarum cum reservatione certarum causarum, intelligimus, regem esse summum judicem: ita quoque ex eo quod apostolica sedes vicarios habuit in omnibus fere longinquis regionibus vel vices suas ad tempus alicui committebat, et tamen ad se graviora negotia referri volebat; recte colligimus, ad apostolicam sedem summum judicium totius Ecclesiae pertinere. Argumentum ineluctabile sumitur ex eo quoque, quod romanus Pontifex a nemine in terris judicari posse existimatus sit. Non enim potest evidentius ostendi principatus ejus, quam si constat, ita omnibus esse praelatum, ut nemini vicissim sit ipse subjectus.

Ex his satis patet illa *realis praesentia* romani Pontificis in toto orbe, qua scilicet sicut Ecclesia una est et catholica sive toto orbe diffusa, ita ubique supremum Ecclesiae caput deprehenditur vivens et operans ac corporis totius operationes usquequaque administrans.

560. Ille igitur primatum exercet in Ecclesia Dei, qui causa de novo cognita episcoporum sententias vel approbat vel rescindit: qui justa de causa consuetudines ecclesiarum totius orbis abrogare potest; qui lites in Ecclesia Dei exortas pro auctoritate sua componit; qui canonum observantiam ubique locorum urget et quandoque legitimis de causis eorum obligationem relaxat; qui refractarios quoscunque a communione Ecclesiae separat; ad quem referri debent majores causae; ad quem denique fideles, dum se episcoporum sententia oppressos existimant, appellare possunt. Sed talis est romanus Pontifex. Ergo romanus Pontifex exercet ac semper exercuit primatum in Eccesia Dei.

561. Probatur secunda pars i. e. probatur, romanos Pontifices, qui Petro succedunt, primatum obtinere in universam Ecclesiam se-

cundum Christi ipsius institutionem i. e. *jure divino.* Et sane eodem jure successor Petri habet primatum in Ecclesia Dei, quo illum habuit B. Petrus. Atqui B. Petrus illum habuit jure divino et successor B. Petri est romanus Pontifex, sicut jam demonstravimus. Ergo eodem jure habent illum et romani Pontifices. Nam Christus contulit B. Petro primatum non in illius commodum, sed in bonum Ecclesiae, quum Pontifex sit propter Ecclesiam, non vero Ecclesia propter Pontificem. Ergo quum sciret Christus, B. Petrum non esse immortalem, atque Ecclesiae necessarium esse post mortem B. Petri pastorem universalem, officium ordinarium supremi Capitis et pastoris suarum ovium voluit ut perduraret in successoribus Petri. Ergo divino jure Petro succedit in primatu romanus Pontifex.

562. Idem deduci potest ex auctoritate Patrum et Conciliorum in antecedentibus thesibus adducta. Et sane romanus Pontifex jure successionis exercebat et adhuc exercet approbantibus omnibus episcopis tum singillatim tum simul sumptis omnia jura illius primatus, quem Christus ipse Petro tradidit et quem in legitimis illius successoribus voluit perdurare. Ergo romanus Pontifex jure divino primatum obtinet. Et re quidem vera si quis attente scripta Patrum in rem praesentem pervolutaverit, persentiet, eos de successione romani Pontificis in sedem Petri non sic loqui, ut loqui solent de iis, quae agnoscant esse humanitus instituta, sed eos uti oratione, qua utuntur, quum de rebus divinitus institutis sermonem habent. Ad hoc probandum non indigemus peculiaribus testimoniis, quum per se in tota veterum recensita traditione in omnium oculos animosque incurrat. Sufficit adducere testimonium concilii Florentini, quod consentientibus Graecis et Latinis in definitione fidei pronuntiat: „Definimus sanctam apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere principatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum, et in sacris Canonibus continetur.“ Ex qua definitione evidenter patet, Romano Pontifici primatum jurisdictionis traditum esse a *Domino nostro Jesu Christo*, ac proinde romanos pontifices *jure divino* obtinere primatum, non autem humana sive ecclesiastica sive politica dispositione.

Quapropter et concilium Vaticanum definivit (sess. IV. c. II.): „Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.“

563. Itaque jure divino et ex institutione Christi factum est, ut „aliquis“ semper succedat B. Petro in primatu, quia Christus principatum in Ecclesiam universam usque ad consummationem saeculi duraturam instituit. Atque hoc fide divina credendum est. Similiter eadem divina fide credendum est, romanum Pontificem esse jure divino supremum Ecclesiae universalis caput et B. Petri in primatu successorem. Succedere enim jure divino aliquem B. Petro in primatu, evidenter et clare deducitur ex scripturis; illum autem esse romanum Pontificem, habetur ex traditione apostolico-divina B. Petri, quam concilia generalia, Pontificum decreta et unanimis Patrum consensus declarant; quamvis daremus adversariis, romanum Pontificem determinate prae aliis episcopis non succedere jure divino et ex voluntate expressa Christi in primatu, sed ex facto B. Petri, qui alium sibi succedere noluerit in episcopatu universali, quam successorem in episcopatu romano.

Quod si ulterius quaeras, an pontificatus universalis Ecclesiae ita sit jure divino episcopatui romano adnexus, ut ab illo separari non potuerit a B. Petro: sive si quaeras, an v. g. princeps apostolorum Mediolani erigere cathedram non potuerit, ita ut successorem suum in episcopatu v. g. mediolanensi haberet etiam successorem in episcopatu universali et primatu: respondetur, salva fide liberum esse cuicunque ut placuerit sentire, quum Ecclesia circa rem istam nihil definierit. Quia tamen S. Ambrosius in oratione contra Auxentium, et S. Athanasius in Apologia pro fuga sua scribunt, Petrum Christi jussu Romae martyrium pertulisse; ac praecipue quia Christus post resurrectionem suam saepius apostolis suis apparuit, loquens de *regno suo*, multo probabilius ac verisimilius videtur, id non ex mero facto ac beneplacito Petri contigisse, sed jussum fuisse a Christo vel tunc jam vel per revelationem posteriori tempore factam, Romam stato tempore proficisci, cathedram ibi erigere, atque episcopatum illum particularem usque ad mortem gerere, et episcopatum universalem episcopatui romano adnectere.

564. Hinc licet electio et agnitio cujuscunque romani Pontificis sit factum humanum, tamen eo facto posito tamquam conditione non solum romanus Pontifex ex divino jure succedit in primatum Petri, sed etiam de singulis romanis Pontificibus in concreto de Leone XIII. creditur, eos esse Petri successores in primatu, ut veritas particularis contenta in practica generali propositione revelata, et ab Ecclesia practice ad credendum proposita.

565. *Scholion I.* Hinc per se sequitur, jus nominandi, eligendi aut confirmandi Pontificem romanum non competere imperatoribus. Verum quidem est, reges Gothorum et imperatores orientales sibi hoc jus saepe usurpasse, at et constat id cum violentia ac injuria actum fuisse. Ecclesia id, quum impedire non posset, ad evitanda tamen majora mala ob seditionum pericula ac temporum acerbitatem dissimulante. Talis usurpatio erat v. g. quod a Pontificibus romanis pecunia numeranda fuerit pro confirmatione, nimirum 20 librae auri, ac quod electus Pontifex consecrari non potuerit, antequam consensus imperatoris constantinopolitani accederet. De hoc penso pecuniario questus est S. Gregorius M. (aut quicunque demum fuerit commentarii illius auctor) in psalm V. scribens: „Domina gentium, et regina provinciarum (Ecclesia) facta est sub tributo.“ Hinc talis usurpatio numquam potest praescribi, utpote quae, ex vi et injuria orta, nullum jus legitimum efficit; neque consuetudo valorem tribuit, quae gravissimus est abusus, repugnans priscis Ecclesiae moribus et sanctionibus. Hinc romani Pontifices persuasum habentes, talem usurpationem non ad aedificationem sed ad destructionem Ecclesiae tetendisse, magno conatu egerunt, ut tum se tum episcopos ab influentia regum liberarent.

566. *Scholion II.* Contra primatum romani Pontificis perperam adducunt adversarii canonem VI. concilii nicaeni et canonem XXVIII. concilii chalcedonensis. Canon. VI. concilii nicaeni sic se habet: „Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Lybiam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romae episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, caeterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis.“ Hic canon non agit de *primatu* romanae ecclesiae, sed de jure patriarchatus. Patres nicaeni voluerunt cohibere molimina schismatici Meletii, qui jus patriarchale invaserat episcopo Alexandrino. Porro in citato canone ducitur argumentum ab exemplo seu a simili: ut scilicet si ipsemet episcopus romanus non invadit jura aliorum patriarcharum, sed uno contentus est in Occidente; quanto minus permittendum sit, ut patriarchatus orientales ab aliis episcopis invadantur. Et sane rom. Pontifex etiam post sancitum illum canonem et de personis aliorum patriarcharum et de sententiis ab ipsis latis judicium tulit: nec ipsum eam ob rem usurpatae auctoritatis violatique nicaeni canonis IV. coarguit aliquis. Quare canon ille non loquitur de rom. Pontifice ut vicario Christi

et successore B. Petri in primatu, qui ex officio universam Ecclesiam Dei gubernat; sed de eodem tanquam patriarcha Occidentis, qui praeter generalem illam omnium ecclesiarum, specialem habet curam ecclesiarum Occidentis. Itaque nicaenum concilium alexandrini patriarchae potestatem et jurisdictionem non mensuravit ad normam pontificiae potestatis, quae romano episcopo in orbem competit universum; sed ad normam patriarchici juris, quo ille fruitur in solum Occidentem. (Sardagna de prim. rom. Pont. art. III. controv. III. — Perrone de rom. Pont. n. 571 seq. — Cercia de rom. Pont. lect. IX.)

Canon XXVIII. concilii chalcedonensis conceptus est his verbis: „Etenim antiquae Romae throno, quod nobis illa imperaret, jure patres privilegia tribuerunt, et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt.“ Quod ad hunc canonem attinet, compertum est, eum, legatis romanis absentibus exaratum, rejectum fuisse a S. Leone M. atque ab insequentibus rom. Pontificibus, adeo ut non solum vim ullam numquam habuerit, sed insuper graeci ipsi in suis canonum collectionibus illum penitus praetermittant. Praeterea in hoc canone nullo modo agitur de ipso ecclesiae romanae *primatu*, sed est sermo tantum de jure patriarchatus, neque mens concilii fuit CPolitanos episcopos aequare rom. Pontifici ut capiti universalis Ecclesiae, sed tantum ut patriarchae Occidentis, ideoque concilium CPolitanum I. can. II. ait: „CPolitanus episcopus habeat priores honoris partes post rom. Episcopum, propterea quod sit nova Roma.“

Caput III.

De vi et ratione primatus romani Pontificis.

Articulus I.

Primatus auctoritas, qua divino jure pollet romanus Pontifex, auctoritas est episcopalis, quae singulos complectitur Christi fideles, etiam episcopos.

567. Primatus, qua primatus est, est auctoritas *episcopalis*, ejusdem nempe naturae et speciei, ac est auctoritas ex divino jure divinaque institutione omnium et singulorum episcoporum eo cum discrimine, ut reliqui episcopi definitis regionibus et subditis imperent, Pontifex vero aequaliter dominetur omnibus regionibus, omni-

bus Christi fidelibus, omnibusque episcopis sic ut reliquo vulgo ac plebi fidelium.

568. Et sane auctoritas episcopalis consistit in immediata et ordinaria potestate pascendi, regendi et gubernandi gregem sibi commissum, dicente Apostolo (Act. XX. 28): *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopus regere Ecclesiam Dei:* et apostolo Petro (1. c. V. 2): *Pascite qui in vobis est, gregem Dei.* Atqui Petro ac proinde ejus successoribus romanis Pontificibus Christus eamdem contulit potestatem, pascendi scilicet immediate, regendi et gubernaudi Ecclesiam universam, quae ex aguis et ovibus, id est, populo ac pastoribus coalescit. Nam

a) Rom. Pontifex est petra Ecclesiae, principium proinde efficiens unitatis totius Ecclesiae per auctoritatem; necesse est ergo, ut omnes, quicunque in societate sunt, immediate pendeant ab eo principio, i. e. necesse est, ut omnes in Ecclesia *fideles* et *episcopi* immediate subsint supremae et plenae auctoritati romani Pontificis.

b) Romano Pontifici commissae sunt pascendae oves et agni Christi, omnes nempe oves et omnes agni; praeter agnos autem et oves in Ecclesia nihil est. Quicunque ergo est in Ecclesia, pascendus est et pascitur a Petro, ovis est aut agnus Petri; ad omnes ergo immediate extenditur pastoratus Petri sive romani Pontificis. Cur enim episcopus aliquas oves immediate pascit qua suas nisi quia ipse est pastor earum? At illae ipsae ceteraeque simul cum episcopis sunt oves Petri, ipse est pastor omnium. Et sane relatio inter pastorem et oves aut agnos suos est immediata, ipse nempe jus et officium habet regendi eas actione sua, suo ductu, sua cura et sollicitudine. Itaque institutio divina primatus eo spectat, ut jurisdictione Petri sive romani Pontificis regantur immediate omnes, quicunque sunt in Ecclesia.

Ergo primatus quem habuit Petrus, adeoque rom. Pontifex, est potestas *episcopalis,* quae *singulos* complectitur *fideles,* etiam *episcopos.*

569. Hinc factum est, ut in vetustissimis ecclesiasticis documentis rom. Pontifex appelletur *episcopus episcoporum, episcopus universalis* seu *oecumenicus, pastor pastorum, caput capitum, Pater Patrum.* S. Bernardus scribit ad Eugenium (l. II. de cons. c. VIII.): „Tu princeps episcoporum; tu haeres apostolorum . . . Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli janitores, et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius prae illis nomen haereditasti. Habent illi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum omnium tu unus pastor.“ Pariter sententia est Patrum, unum in universa Ecclesia episcopatum esse (Cornelius p. ad Fabium Antioch.), „et unam esse cathedram in Ecclesia“, quae est cathedra romana; quae quidem aliaeque denominationes aperte ostendunt, pontificium primatum idem esse ac episcopalem potestatem seu auctoritatem, quae sese ad omnem extendat Ecclesiam. Idem conciliis oecumenicis confirmatum est. Et sane in Lateranensi IV. c. V. de romana ecclesia dicitur, quod „disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.“ Porro si mater est omnium et magistra, ergo omnes, quicunque sunt fideles, immediate regit et docet: ideoque principatus ordinariae potestatis super omnes alias ecclesias, est primatus, quo romanus episcopus est: *Ordinarius totius* Ecclesiae. In Concilio Florentino definitum est, romanum Pontificem esse „totius Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere“; porro si Pater est et doctor omnium christianorum, hi omnes, nec episcopis exceptis, subditi ejus proprie sunt ejusque curae et potestati immediate subjecti, quemadmodum filii parentibus. Haec innovat atque fusius evolvit concilium vaticanum: „Si quis itaque dixerit, romanum Pontificem . . . habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores, anathema sit.“ (Conc. Vat. sess. IV. c. III.)

570. Luculentissime hanc eamdem veritatem constans ac perpetua praxis romanorum Pontificum confirmat. Res enim testatissima est in historia ecclesiastica, romanos Pontifices suam hanc potestatem exercuisse sive in decernendis fidei controversiis ubique terrarum exortis, sive in praefigenda disciplina, sive in recipiendis dejectorum episcoporum appellationibus, sive in restituendo sedibus suis illos, qui immerito fuerant exauctorati, in mulctandis, quum opus fuit, excommunicatione praesulibus et orientalium sedium patriarchis, in coarctanda episcoporum jurisdictione nonullis casibus sibi reservatis; in amovendis episcopis reluctantibus a propria sede ob Ecclesiae necessitatem aut magnam utilitatem; sive in aliis demum ejusmodi gravissimis negotiis perficiendis, quae palmari et apertissima prorsus ratione potestatis de qua agimus, exercitium in universam Ecclesiam quovis tempore et ubique locorum in rom. Pontificibus ostendunt.

571. Id ipsum postulat ipsius Ecclesiae notio atque natura. Si enim pontificius primatus minimo reponendus esset in episcopali auctoritate, episcopi unum aliquem communem superiorem et pastorem non haberent; ac proinde essent omnes autocratae et independentes. Sed conditionem episcoporum sequitur conditio cujusque peculiaris ecclesiae, cum ex definitione Cypriani (de unit. Eccl.) Ecclesia sit „plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens.“ Habebimus ergo aggregatum ecclesiarum mutuo independentium, et aggregatum ovilium, non autem, ut esse debet, sub uno pastore unum ovile. Et tamen finis primatus est, non partem Ecclesiae, sed universam, qua late patet, ad unitatem revocare, „ita ut custodita cum romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.“ (Conc. Vat. sess. IV. c. III.)

Ecclesia ergo romana disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, et haec romani Pontificis jurisdictionis potestas, quae vere episcopalis est, immediata est: erga quam cujuscunque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent. (Conc. Vat. sess. IV. c. III.)

572. Sive igitur scripturas expendas, sive constantem Ecclesiae traditionem, sive perpetuam ac jugem Pontificum romanorum praxim, sive denique Ecclesiae naturam et constitutionem: constat, primatus auctoritatem, quam divino jure habet rom. Pontifex, auctoritatem esse episcopalem, quae omnes Christi fideles, etiam episcopos complectitur.

573. Porro ex suprema illa romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobrobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur. (Conc. Vat. sess. IV. c. III.)

574. Primatus, qua primatus est, est auctoritas episcopalis, ejusdem nempe naturae et speciei, ac est auctoritas ex divino jure divinaque institutione omnium et singulorum episcoporum. Potestas scilicet episcopalis romani Pontificis ob primatum, licet habeat actus quosdam sibi *proprios* (uf. v. g. convocatio, praesidentia, confirmatio conciliorum etc.), tamen non debet concipi ut *specie* diversa a *communi* potestate episcopali, sed solum *gradu* seu *intensione* et *extensione*; quum illi ipsi actus jurisdictionis *proprii* primatus sint actus ipsius auctoritatis episcopalis docendi et regendi in sua plenitudine, adeoque gradu potius quam specie a communibus actibus episcopalibus diversi. Discrimen in eo est, ut reliqui episcopi definitis regionibus et subditis imperent; Pontifex vero romanus, habens auctoritatis episcopalis plenitudinem in docendo et regendo cum ordinaria et immediata jurisdictione (quod respicit intensionem), aequaliter dominetur omnibus regionibus, omnibus Christi fidelibus, omnibusque episcopis ut reliquo vulgo ac plebi fidelium (quod respicit extensionem potestatis). Quae potestas romani Pontificis ad regimen a Christo invectum intrinsece ac essentialiter pertinet, ac proinde regimen hoc nativa vi ac primigenio jure institutionis monarchicum censeri atque appellari debet; non est ergo ista potestas, prout adversarii volunt externae tantum assistentiae et quae juribus patriarchalibus et metropoliticis aequiparari possint.

Hinc romanus episcopatus et primatus seu episcopatus in universam Ecclesiam non debent concipi ut duo episcopatus, sed auctoritas episcopalis oecumenica Petri fixa est in speciali Petri cathedra romana et in Petri successoribus romanis Pontificibus. Quemadmodum episcopatus simplex erigitur in archiepiscopatum aut patriarchatum, et episcopus et patriarcha non est bis episcopus, sed semel tantum; atque eo ipso quod quis eligitur talis sedis episcopus, creatur archiepiscopus vel patriarcha. A pari ergo quum unum actu sint episcopatus romanus et primatus universalis, sufficit, ut quis constituatur romanus episcopus, ad hoc ut jure et facto sit summus Pontifex. Sufficit enim in episcopo immutatio sedis et tituli, ut ex mero episcopo evadat summus Pontifex. In eo character episcopalis jam inde in consecratione susceptus, qui per se praescindebat ab extensione et intensitate potestatis jurisdictionis, interveniente facto legitimae electionis, extenditur ad jurisdictionem originariam, plenariam, nullis vicibus per se obnoxiam, qualem requirit primatus.

Patet etiam omnimoda indissolubilitas romani episcopatus a primatu. Quum enim unum sint, nequit separari episcopatus romanus a primatu.

Haec dicta sunt de sede ac sedis titulo, non autem de residentia. Aperta enim identificatio episcopatus romani et primatus ad sedem et titulum refertur,

non vero ad residentiam; neque romanam residentiam evexit Petrus ad totius orbis pontificatum, sed ipsum in se romanum episcopatum. Residentia itaque non ita uni affixa est loco, ut justis intercedentibus causis non possit alio transferri, uti contigit, tot praesertim annis, quibus romani Pontifices Avenione commorati sunt; sique Roma deleretur aut ea christiani aut catholici nominis hostes potirentur, idem plane contingeret. Sed quum sedes, prout Petri sedes est, aut sedis titulus, nulla humana auctoritate immutari queat: fieri quidem potest, ut summus Pontifex resideat Neapoli, Viennae aut Parisiis, numquam vero fieri potest, ut simplex episcopus neapolitanus, viennensis aut parisiensis sit summus Pontifex. (Palmieri de rom. Pont. c. I. art. I. thes. XIII. — Cercia de rom. Pont. sect. II. lect. VIII.)

Articulus II.

Distinctio inter jura primatus essentialia et accidentalia est commentitia.

575. Ex thesi antecedente qua corollarium sequitur, absurdam esse distinctionem inter jura primatus essentialia et accessoria sive accidentalia invectam a Febronianis ad destruenda plurima jura romani Pontificis. Febroniani scilicet jura primatus romani Pontificis in duas classes dispescunt, quorum alia *essentialia* vocant utpote necessario nexu cum primatu ipso colligata; alia vero nuncupant *accidentalia* sive *accessoria*, eo quod ab illo nexu minime dependeant ac illorum exercitium nonnisi medio aevo penes romanos Pontifices esse coeperit. Ast praeter quam quod ista distinctio gratis omnino asseritur et nullum praebet medium, quo jura essentialia possent ab accidentalibus discerni, atque ignota est toti antiquitati, destruit naturam ipsam primatus divinitus Petro ejusque successoribus collati. Nam primatus est auctoritas episcopalis super universam Ecclesiam; quaecunque propterea, annuente romano Pontifice, circa regimen Ecclesiae et disciplinam antiquitus vel servata vel constituta sunt, quia ita ferebant illius aetatis adjuncta, hisce immutatis, atque ita suadente Ecclesiae bono, potuerunt a romanis Pontificibus vi proprii primatus immutari. Id inficiari perinde esset, ac primatum ipsum divinitus institutum evertere. Primatus enim quum non sit solum honoris et cujusdam praeeminentiae, sed verae jurisdictionis, auctoritas nempe cum plena potestate ea statuendi, quae ad Ecclesiae bonum et aedificationem conferre possunt, patet ex ejusdem primatus natura ac vi, jura omnia, quae ei adnexa sunt, pro diversis temporibus diversa posse ratione exerceri. Ex hac autem diversa ratione, qua pro opportunitate diversis temporibus Pontifices jura illa exercuerunt, nullo modo inferri licet invecta illa distinctio, ita ut alia

dici debeant jura essentialia, alia vero accidentalia aut accessoria, quum omnia prorsus ex eadem divini primatus natura dimanent. Haec proinde distinctio naturae primatus Petro ejusque successoribus divinitus collati omnino adversatur.

576. Hinc licet Christus etiam episcopis commiserit Ecclesiam jure ordinario regendam, exinde tamen non sequitur, prout Febroniani volunt, per primatialem Pontificis auctoritatem ordinem a Christo institutum perturbari. Nemo enim est, qui dubitet, potestatem jurisdictionis, qua episcopi divinitus instructi sunt, summo Ecclesiae primati ita ex eadem divina dispositione subjici, ut ille possit pro Ecclesiae bono ejus exercitium moderari, imminuere aut etiam omnino tollere. Tantum igitur abest, ut perturbetur ordo a Christo institutus per primatialem Pontificis auctoritatem, ut potius maxime conservetur. Immerito igitur antiqua opponitur praxis, quae episcopis plura permittebat, quae nunc eisdem sunt interdicta. Quid enim ex tali praxi nisi diversam diversis temporibus disciplinam esse adaptatam deduci potest? Aliud est jus, aliud juris exercitium. Illud utpote in natura primatus fundatum, qualecunque ejus exercitium sit, immutabile est, hoc cum temporis vicissitudine mutationi subjacet. — Prae oculis habendi sunt quoque nonnullorum episcoporum abusus in exercitio suae auctoritatis, qui occasionem praebuerunt romano Pontifici plura sibi reservandi.

577. „Tantum autem abest, ut haec summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ergo vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.“ (Conc. Vat. sess. IV. c. III.)

578. Romanus ergo Pontifex est supremus superior totius Ecclesiae, cui totius gregis Christi cura incumbit, sic ut unusquisque fidelium, quocunque gradu dignitatis sit praeditus, verissime ovis romani Pontificis dici debeat; interque hunc et illum ea intercedant sive officia sive jura, quae ex ss. literis et traditione sive pastoribus sive ovibus imponuntur. Idemque dicendum est de singulis gregibus seu de ecclesiis particularibus ac de tota Ecclesia,

quae ita romano Pontifici est concredita, uti singula individua. At vero non poterat certe solus romanus Pontifex per se ipsum in toto orbe totum gregem dominicum et singula ejus individua immediate pascere. Quid ergo Christus? Ex una parte nullatenus derogare voluit principio unitatis, quo totius Ecclesiae cura uni episcopo committeretur: ex alia ipsemet instituit ordinem illorum, qui uni illi subjecti, et ei tanquam centro perpetuo adhaerentes, consortes fierent episcopalis potestatis in primo illo constitutae, ut sub ipso et cum ipso jus fidelibus dicentes, in grege dominico procurando eundem adjuvarent. Id primum factum est in consociatione apostolorum instituta respectu Petri, et communicatione facta apostolis (Matth. XVIII.) illius potestatis, quae *in solidum* (Matth. XVI.) fuerat collata soli Petro. Hoc ipsum pergit peragi in successore s. Petri, et successoribus apostolorum usque ad consummationem saeculi. (Cercia de rom. Pontif. sect. III. lect. II. — Perrone de rom. Pontif. n. 705. seq.)

Articulus III.

Ad solum romanum Pontificem vi sui primatus spectat concilia oecumenica cogere, iis praesidere, eaque confirmare.

579. Concilium etymologice spectatum, quamlibet congregationem denotat. Antiquissimo autem, in Ecclesia recepto, usu concilii nomen illis tantum conventibus tribuitur, in quibus plures praesules ecclesiastici, et quidem ad negotia ecclesiastica pertractanda congregantur; congregationes autem in negotiis civilibus habitae, *comitia* dici solent.

580. Concilium, si ex aliqua provincia est congregatum, *provinciale,* si ex natione integra, *nationale,* et utrumque communi nomine *particulare* vocatur; si contra ex toto orbe congregatur, ita ut universam Ecclesiam repraesentet, *generale,* sive graeco nomine *oecumenicum* dicitur. Est ergo concilium oecumenicum *conventus praesulum ecclesiasticorum, ex universo orbe catholico congregatorum ad negotia ecclesiastica collatis suffragiis definienda legitime institutus.*

Concilium, cui legitima auctoritas deest, *conciliabulum* nominatur.

581. *Ad solum romanum Pontificem vi sui primatus spectare jus convocandi concilia oecumenica,* patet:

1) *Ex ipsa natura concilii oecumenici.* Est enim de natura concilii oecumenici, ut auctoritatem in universam Ecclesiam exerceat. Jam vero talis auctoritas concilio quantumvis magno, nisi a romano Pontifice convocatum fuerit, convenire nequit. Et re quidem vera auctoritas in universam Ecclesiam, quae concilio oecumenico ex ejus natura competit, non ex eo oritur, quod singuli episcopi inchoativam et incompletam auctoritatem in universam Ecclesiam obtineant, quum auctoritas episcoporum per se ad limites dioecesis, cui quisque eorum praefectus est, restringatur et ultra eos limites nulla sit; sed ex eo tantum est petenda, quod ipsi in concilio oecumenico collegium apostolorum repraesentant, cui a Christo dictum est (Matth. XVIII. 18.): *Quaecunque alligaveritis super terram* etc. Sed sicut Petrus caput ipsius apostolorum collegii fuit, cujus ab ipso sejuncti nulla sunt jura, nulla Christi promissa; ita etiam episcopi in unum collecti in jura apostolorum collegio data, romano Pontifice non interveniente, succedere nequeunt, et actum rebellionis comitteret, qui absque romano Pontifice in concilio ad Ecclesiam universam repraesentandam congregato ageret. At si concilium sine romano Pontifice, utpote apostolorum collegium non repraesentans, oecumenicum non est, imo manifesta est usurpatio potestatis indebitae, si affectaret, sé esse oecumenicum; per se fit consequens, ut hoc sine romani Pontificis auctoritate ne congregari quidem possit.

2) *Ex ipsa natura primatus.* Ad illum enim proprie et per se pertinet convocare concilia oecumenica, qui supremam habet in Ecclesia auctoritatem ab ipso Christo sibi collatam, quique jussus est pascere universam Ecclesiam, et cui omnes episcopi parere tenentur. Atqui soli romano Pontifici talis auctoritas competit eique soli omnes episcopi subjiciuntur. Ergo ad illum solum spectat, concilia generalia convocare. Hoc romani Pontificis jus ex eo confirmari potest, quod in omni bene instituta et moderata societate jus generalia comitia indicendi ad eum pertinet, qui honore et auctoritate ceteris antecellit, qualis in Ecclesia vi primatus divinitus instituti romanus Pontifex est.

3) *Ex auctoritate conciliorum.* In chalcedonensi act. I. Dioscorus Alexandrinus locum inter episcopos occupare prohibitus est, petente id Lucentio Leonis M. legato: „Quia praesumsit, et ausus est synodum generalem facere (ephesinam II.) sine authoritate Sedis Apostolicae: quod nunquam licuit, nunquam factum est.“ In Nicaeno act. VI. irritum pronuntiatur CPolitanum concilium sub Copronymo imperatore habitum, quia sine consensu rom. Pontificis celebratum est.

4) *Ex auctoritate veterum Pontificum.* S. Julius I. ep. ad Orientales (apud S. Athan. Apol. II.) asserit, fuisse a sanctis apostolis

traditum, dein a magna (Nicaena) synodo declaratum, non posse ullam convocari synodum inconsulto aut invito rom. Pontifice. — Pelagius II. ep. VIII. ad episcopos Orientis, quos Joannes Jejunator patriarcha CPolitanus ad synodum generalem vocaverat, scribit: „Relatum est ad Apostolicam Sedem, Joannem CPolitanum episcopum Universalem se scribere, vosque ex hac sua praesumptione ad Synodum convocare Generalem: Cum Generalium Synodorum convocandarum authoritas Apostolicae Sedi B. Petri singulari privilegio sit tradita: et nulla unquam Synodus rata legatur, quae Apostolica authoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in praedicto vestro conventiculo . . . statuistis, ex auctoritate S. Petri Apostolorum Principis . . . praecipio omnia, quae ibi statuistis, et vana, et cassata esse.“ Porro cum haec scripsit Pelagius II. saec. VI. nemo episcoporum reclamavit. Reclamassent autem, si sedi apostolicae auctoritatem convocandi concilia generalia immerito et praeter jus asseruisset.

Imperatoribus ergo aut principibus laicis nullum omnino jus competit convocandi concilia. Concilia enim oecumenica non convocantur ob secularia negotia, sed ad commune et spirituale bonum totius Ecclesiae: nimirum vel ad controversias fidei dirimendas vel ad instaurandam disciplinam; ergo ea convocari non possunt, nisi ab habente supremam auctoritatem in Ecclesia Dei: sicut comitia regni monarchici a nemine alio, quam a rege convocari possunt. Jus ergo convocandi concilia ad solum romanum Pontificem pertinet, ita tamen, ut possit etiam alius, de Pontificis mandato vel consensu, concilium indicere: imo sufficiat, si indictionem factam ab alio ipse postea approbet vel confirmet.

582. Exinde, quod romani Pontifices saepius rogaverint imperatores, ut concilia oecumenica convocarent, non potest inferri, ipsos Pontifices agnovisse hoc jus imperatorum. Nam Pontifices romani variis gravibusque de causis petierunt ab imperatoribus, ut ipsi oecumenicam synodum convocarent, vel saltem convocari paterentur.

a) Quia tunc vigebat imperialis lex antiqua, qua frequentes hominum conventus, absque imperatoris auctoritate, metu seditionum aut conspirationis prohibebantur.

b) Concilia commode fieri non poterant, nisi in urbe aliqua imperiali, igitur sana ratio dictabat, conventum hunc fieri non debere absque consensu domini illius urbis.

c) Haeretici et schismatici, legitimae praefectorum ecclesiasticorum auctoritati non satis subjecti, imperatorum erant compescendi auctoritate, quam ipsi vix adhibuissent, nisi negotia in synodis a se indictis fuissent tractata.

d) Propter ecclesiarum paupertatem non potuissent episcopi longa itinera conficere, praesertim ut ex universo orbe in unum locum concurrerent, nisi vehicula publica et sumptus necessarios pia Augustorum liberalitas subministrasset.

583. Quod ad ipsam convocationem conciliorum oecumenicorum attinet:

1) requiritur, ut ad concilium generale convocentur omnes et soli episcopi, nam illis solis in apostolis impositum est a Christo munus docendi atque in hoc munere promissa est divina assistentia;

2) requiritur, ut gaudeant jure suffragii decisivi. Omnes enim episcopi potestate docendi, ligandi et solvendi praediti, et ad regendam Ecclesiam a Spiritu sancto constituti sunt; ideo episcopi in conciliis subscribere solent: „Ego N. N. statuens vel definiens subscripsi.“

Hoc jus etiam concedi solet abbatibus supremis coenobiorum, et generalibus ordinum, tum quia jurisdictione quasi episcopali gaudent, tum quia traditionem suorum coenobiorum et ordinum contestari possunt.

Theologi autem et canonistae, scientia et pietate conspicui, ad concilia vocari solent non cum jure suffragii decisivi, sed ut materias pertractandas examinent et episcopos in rebus fidei indagandis et controversiis dirimendis consiliis suis juvent.

3) Non tamen requiritur, ut omnes et singuli episcopi ad concilium generale conveniant. Quominus id fiat impedimenta physica et moralia obstare possunt: fieri enim potest, ut nonnulli ex episcopis senio aut morbo, aut difficultate itineris, aut vi et armis retineantur; vel ipsorum praesentia necessaria esse potest ad seductionis pericula a gregibus suis removenda. Absonum autem esset dicere, Christum promissionem de sua et Spiritus sancti assistentia conditioni impossibili alligasse et concilium generale ac infallibile solum sub hypothesi fieri, quae nunquam verificari poterit. Etiamsi ergo non omnes episcopi conveniant, concilium nihilominus generale et infallibile habendum est, dummodo tot ex diversis orbis catholici partibus conveniant, ut „moraliter“ sufficiant ad universam Ecclesiam docentem repraesentandam. Ad id autem sufficere jure censentur, si ex singulis regnis et provinciis orbis catholici tot convenerint, ut valeant doctrinam regnorum illorum aut provinciarum contestari. Tunc enim moralis totius Ecclesiae consensus habetur.

4) Neque est necessarium, ut omnes simul episcopi in unum eundemque locum congregentur; posset enim contingere, ut episcoporum alii in una civitate, alii vero in altera congregentur, et in

hoc casu ex illorum omnium mutua consensione erumperet universalis Ecclesiae definitio.

Etiamsi omnes episcopi in unum locum congregarentur romano Pontifice repugnante, non constituerent concilium oecumenicum.

584. ***Ad solum romanum Pontificem pertinet secundo, praesidere conciliis oecumenicis*** vel per se vel per legatos suos. Et sano illius est conciliis praesidere, qui jure divino praesidet Ecclesiae universae, quam concilium generale repraesentat. Atqui solus romanus Pontifex jure divino praesidet Ecclesiae universae. Ergo ipse solus potest episcopis in concilio collectis tamquam caput ac supremus pastor praeesse. Et certe concilium nequaquam universam Ecclesiam repraesentaret, si hujus caput, romanus Pontifex deesset. Inde mos nominandi romanum Pontificem caput concilii. Sic v. g. synodus chalcedonensis de rebus gestis ad Leonem scribens ita loquitur: „Quibus (nobis) tu quidem, sicut membris caput praeeras in his, qui tuum tenebant ordinem.“ Ex qua concilii sententia romanus Potifex non secus concilio praeest ac caput membris, et proinde verum ejus caput existit.

585. Idem probatur ex antiquissima et nunquam interrupta praxi Ecclesiae. Certo constat, rom. Pontificem conciliis omnibus occidentalibus, quae a saec. IV. ad nostra usque tempora celebrata sunt, per se ipsum, Tridentino autem per legatos praesedisse. Orientalibus vero conciliis, Nicaeno I. nomine Sylvestri praesederunt Osius Cordubensis, Vitus et Vincentius presbyteri. CPolitano I., quia oecumenicum non erat, nisi consideretur ut unitum romano occidentalium episcoporum concilio, quod anno 382 celebratum est, Damasus nec per se, nec per legatos praesedit. Ephesino I. nomine Coelestini S. Cyrillus Alex., Arcadius et Projectus episcopi, et Philippus presbyter. Chalcedonensi nomine Leonis M. Paschasinus et Lucentius episcopi, Bonifacius et Basilius presbyteri. CPolitano II. Vigilius papa, quamvis tunc CPoli versaretur, atque a graecis patriarchis et metropolitis invitatus fuisset, ut concilio praesideret, justis tamen de causis noluit concilio per se aut legatos suos interesse ac praesidere: ut nempe Pontifex et a vi sibi caveret, et haberet integram decisionem in concilio statutorum, cum non exspectaretur numerus occidentalium aequalis ab imperatore promissus. CPolitano III. nomine Agathonis, Theodorus et Gregorius presbyteri, Joannes diaconus et Constantius subdiaconus. Nicaeno II. nomine Hadriani I. Petrus abbas S. Sabae et Petrus archipresbyter.

CPolitano IV. nomine Hadriani II. Donatus ac Stephanus episcopi ac Marinus diaconus. Hos nomine rom. Pontificum praesedisse conciliis orientalibus certo constat tum ex probatissimis historiae ecclesiasticae scriptoribus, tum ex genuinis conciliorum actis, in quibus primi sententiam ferunt, definiunt ac subscribunt ante omnes patriarchas, quamquam aliqui legati episcopi non fuerint, sed tantum presbyteri, imo inferiores clerici, diaconi aut subdiaconi.

Quod vero imperatores aut alii principes laici praesidere non possint conciliis, facile evincitur ex eo, quia praeses concilii debet sententiam ferre. Atqui imperatores et principes laici non possunt sententiam ferre in materia fidei et morum.

Contra hanc doctrinam frustra objicitur, imperatores orientales praesedisse conciliis in Oriente celebratis et subscripsisse. Sederunt enim illi quidem primo loco honoris causa ut caesares, non tamen praesederunt ut judices, testante Martiano in concilio Chalcedonensi, se venisse ad confirmandam non ad explicandam fidem. Subscripserunt illi, non more episcoporum „definientes“ sed „consentientes“ et quidem Constantinus Magnus, Martianus, Constantinus Pogonatus post omnes patriarchas et episcopos, Basilius vero post legatos romani Pontificis et patriarchas, ante episcopos tamen, quia ut ipse ait, tali eum honore episcopi afficere voluerunt.

Quod ad episcopos attinet, quibus romani Pontifices sive per se sive per legatos suos praesident in conciliis, animadvertendum est, necessario requiri, ut illi suffragia decisiva ferant et in hisce ferendis omnino liberi sint et nullatenus per vim, metum aut fraudem in unam alteramve sententiam flectantur, quia consensus Ecclesiae docentis, cui infallibilitas promissa est, non haberetur, si episcoporum subscriptio iniquo modo extorqueretur. Requiritur etiam, ut praesules invocato Spiritus sancti maturo consilio et adhibita industria ac diligentia in conquirenda veritate ad dogmatis definitionem accedant.

586. *Ad solum rom. Pontificem demum pertinere conciliorum confirmationem*, exinde constat, quod nisi ipse concilium confirmaverit sive acceptaverit illive consenserit, hoc neque oecumenicum sit neque in judiciis suis irreformabile. Nam eatenus habetur ut oecumenicum et infallibile concilium, quatenus Ecclesiam universam repraesentat, cui infallibilitatem Christus promisit. Jam vero sine romanno Pontifice, qui totius Ecclesiae caput est, concilium quodlibet aut oecumenicum aut repraesentans universam Ecclesiam nec est nec dici potest, quum sit corpus acephalum. Ergo sine Pontificis confirmatione nullis hisce praerogativis concilium gaudet, multo vero magis eis destituetur, si contradicentem habuerit Pontificem.

Ideo antiquissima est Ecclesiae praxis, conciliorum oecumenicorum decreta ad romanum Pontificem mittendi et pro iisdem confirmationem petendi, quod jam factum esse legitur in concilio ephesino et in concilio chalcedonensi.

*

Ecquidem si ipse romanus Pontifex concilio personaliter intersit et praesideat, et si omnia ipso consentiente peracta et definita fuerint, ulterior confirmatio necessaria non est. Si autem romanus Pontifex praesideat per legatos, ejusdem confirmatio semper requiritur, vel ut declaret, legatos juxta instructionem ab ipso acceptam processisse, vel ut in iis, in quibus legatis nullam instructionem dederat, sententiam suam edicat, quia hoc in casu sine confirmatione sententia capitis deesset. (Sardagna de rom. Pont. art. III. contr. V. — Alb. a Buls. theol. fund. p. III. c. II. art. II.).

Febroniani principibus jus oecumenica concilia confirmandi vindicant, et hunc in finem opponunt, quod acta priorum conciliorum ab imperatoribus confirmata sunt. Sed quam inanis ista objectio sit, facile patet, dummodo confirmationis, quam imperatores dederunt, naturam attendamus. Agebatur de tali confirmatione, qua ipsa Ecclesiae decreta vim legis civilis obtinerent, ita ut eorum transgressores tanquam transgressores legum civilium punirentur; non autem de tali, qua eadem decreta coram Deo et in fore Ecclesiae vim acciperent. Ejusmodi confirmationem Ecclesia nunquam ab imperatoribus expetiit, neque eam eis concessit. Quod si imperatores non raro ejusmodi limites transgressi sunt, nihil potest ex hujusmodi violentiae actibus inferri.

Articulus IV.

Romanus Pontifex vi sui primatus suprema auctoritate gaudet in omnes episcopos etiam in concilio oecumenico collectos.

587. Quaestio, an rom. Pontifex sit supra concilium oecumenicum, ob coeptum inclinante saec. XIV. schisma pontificium, sub initium saeculi sequentis a conciliis Pisano, Constantiensi et Basileensi primum in controversiam adducta, movetur: 1) de papa certo, legitimo et fideli, quia si vel dubius foret ob schisma oppositum aut notabilem acceptationis universalis defectum, vel illegitimus ob notum electionis vitium, vel qua persona privata prolapsus in publicam haeresin, Pontifex verus non est, aut (quod in jure aequivalet) non apparet; et hinc qualicunque praerogativa, illi alias competente, caret aut saltem non gaudet; 2) de concilio oecumenico seorsim accepto a papa, seu cui Pontifex nec per se nec per legatos conjungitur.

588. Propugnamus itaque rom. Pontificem supremam habere in Ecclesia Dei auctoritatem, omnibusque conciliis etiam oecumenicis, superiorem esse. Nam

a) Certe Petrus, non partium Ecclesiae seorsim sumptarum, sed Ecclesiae qua talis (Matth. XVI.) dictus est fundamentum. Ergo illud est Petrus respectu totius Ecclesiae, quod notio importat *fundamenti.* Sed ex hactenus demonstratis notio fundamenti recta nos ducit ad auctoritatem primatus, quae auctoritas est episcopalis, suprema, universalis atque immediata. Hanc ergo auctoritatem habet Petrus, et in eo rom. Pontifex est etiam fundamentum concilii oecumenici, quod repraesentat Ecclesiam. Si autem rom. Pontifex est fundamentum, est etiam superior conciliis oecumenicis, quia fundamentum in domo idem est, quod caput in corpore, princeps in republica. Et re quidem vera, cui promisit Christus, non futurum unquam, ut portae inferi praevalerent? Nimirum non singulis Ecclesiae partibus, quae utique persaepe vincuntur, sed collectioni Ecclesiae reduplicative ut efformat Ecclesiam, et quidem quatenus actu nititur Petro ut suo fundamento: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ergo Petrus est supra concilia oecumenica, quae repraesentant Ecclesiam.

b) Alterum argumentum petitur ex verbis (Matth. XVI.): *Tibi dabo claves regni coelorum.* Quamvis Christus claves regni coelorum tradiderit reliquis etiam apostolis, eas tamen peculiari modo promisit et tradidit B. Petro, quo eas apostolis non concessit, nimirum absque omni subordinatione et dependentia ab homine. Ergo etiam romani Pontifices, B. Petri successores, habent aperiendi et claudendi potestatem supremam atque a solo Deo dependentem, quam nec apostoli habebant, nec concilium generale a Deo accepit. Ergo rom. Pontifex est superior concilio.

c) Probatur thesis etiam ex verbis: *Pasce oves meas* (Joa. c. XXI.) Quibus verbis successores etiam B. Petri constituit Christus pastores universae Ecclesiae, totiusque ovilis sui curam illis commisit. Ergo quemadmodum pastor superior est ovibus, easque pascit, non pascitur; ita etiam rom. Pontifex superior est ovibus suis. Neque dicas, Petro fuisse omnes oves distributive sumptas a Christo commissas, non vero collective; et romanum Pontificem esse super omnes episcopos singillatim et distributive, non vero collective sumptos. Praeterquam enim quod haec responsio sit prorsus nova, auctoritati scripturarum ac Patrum et sanae rationi adversatur. Certe pastor omnibus ovibus tam collective quam distributive sumptis est superior, alioquin dicendum etiam foret, episcopum singulis quidem suae dioecesis presbyteris superiorem esse, non tamen omnibus collective sum-

ptis: ideoque illum synodo dioecesanae subjacere: imperatorem quolibet duce aut milite superiorem esse, non tamen toto exercitu simul sumpto.

d) Romanus Pontifex est caput universalis Ecclesiae, est immediatus vicarius Christi, habetque plenam potestatem pascendi et regendi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo, ut definitum est in concilio Florentino, et novissime in concilio vaticano. Ergo nisi turpis fiat in re tanti momenti vocabulorum abusus, papa est caput omnium episcoporum etiam collective sumptorum, secus non esset caput totius Ecclesiae universalis, sed tantum particularium ecclesiarum. Ergo illis est superior jure divino. Profecto percipi nequit, romanum Pontificem esse caput Ecclesiae universalis, si a membris vel collective vel distributive sumptis regitur; eumdem plenam habere potestatem pascendi et gubernandi Ecclesiam Dei, si ipse Ecclesiae subjicitur, et ab ea pascitur; eumdem esse immediatum vicarium Christi, siquidem ab Ecclesia judicari posset. Tali enim modo Pontifex non Christi, sed Ecclesiae foret vicarius; neque amplius rom. Pontifex, sed concilium oecumenicum, plenam haberet potestatem regendi et gubernandi Ecclesiam Dei, ejusque caput dicendum foret.

589. Ex dictis sequitur, a decretis romanorum Pontificum sive ad fidem et mores, sive ad disciplinam pertinentibus non posse fieri appellationem ad concilium oecumenicum vel ad quemcunque alium, quum appellatio *sit a minore judice ad majorem ratione gravaminis facta provocatio.* Hinc concilium vaticanum sess. IV. cap. III. definivit: „Quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuipiam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere a judiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare."

590. *Scholion.* Huic Romani Pontificis superioritati super concilium oecumenicum synodus Constantiensis non obstat. Adversarii ajunt: Concilinm Constantiense (sess. IV. et V.) duo edidit decreta, quibus declaravit, concilio generali quemcunque cujusvis dignitatis, etiam „papalis", obedire teneri. Concilium autem Basileense quinquies decreta Constantiensia confirmavit. Haec porro concilia recepta fuerunt et approbata ut oecumenica a Martino V., Eugenio IV. et Pio II. Ergo praestantia concilii supra Pontificem extra omne dubium posita est.

Ad solvendam hanc difficultatem, praemittendum est ex historia ecclesiastica, quod ad tollendum schisma Gregorii XII. et Benedicti XIII. decretum a cardinalibus fuit, ut Pisis haberetur concilium generale, quo vel, ut ipsimet juraverant, pontificatum abdicarent vel canonice exauctorarentur. Recusante utroque Pontifice, sunt ambo depositi anno 1409, electusque est Petrus Philargus sub nomine Alex. V. Sed moritur Alexander, eique sufficitur Balthassar Cossa dictus Joannes XXIII. Is, quum schisma vigere pergeret ob dubiam auctoritatem synodi Pisanae, indixit Constantiae generale concilium, cujus primae sessioni etiam praefuit. In secunda rogatus promisit, infulam pontificalem se depositurum, si aemuli similiter facerent vel pax Ecclesiae postularet. At vero sponsionis datae poenitens aufugit Schaphusiam. Hinc ut schismatis fautor atque simoniae reus judicatus est a concilio atque depositus, simulque lata fuit in aemulos sententia depositionis, cui iidem acquievere. Sic electus est Otho Columna Martinus V. appellatus, qui confirmavit concilium Constantiense in decretis circa fidem editis et ob luem grassantem, synodum transtulit Basileam. Martino successit Eugenius IV, qui primo Senis tum Florentiae generale concilium celebravit.

591. Affirmamus itaque: 1) decreta constantiensia, quae objiciuntur, non fuisse ullo modo oecumenica. 2) Dato et non concesso quod oecumenica fuerint, ea non esse ad rem, utpote quae ad Pontificem dubium et ad tempus schismatis tunc grassantis unice referuntur. 3) Multo minus oecumenica fuisse decreta Basileensia, quae ad hanc controversiam faciunt. 4) Denique eadem sive Constantiensia sive Basileensia decreta a nullo unquam romano Pontifice fuisse approbata.

592. Dem. pars. I. i. e. *decreta Constantiensia non fuisse oecumenica.* Nam concilium Constantiense peccabat in radice. Ut enim constaret de ejus oecumenicitate, debebat constare de Joannis XXIII. legitima electione; ut de hoc constaret, debebat constare de electione Alexandri V., cui Joannes successit. Ad id opus erat, ut Pisana synodus esset oecumenica. Atqui haec omnia incerta admodum erant ac vehementer implexa. Imo in ipso concilio Constantiensi, quum in aliis conciliis suffragium solis episcopis, abbatibus atque ordinum generalibus concessum fuerit, jus suffragii non consultativi tantum, sed etiam decisivi nullo habito personarum discrimine datum fuit non episcopis modo, sed etiam parochis, doctoribus, imo et laicis, ita ut ex majori illorum numero cujuslibet nationis sententia forma-

retur, in concilio dein nomine nationis ab unico praelato exponenda. Exinde sequitur, decreta talis concilii non esse oecumenica.

593. Dem. pars II. i. e. *in concilio Constantiensi actum fuisse de Pontifice dubio et de tempore vigentis tunc schismatis.* Probatur assertio *a)* ex verbis decretum sess. IV. immediate praecedentibus: „Haec Sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens, pro extirpatione praesentis schismatis, et unione ac reformatione Ecclesiae Dei in Capite et membris facienda." — *b)* Ex voto nationis germanicae in concilio hac de re ab ipsa lato: „Hoc sacrum Constantiense concilium, in materia hujus schismatis supremam in terris habet auctoritatem et judiciariam potestatem." Confirmatur hoc *c)* ex Martini V. agendi ratione, qui statim post electionem suam omnem auctoritatem in se transtulit et Bullam promulgavit in pleno consistorio, qua prohibuit in causis fidei appellare a papa ad concilium, nemine contradicente.

594. Dem. pars III. i. e. *concilii Basileensis decreta ad hanc rem pertinentia non fuisse oecumenica.* Concilium enim Basileense, quamvis legitime ab Eugenio IV. fuerit convocatum, nullius tamen est auctoritatis, quia illud jam post primam sessionem revocavit. Eugenius quidem per bullam Dudum Sacrum datam Romae anno 1433 dissolutionem concilii Basileensis a se factam revocavit, sed sub conditione; ait enim (in constitutione quae legitur in coll. Hard. tom. VIII. col. 1587): „Ita tamen, quod Praesidentes nostri ad praefati Concilii praesidentiam admittantur cum effectu, ac omnia et singula contra personam, authoritatem, ac libertatem nostram, et Sedis Apostolicae, ac Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et aliorum quorumcunque nobis adhaerentium in dicto Concilio facta et gesta, per dictum Concilium prius omnino tollantur, et in pristinum statum reducantur." Quibus verbis satis aperte improbat, quae Basileenses sess. II. contra Sedem Apostolicam moliti erant. Ergo cum Patres Basileenses conditiones non impleverint, a quibus pendebat dissolutionis concilii revocatio, necesse est dicere, nunquam Concilium in pristinum statum fuisse a Pontifice restitutum. Praeterea Eugenius IV. in constitutione, quae incipit Moyses vir Dei, edita in publica concilii Florentini sess. (hab. a. 1439) sacro approbante concilio, declarationes illas Basileenses damnavit, tamquam impias, scandalosas, nec non in manifestam Ecclesiae scissuram, ac omnis ecclesiastici ordinis et christiani principatus confusionem tendentes. Lateranense V. oecumenicum concilium sess.

XI. vocat Basileensem synodum, conciliabulum schismaticum, seditiosum et nullius prorsus auctoritatis.

595. Dem. pars IV. i. e. *decreta sive Constantiensia sive Basileensia a nullo Pontifice fuisse approbata.* Basileensis concilii exstat non approbatio, sed expressa damnatio ab Eugenio IV. lata, ut vidimus. Praeterea testante Joanne a Turrecremata (l. II. Summ. de Eccl. cap. 100), qui concilio Constantiensi interfuit, Eugenius Florentiae in disputatione publica Juliano Caesarino Cardinali, praesentibus cardinalibus, multisque praelatis, ita respondit: „Nos quidem progressum Basileensis Concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut incoeperat; non tamen approbavimus ejus decreta." Addit idem Turrecremata (loco cit.): „Quod Eugenius approbando progressum Concilii, non approbaverit decreta illius, exinde manifeste colligitur, quod licet Basileenses cum magno studio repetitis vicibus supplicaverunt, oraverunt, et requisierunt per oratores suos, ut Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, et confirmaret, numquam tamen talem approbationem aut confirmationem habere ab eo potuerunt."

De Constantiensi solet opponi confirmatio Martini V., qui sessione XLV. professus est: „Se omnia et singula determinata, conclusa, et decreta in materiis fidei per concilium Constantiense conciliariter, tenere velle, ipsaque sic conciliariter facta approbare et ratificare, et non aliter, et non alio modo". Verum illa phrasis *conciliariter facta* manifeste ab approbatione excludit decreta sessionis IV. et V., utpote facta sine sufficienti libertate suffragiorum, adeoque non *conciliariter*. Praetera dictum est a Martino „decreta et conclusa in materiis fidei", ad quas declaratio sessionis V. certe non spectat, prout patet ex bulla ipsius Martini V., in qua sub poena excommunicationis prohibuit, ne a Pontifice ad generale concilium quis provocaret. (Sard. de rom. Pont. art. III. contr. VI. — Cercia de rom. Pont. sect. III. lect. VIII.)

Caput IV.

De Romani Pontificis infallibili magisterio.

Articulus I.

Romanus Pontifex, quum ex cathedra loquitur, in rebus fidei et morum infallibilis est, antequam accedat Ecclesiae consensus.

596. Dicitur in thesi, romanum Pontificem *ex cathedra* loquentem in *rebus fidei et morum* esse infallibilem, antequm accedat *Ecclesiae*

consensus, id est, romanum Pontificem pro auctoritate decernentem, quid de quaestione aliqua fidei aut re cum fide connexa, vel quid de quaestionibus morum aut re cum moribus connexa a tota Ecclesia tenendum sit, errare non posse, ita ut quam primum fidelibus legitimo ac sufficienter episcoporum, ita ut quam primum fidelibus legitimo ac sufficienter constiterit, dogma alliquod ad fidem pertinens credendum proponi universae Ecclesiae a legitimo et indubitato romano Pontifice, omnes teneantur illud credere, neminique liceat decretum illud quocunque praetextu rejicere aut exspectare Ecclesiae consensum.

597. Romanum Pontificem explicato sensu esse infallibilem cognoscitur Christi effato Luc. XXII. 31 et seq. Imminente videlicet hora illa, qua Ecclesiam sibi sanguine suo acquisiturus erat, ait Dominus ad Petrum: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hic igitur primum explicite de constantia in fide sermo est; deinde hanc in Petro semper futuram tam certo promittitur, quam certum est, Jesu Christi orationem efficacem esse. Denique mandatum accipit Petrus, ut confirmatus ipse a Deo ad fratres, ergo inprimis reliquos apostolos, confirmandos incumbat.

Unde ex verbis Luc. XXII. hoc instituimus argumentum: juxta adducta verba Ecclesia obnoxia futura erat tentationi, et Christus praesens ei remedium praeparavit in speciali oratione pro Petro futuro Ecclesiae capite, adeoque pro ejus successoribus fusa, ut a Petro ac successoribus ejus, quorum fides deficere non poterat, eadem in fide confirmaretur. Jam si Petrus, seu romanus Pontifex infallibilis non esset, seu deficere posset fides ejus, dum publico magisterio fungitur in dogmaticis decretis, dicendum foret, aut Christi orationem pro Petro inefficacem fuisse, aut sufficienti remedio Christum Ecclesiae suae nequaquam consuluisse. Ergo quum neutrum sine blasphemia et Christi injuria admitti possit, sequitur dotem hanc infallibilitatis in Petro ejusque successoribus esse agnoscendam. Et sane penes Lucam sermo est de tentatione ea, per quam satanas non est praevaliturus contra apostolos, et minime omnium contra Petrum. Contra hanc tentationem Christus praesidium efficax constituit in fide Petri, quae cessura non esset, et per quam ceteri fratres confirmarentur. Dico praesidium *efficax:* oratio enim Christi absoluta est, effectu non caritura; fuisse autem absolutam, liquet ex verbis: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quibus Petrus repraesentatur stabilitus firmiter in fide: hac enim tantum in hypothesi potest Petro injungi officium confirmandi fratres. Christus itaque in summo et communi omnium fidei periculo pro unius Petri fide oravit, et quidem efficaciter, ceteris autem eo prospicit, quod a Petro vult eos confirmari, quo simul supponitur Petrum oratione Christi idoneum factum fuisse ad fratres confirmandos, ac proinde sufficienti remedio Christum Ecclesiae suae consuluisse.

598. Hinc si decreta dogmatica romani Pontificis possunt reformari ab Ecclesia eo, quod romanus Pontifex, etiam dum universam Ecclesiam docet, posset deficere in fide, duo exurgerent contra promissa Christi: 1) quod Ecclesia prout distinguitur a capite praedita esset infallibilitate, quum tamen haec ei non competat, nisi quatenus unum corpus cum capite suo constituit; 2) quod inverteretur ordo a Christo constitutus, nam non amplius Petrus confirmaret fratres suos, sed potius fratres Petrum in fide confirmarent, secus ac Christi verba exposcunt.

Verba: *Confirma fratres tuos*, non solum pertinere ad Petrum, sed etiam ad ejus successores, ac proinde conferri hic munus permanens, patet ex sequentibus:

a) Qui jubetur esse confirmator fratrum contra oppugnationes satanae ille est, qui designatus est petra Ecclesiae contra portas inferi; confirmare vero est officium proprium petrae, quae stabilitate sua firmum facit aedificium et est ejusdem sustentatio. Quum ergo petra Ecclesiae ejusque officium sit perpetuum, etiam officium confirmandi fratres perpetuum sit oportet. In eandem sententiam S. Cyrillus (N. PP. O. II. p. 420 ed. M.): »Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, id est firmamentum atque magister esto illorum, qui per fidem ad me accedunt.«

b) Officium confirmandi in fide fratres est officium certe apostolicum, sicut et officium docendi est officium pastoris. Atqui hujus modi officia Christus voluit esse perpetua in Ecclesia derivanda in successores eorum, quibus primo ipse commisit. Ergo officium confirmandi fratres transit in omnes successores Petri. Hinc S. Ambrosius scribit (de fide l. V. c. 4): »Petro dixit (Jesus): *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Eidem autem supra dicenti: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, respondit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni caelorum.* Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? quem cum petram dicit, fundamentum Ecclesiae indicavit.« A sancto Ambrosio itaque verba Christi de confirmandis fratribus haud secus atque illa de petra, supra quam aedificanda erat Ecclesia, ad munus summi Pastoris et ad hoc in successoribus Petri perpetuum referuntur.

599. Infallibilitas romani Pontificis probatur quoque ex iis Jesu Christi verbis, quibus promisit primatum: (Matth. c. XVI. v. 18.). *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* Christus per Petrum fu-

turum esse promisit, ut Ecclesia per omnes aetates firma consisterot. At vero sicut in unoquoque nostrum fides fundamentum et radix est omnis justitiae; ita proculdubio omne Ecclesiae bonum fide tanquam fundamento nititur, et sicut qui in re una a fide Ecclesiae recedit, ab ipsa Ecclesia recedit; ita Ecclesia in re quavis deficiens a vera fide, tota collaberetur. Quapropter si Christi promissione per Petrum firma adversus portas inferi consistit; Petro data sit necesse est potestas, in vera fide eam servandi, id est potestas definiendi, quaenam fides ab universa Ecclesia tenenda sit. Nam si in ipso non est jus docendi, cui in Ecclesia respondet officium audiendi, nec potest eam in recta fide servare.

600. Quod non minus manifeste inde deducitur, quod Christi Ecclesia necessario in se ipsa una est, ita ut vinculis, quibus continetur, solutis, corrueret haud secus atque aedificium, cujus compages laxantur. Porro una est primum et maxime unius fidei professione. Quapropter rursum inferimus: si Ecclesia per Petrum firma stat, stare autem firma non potest nisi unius fidei professione, in Petro sit necesse est potentia eam in unitatate fidei continendi. Concludendum igitur est, Petro datum esse, illam unam fidem, quam omnes profiteri debent, definiendi. Quae argumentatio confirmatur eo, quod non fides, sed Petrus per fidem fundamentum est, quo nixa Ecclesia immota stat. Haec autem fides, qua firmat Ecclesiam, non est illa, qua credidit, id est virtus fidei, quippe per eam ipse salvus factus est et cum Christo regnat in coelis: sed fides, qua Ecclesiam firmat, ea est, qua cum potestate praedicavit, et praedicat in suis successoribus, id est professio fidei ejus auctoritate stabilis.

601. Per hanc vero dum etiam in terris cum Christo et Christi loco regnat, alterum, quod ei promissum est, obtinet: *Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Jam vero finem regni coelorum, id est Ecclesiae, cujus claves promittuntur Petro, Dominus ipse declarat. Quum enim dixisset: *Regnum meum non est de hoc mundo,* interrogatus a Pilato: *Ergo rex es tu?* respondit: *Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (Joa. XVIII. 33, 34.). Hic igitur cum finis sit regni Christi in terris, ut in illo et per illud testimonium perhibeatur veritati, certe Petrus quoque, qui loco Christi regnat, potestatem habet attestandae veritatis. Si docere quidem potest, at quae credenda et docenda sint, decernere non potest, ut privatus quivis doctrina aliquid conferre, non autem tanquam princeps imperio efficere poterit, ut in Ecclesia et per Ecclesiam veritati testimonium reddatur. Quid vero absurdius, quam fingere potestatem plenam regis loco gubernandi, qua finis primarius regni non attingitur? Hoc igitur tenemus manifestis ipsius Jesu Christi promissis, principatu Petri ante omnia jus contineri, ut de *veritate* ab Ecclesia profitenda statuat.

602. Idem confirmatur illo Domini mandato, quo Petrum sui gregis pastorem constituit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Petro igitur, qui Christi sunt, traduntur pascendi, id est salutari doctrina nutriendi. Licet enim *pascendi* vocabulum proxime ad cibandum gregem referatur, tamen pastoris non tam est, gregi cibos ministrare, quam eundem ducere et gubernare, ut salutaria pascua inveniat, iisque securus fruatur. Atqui hoc summus Pastor Ecclesiae praestare non potest, nisi illo publico magisterio, quo inter veritatem et errorem, salutarem et pestiferam doctrinam discernit, et discernit quidem cum ea auctoritate, quam grex universus sequi tenetur. (Disputatio theol. de rom. Pont. supr. pot. doc.).

Articulus II.

Romanum Pontificem, ex cathedra definientem, in rebus fidei et morum esse infallibilem, evincitur ex sensu traditionali.

603. Communi consensu Patres agnoverunt inerrantiae dotem in romano Pontifice. Hoc unum afferimus argumentum. Certissimum est, veteres ad unum omnes reveritos esse in romanis Pontificibus rationem centri unitatis non modo communionis, sed maxime fidei: ita quidem, ut et ipsi communem Ecclesiae fidem praeformare ac continere debeant, et omnibus necesse sit concordare cum eorum fide; et haec ipsa concordia sit conditio ac tessera, juxta quam quisque possit esse et vocari catholicus: Quae omnia supponunt infallibilitatem romani Pontificis. Et sane

1) S. Irenaeus asseruit (lib. III. adv. haer. c. IV): „Ad hanc enim Ecclesiam (romanam), propter potentiorem principalitatem necesse esse omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles. In qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio.“ Ubi aperte firmitas in retinenda apostolica traditione, adeoque infallibilitas in definiendis fidei quaestionibus romanae Ecclesiae asseritur, ac ratio assignatur, cur ad

eam omnes ecclesiae recurrere debeant. Quid enim ceteras ecclesias juvaret, in fidei aut religionis controversiis romanam consuluisse sedem, cujus tamen responsum errori obnoxium scirent, ac proinde de cujus firmitate et veritate omnino dubitare possent?

2) Huc faciunt verba S. Cypriani (ep. 55 ad Cornelium pap.): „Navigare audent (Afri schismatici) et ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre: nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum." Et ep. 45 ad eundem S. Cornelium romanam Ecclesiam vocat *Ecclesiae catholicae radicem ac matricem*, atque episcopi romani communicationem *Ecclesiae catholicae unitatem* appellat. S. Cyprianus ergo agnovit infallibilitatem romani Pontificis. Si enim romanus Pontifex in errorem fidei contrarium labi posset, atque etiam actu laberetur, desineret esse ecclesiasticae illius unionis centrum, ad quod ceterae ecclesiae veluti totidem lineae ferri debent. Et si papa eis errorem proponeret credendum, utique ab eo recedere tenerentur, sicque a sententia papae recedendo, fidem catholicam retinerent, quod certe repugnat Cypriano, qui pro omni tempore sedem apostolicam vult esse radicem, matricem et centrum Ecclesiae catholicae totius, idemque esse communicare cum episcopo romano ac cum Ecclesia catholica.

Huc facit quoque, quod Optatus (lib. VII. c. Parm. c. III.) dixit, unicam et singularem cathedram episcopalem in tota Ecclesia esse, eamque idcirco uni Petro fuisse collatam, ut „in ea cathedra unitas ab omnibus servaretur, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret." Huc facit illud Ambrosii (enarrat. in ps. 50 n. 30): „Ubi Petrus, ibi Ecclesia."

3) Neque hic praetereundus est nobis S. Augustinus. Quamvis anno 416 Carthaginensis 68 episcoporum, et Milevitana synodus episcoporum plus 60 pelagianam haeresim damnassent, ipseque S. Augustinus plures jam libros contra illam scripsisset, adeoque minime ambigeret, quin haeretica dogmata in pelagiana doctrina continerentur, tamen dum a s. Innocentio I. litterae expectarentur, quibus Carthaginensi et Milevitano Conciliis hac super haeresi responderet, eorumque sententiam probaret, S. Augustinus circa finem anni 416 scribit (epist 178 al. 94 ad Hilarium): „Nova quaedam haeresis inimica gratiae Christi contra Ecclesiam Christi conatur exurgere, sed nondum evidenter ab Ecclesia separata est." At vero posteaquam

S. Innocentius papa Romae die 27. Januarii 417 pelagianam haeresim damnavit, ejusque rescripta in Africam perlata sunt, stylum mutavit Augustinus, neque jam dixit, haeresim illam nondum ab Ecclesia separatam esse evidenter, sed causam esse finitam. Ille enim (serm. 131. al. II. de verb. Ap.) die 23. septembris a. 417 ita populum suum allocutus est: „De hac causa duo concilia (Carthaginense et Milevitanum) missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt: causa finita est: utinam aliquando finiatur error." (Sardag. de iner. rom. Pontif. p. 154 seq.).

Hinc mos emersit antiquissimus referendi causas fidei ad romanam sedem. Hinc etiam ab Ecclesiae incunabulis mos invaluit subjiciendi opera praesertim dogmatica romanae sedis judicio. Hinc romanis Pontificibus solemne fuit epistolas dogmaticas scribere et suscipiendas proponere sive Ecclesiae dispersae sive in synodis generalibus congregatae, uti praestitit S. Leo in concilio Chalcedonensi. Hinc etiam consuevere rom. Pontifices insurgentes haereses statim ipsi per se anathemate configere, ita quidem ut tota Ecclesia damnationi illico annueret, ac proscripti a rom. Pontifice ab omnibus uti haeretici continuo haberentur.

Vix haeresis ostendi potest, quam romani Pontifices vel soli, vel saltem primi non praedamnaverint. Saeculo I. Simonem magum damnavit S. Petrus. Turbas Corinthi exortas epistola sua composuit S. Clemens. — Saeculo II. Valentinum, Cerdonem, Marcionem damnavit S. Hyginus, teste S. Irenaeo (lib. III. adv. haer. c. IV.). Montanum et Tertullianum S. Zephyrinus. Quartodecimanos, et Theodotum Byzantinum S. Victor. — Saeculo III. Novatianos S. Cornelius. Rebaptizantes anathematis comminatione terruit S. Stephanus. — Saeculo IV. Apollinarem, Timotheum et Vitalem proscripsit S. Damasus, Jovinianum S. Siricius. — Saeculo V. S. Anastasius I. Rufinum et Originem. S. Innocentius I. et S. Zosimus pelagianos, S. Coelestinus Nestorium, S. Leo M. Eutychetem. Acacium, Petrum Moggum et Fullonem S. Felix III. — Saeculo VI. Anthimum S. Agapetus. — Saeculo VII. monotheletas S. Theodorus, S. Martinus et S. Agatho. — Saeculo VIII. iconoclastas S. Gregorius II. et S. Hadrianus I. — Saeculo IX. S. Nicolaus I. et Hadrianus II. Photium. — Saec. XI. S. Leo IX. Michaelem Cerularium. S. Leo IX. et S. Gregorius VII. Berengarium. — Saec. XII. Innocentius II. Abaelardum, Eugenius III. Gilbertum Porretanum. — Saec. XV. Sixtus IV. Petrum de Osma. — Saec. XVI. Leo X. Lutherum. Michaelis Baji doctrinam S. Pius V. et Gregorius XIII. — Saec. XVII. Jansenii Iprensis Augustinum Urbanus VIII., Innocentius X., Alexander VII. Michaelem Molinos Innocentius XI. — Saec. XVIII. Paschasium Quesnellum Clemens XI. celeberrima constitutione *Unigenitus*.

4) Romanum Pontificem habitum fuisse perpetuo tamquam centrum unitatis fidei, patet ex eo, quod ipse a Patribus appellatur:

quemadmodum inquit Hieronymus (ep. 57. ad Damas);
petra fidei, quemadmodum inquit Sergius metropolita Cypri (in ep. lect. in
columna fidei, ut loquitur Sergius metropolita Cypri; *adamas fidei*, *cujus solida mens aggres-*
Conc. Later. sub Martino I.); *adamas fidei, cujus solida mens non est vulnerabilis,*
sionibus atque conflictibus alienae a fide opinionis non est vulnerabilis,
quemadmodum ait concilium VI. oecumenicum (in prosphonet. ad
Constant. imper.); *basis fidei immobilis* ut appellat Chrysostomus
(hom. in ps. 50); *fons vere illimis ac sincerus verae fidei*. ut disserit
Phillippus legatus (in conc. oecum. Ephesino); is in quo *Petrus fidei*
columna et fundamentum semper vivit et judicium exercet, prout con-
fitetur concilium oecumenicum Ephesinum; is per quem Petrus *sem-*
per praestat quaerentibus fidei veritatem, uti testatur S. Petrus Chry-
sologus (ep. ad Eutich.).

604. Si igitur per Patres hoc sensu romanus Pontifex est centrum fidei, quatenus est *fidei fons, custos, petra, basis, fundamentum, firmamentum, columna* et quidem *immobilis, inviolabilis, invulnerabilis* etc. et in ordine ad „*praestandam omnibus veritatem*"; itemque sic ut per ipsum Petrus eam praestare censeatur, evidens est, rom. Pontificem esse infallibilem.

605. Sed ut proprius ad rationem centri veniamus, certum ex allegatis est, eatenus Patres in rom. Pontifice centrum unitatis fidei agnovisse, quatenus talis esse debeat in ipso genere unitatis fidei, et ad ipsum hunc scopum conflandae et conservandae perpetuo unitatis fidei; secus praeter rem diceretur centrum ejusdem, si respectu *ipsius fidei, qua fides est*, munere *centri* non fungeretur. 1) Sane Rom. Pontifex nullatenus foret centrum fidei, si revera fides in ipso unitatem non adipisceretur, sed vaga et dissoluta, quantum est ex parte Pontificis, consisteret et si non in ipso, sed in alio quovis fides unificata et indivisa conservaretur.

2) Absoluta necessitas adhaerendi per fidem rom. Pontifici qua centro vigere non posset, si haec adhaesio non semper nec indubie ad rectae fidei professionem duceret.

3) Quomodo insuper, quod a Patribus primi principii loco semper est habitum, ex hoc uno criterio dijudicari deberent homines ex albo catholicorum expuncti et accensiti haereticis, quod a fide centri unitatis desciscerent, si certum non esset, fidem centri unitatis esse veram fidem, ac possibile foret, veram fidem apud dissidentes potius in hoc illove casu consistere?

4) Quomodo in causis fidei Patres censuerunt, ultimo confugiendum esse ad romanam sedem, ejusque judicium uti peremptorium ac decretorium habendum esse, si revera non uti decretorium sed uti fallibile haberent?

606. Per Patres ergo romanus Pontifex est centrum unitatis sic ut eadem, qua talis, procreari a Pontifice et conservari debeat. Jam vero ad hoc evidentissime est absolute necessaria infallibilitas. (Cercia de rom. Pontifice sect. IV. lect. IV.).

607. Decreta romani Pontificis errori non esse obnoxia definitis etiam conciliorum sententiis continetur.

Imprimis commemoranda hic venit celebris Hormisdae formula. Hic sc. papa qui ab anno 514 ad annum 523 regnavit, ad extinguendum schisma Acacianum fidei regulam confecit, quae eo quidem tempore a patriarcha constantinopolitano, a Justiniano imperatore et omnibus Orientis episcopis, necnon ab Hispaniae praesulibus, postea vero in concilio oecumenico VIII. (an. 869—870) proposita, similiter a cunctis et graecis et latinis Patribus subscripta est. Atqui hujus formulae exordium ita habet: „Prima salus est regulam fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest D. N. Jesu Christi praetermitti sententia, dicentis: *Tu es Petrus etc.*, haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in *Sede Apostolica immaculata est semper servata religio*". Huic igitur formulae subscribentes Patres professi sunt, et *factum*, Petri successores a vera fide nunquam defecisse, et *causam facti*, h. e. promissionem Jesu Christi, qua facti constantia per omnes etiam futuras aetates certa redditur. Quapropter etiam in fine formulae legitur: „Unde sicut praediximus, *sequentes in omnibus Apostolicam sedem et praedicantes ejus omnia constituta*, spero, ut in una communione vosbiscum, quam Sedes Apostolica praedicat, esse merear, in qua est *integra* et *verax christianae religionis soliditas*; promittens etiam sequestratos a comunione Ecclesiae catholicae, *id est non consentientes Sedi Apostolicae*, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria". (Mansi Coll. Conc. tom. XVI. pag. 27).

608. In ultimo igitur concilio universali, quod ante Photianum schisma habitum est, Graeci omnes supremam romani Pontificis auctoritatem, de qua nobis sermo est, professi sunt, sancte promittentes, in ea se fide permansuros, quam praedicaret sedes apostolica, eo quod per hanc religio christiana secundum Jesu Christi promissum pura et integra perpetuo servetur. Post exortum vero schisma ut primatum regendi, ita etiam primatum docendi successoribus B. Petri abjudicaverunt. Atque ideo ab illis praecipue conciliis, in qui-

bus unionis grave negotium tractatum est, in Lugdunensi scilicet secundo (an. 1274) et in Florentino (an. 1438—45) de romanae sedis principatu nova et illustria documenta reperiuntur. In priori legati Michaelis Palaelogi imperatoris, qui unionem petebat, confessionem fidei a Clemente IV. ei propositam pronuntiarunt, in qua legitur: „*Ipsa quoque S. R. Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet,* quam se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et *si quae fidei subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri.*"

Jam vero, si romani Pontificis judicio, ut in Lugdunensi synodo habetur, quaestiones fidei definiri debent; proculdubio, quod de fide romanus Pontifex statuerit, ab Ecclesia tenendum et credendum est. Aut igitur Ecclesiae promissum non est, nunquam fore, ut a veritate deficiat, aut romanus Pontifex in definiendis fidei quaestionibus divinitus ab errore defenditur.

In decreto vero unionis, in Florentina synodo a graecis aeque ac latinis Patribus subscripto, postremus articulus hic est: „Item definimus, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, *totiusque Ecclesiae caput et Christianorum patrem et doctorem* existere; et ipsi in B. Petro *pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse;* quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur". Romano Pontifici igitur a Christo tradita est *plena potestas docendi Ecclesiam universam;* potestas autem plena docendi in Ecclesia complectitur ipsum jus de fide Christi statuendi et subditos fideles osbtringendi, ut id, quod statutum est, credant et profiteantur; potestas ergo docendi in Ecclesia non est plena, nisi *omnes* liget, et *omnino* liget. Atqui potestas omnes ad credendum obstringendi concipi non potest sine asisstentia divina, quae errandi periculum removeat. Ergo romanus Pontifex est infallibilis.

609. Tandem concilium Vaticanum (sess. IV. c. IV.) definivit: „Itaque nos . . . definimus: Romanum Potificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate polere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclessiae irreformabiles esse. Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit".

Articulus III.

Falsum est, Honorium I. papam fidei errorem ex cathedra docuisse.

610. Ante demonstrationem theseos, quaedam animadvertenda et praemittenda sunt. Quandoquidem hic non de quibuslibet erroribus quaestio est, sed de erroribus tantum in decretis dogmaticis ex cathedra emissis, dum scilicet Pontifices universam docent Ecclesiam; duo efficiant adversarii necesse esset ad Pontifices ex cathedra loquentes erroris insimulandos. Deberent *primo* ostendere, errorem objectum ita certo fidei errorem esse, ut nulla apta interpretatione purgari possit; *secundo* esse praeterea errorem definitionis dogmaticae seu definitionis *ex cathedra* latae. Alterutrum enim si desit, multo vero magis si neutrum comprobetur, nulla poterunt ratione adversarii infallibilitatem romanorum Pontificum impetere.

Quum adversarii maxime casum Honorii I. urgeant, videamus, an docuerit fidei errorem ex cathedra. Sed ut status quaestionis magis patefiat, narrationem sequentem proferimus. Anno 633. Sergius, Constantinop. patriarcha, monothelita insignis totusque ex fraude et mendacio factus, literas ad Honorium rom. Pontificem malo dolo plenas dedit, quibus ipsi hanc induxit persuasionem, ad Ecclesiae bonum maxime interesse, ut nec una nec duplex Christi voluntas et operatio diceretur. Exstat haec epistola actione 12 synodi sextae (Hard. III. p. 1311). Rerum itaque circumstantias haud satis perspectas habens Pontifex Sergium facilius audivit, ac silentium, quo, ut eventus docuit, grave damnum fidei allatum est, judicavit servandum. Qua de re quatuor conscripsit epistolas, unam ad Sergium, quae celeberrima est, et in eadem actione concilii sexti (p. 1319) exhibetur: alteram ad Cyrum, Alexandrinum patriarcham, monothelitam, et tertiam ad Sophronium Jerosolymitanum, orthodoxum; ultima, cujus fragmenta dumtaxat supersunt (act. 13. p. 1351), ad eundem Sergium missa. Ob scriptas ad Sergium litteras, Honorius a sexta synodo anno 681, una cum Theodoro episcopo in Pharan in Arabia, Sergio, Pyrrho (Sergii succesore) et Paulo monophysitarum episcopo in Armenia actione 13 condemnatus est.

611. Hisce positis affirmamus I. Honorium nullam haeresim docuisse, neque voluisse II. ex cathedra aliquid definire.

612. *Probatur pars,* I. i. e. Honorium nullam docuisse haeresim. Nam.

1) Honorius diserte docet doctrinam catholicam praesertim in epistola secunda. Decretoria sunt Honorii verba ex secunda epistola: „Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet . . . . utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus: et divinam quidem, quae Dei sunt operantem: et humanam, quae carnis sunt exequentem: non divise, neque confuse aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes: sed naturarum differentias integras confitentes. Unus enim atque idem est humilis et sublimis, aequalis Patri et minor Patre." (Hard. pag. 1354).

2) Honorius in iis epistolarum locis, in quibus affirmat unam voluntatem, plane ad menten Sergii loquitur seu potius ad verba ejus subdola et mendacia, quae mentem veram et propositum iniquum non tam aperiebant quam occultabant.

Ut haec melius intelligantur, praemittimus sequentia. In statu naturae lapsae sunt in nobis appetitiones rebelles rationi et legi divinae, atque inde pugna exoritur, quam S. Paulus describit Rom. VII., dum spiritus concupiscit adversus carnem et caro adversus spiritum. Facultas quidem volendi una est, sed ea allicitur bonis duplicis ordinis generici; bonis scilicet, quae sunt honesta sanctaque et delectabilia spiritui, et bonis, quae sunt delectabilia coruptae naturae sed adversa honestis. Duplex haec contraria tendentia potest dici duplex voluntas, una spiritus ad superiora tendens, altera naturae corruptae ad inferiora, atque ita voluntas carnis contraria voluntati spiritus. Monotheletae fraudulenter in disputationibus cum catholicis tacite assumebant, in Christo voluntatem ad superiora, voluntatem spiritus, esse voluntatem naturae divinae, unde inferebant, voluntatem humanam, si quae esset in Christo, non fore aliam quam corruptae naturae contrariam voluntati spiritus. Duas itaque voluntates, ajebant, non posse esse in una persona nisi contrarias, non esse autem in Christo voluntates contrarias, ergo unam tantum esse voluntatem. Statu quaestionis ita proposito catholici, qui dolos eorum perspectos non haberent, poterant existimare vel duas tantum negari in Christo voluntates *humanas* invicem pugnantes; ut in nobis fit, vel quod fere eodem redit, negari voluntatem humanam contrariam divinae, et utramque dici unam *consensione*, quae sane doctrina orthodoxa esset.

Ita certe Honorius I. Pontifex intellexit, quum Sergius ei nuntiasset, ortas acres concertationes inter Cyrum Alexandrinum et Sophronium Hierosol. de una vel duabus Christi operationibus et voluntatibus.

a) Quod enim Cyrus approbante Sergio ad conciliandam unionem Monophisitarum dixerit unam voluntatem Christi et postea eodem Sergio hortatore abstinendum esse statuerit a praedicatione unius vel duarum voluntatum, id Sergius in relatione ad summum Pontificem in hunc sensum exponebat: „Tali oeconomia utendum, ne

affirmari videantur in Christo *voluntates duae contrariae* Verbo volente impleri salutarem passionem, humana autem natura obsistente." (Man. XI. p. 534).

b) Sergius scilicet corde Monotheleta fuit, et ad suam haeresim securius disseminandam, voluit, ut nec una nec duae voluntates de Christo affirmarentur. Ut, ad hunc finem assequendum, comprobationem Honorii captaret, imprimis summis laudibus effert Leonem Magnum et concilium Chalcedonense. Deinde dicit unam operationem vel voluntatem, ob vocis novitatem, affirmari non debere; nec etiam duas voluntates esse affirmandas, quia, ut insinuat, qui isto modo loquendi utuntur, duas voluntates, quales in nobis, qui in peccato et cum fomite peccati nascimur, exsistunt, secum repugnantes significant. Et quoniam impium esset asserere duas esse in Christo ejus modi voluntates, censet ideo pium esse, ut ab usu istorum vocabulorum omnino abstineretur. En ipsa Sergii verba in epistola ad Honorium (Harduin 1315). „Ad Alexandriae patriarcham scripsimus, ut . . . de cetero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro . . . eo quod unius quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta sit patribus, tamen peregrina videatur . . . . Similiter autem et duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote a nullo sanctorum et probabilium Ecclesiae institutorum edita: insuper et consequens ei sit praedicare duas voluntates, *contrarietates* circa invicem habentes: tamquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, *humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati, et resistente;* et perinde *duo contraria volentes* introducantur, quod impium est."

c) Honorium, captiosa narratione Sergii deceptum et circumscriptum, rescribentem ei secundum sensum, quem ex ejus epistola perceperat, nequaquam voluisse negare voluntatem in Christo vere humanam, sed tantum istas duas voluntates secum repugnantes, indirecte patet ex verbis supra allatis et directe ex sequentibus, in epistola prima ad Sergium (1319—22): „Unam voluntatem fatemur D. N. J. Christi, *quia* profeto a divinitate assumpta est *natura, non culpa,* illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata . . . . Non est itaque assumpta, sicut praefati sumus, a Salvatore *vitiata natura,* quae repugnaret legi mentis ejus . . . . Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis."

Ex primis hujus loci verbis clarum est, Honorium per locutionem *unam voluntatem* significare voluntatem *humanam*. Statim enim subjungit rationem, nempe quia natura humana, quam assumpsit, sine peccato fuit; ergo in ea non potuit esse, qualis in nobis est, motus involuntarius et inordinatus inferioris partis animae adversus superiorem, et repugnantia ista duarum voluntatum. Insuper si divinam voluntatem voluerit, insulsitas argumenti tanta esset et adeo manifesta, ut Honorium non tam haereticum quam mente captum proderet. Tunc enim sensus esset: Una tantum voluntas est Christi, eaque divina, *quia* assumpsit naturam humanam, non peccato inquinatam, sed a peccato immunem: quasi in natura humana maculata tantum inveniri possit voluntas humana!

Patet ergo Honorium, malam Sergii fidem fraudesque non suspicatum, bona fide respondisse et, ne cogitantem quidem de voluntate humana recta et voluntati divinae conformi negata, solam istam vitiatam voluntatem negasse.

3) Hunc fuisse sensum epistolarum Honorii, qui patet ex modo quo quaestionem Sergius proposuerat, testantur Joanes IV., Honorii successor, epistola ad Constatinum imperatorem (Mansi X. p. 633—685) et S. Maximus in disp. cum Pyrrho et in epistola ad Marinum appellans etiam ad testimonium Joannis abbatis adhuc tum superstitis, qui Honorio et Joanni IV. a secretis nomine illius ad Sergium, nomine hujus ad Imperatorem epistolas scripserat (ib. p. 687—689.) „Is igitur (Joannes abbas) — inquit S. Maximus, — cum ad divum Constatinum Imperatorem ex persona rursus sancti papae Joannis de hac epistola scriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam, et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatem ejus signabat". (Disp. c. Pyrrho. In Bibl. max. PP. Lugd. F. 12. p. 502 seq.).

4) Talis sensus, qui patet ex modo, quo Sergius quaestionem proposuerat, apparet quoque ex responsione Honorii, qui consensit Sergio et Cyro, ut *unius vel geminae operationis* vocabula non adhiberentur, quia nulla sit eorum necessitas, quum neque in scripturis neque in definitionibus conciliorum contineantur, et „ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe, si rursus unam operationem D. N. Jesu Christi fatendum esse censuerimus, stultam Eutychianistarum dementiam fateri putemur". (ib. p. 542—543).

Sentit itaque Pontifex, sufficere confiteri duas naturas propria cuique operantes, quin opus sit nominare expresse duas operationes, ne parvulis suspicio praebeatur duorum operantium.

613. *Probatur pars* II. i. e. Honorium nihil *definire* voluisse *ex cathedra*. Nam 1) Sergius nullam fidei definitionem postulavit, sed tantum approbationem silentii oeconomici quoad voces unius vel duplicis operationis.

2) Honorius ipse, postquam catholicam doctrinam explanavit, expresse affirmat, se nolle definire quidquam: „Auferentes ergo, inquit (in II. ep.), sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, *non nos oportet* unam vel duas operationes *definientes* praedicare." Quod deducitur quoque ex epistola I. quam sic concludit: „Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet, sicut et nos ea vobiscum praedicamus: *hortantes* vos, ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum D. N. J. C. Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operantem divinitus atque humanitus, fide orthodoxa, et unitate catholica praedicetis". Hortatur ergo, non mandat neque ullam poenam intentat.

3) Tantum abest, ut epistolae Honorii ad Sergium pro universa Ecclesia scriptae sint, ut a tempore, quo datae sunt (an 633), usque ad concilium sextum generale (an. 681) fere omnibus ignotae in scriniis ecclessiae CPolitanae latuisse videantur: quod de secunda epistola ex actis illius concilii manifestum est (Hard. p. 1351). Ubi autem deest promulgatio, quomodo dici potest, rom. Pontificem omnium christianorum pastoris ac Doctoris munere fungi et doctrinam de fide vel moribus *ab universa Ecclesia tenendam* definire, in quo tantum casu infallibilis pronuntiatur?

4) Ostendit Orsi (tom. I. art. II.), ut litterae vel decreta romani Pontificis vim definitionis dogmaticae haberent, quasdam ea aetate solemnitates ut plurimum observatas esse.

a) In synodo episcoporum Italiae, aut saltem viciniarum provinciarum, vel in clericorum ecclesiae romanae conventu proposita quaestio ventilabatur.

b) Litterae apostolicae ad patriarchas aut primates aut metropolitanos dirigebantur, ut eas ceteris per orbem episcopis intimarent.

c) Illud etiam plerumque in more positum erat, ut ad earum subscriptionem episcopi adigerentur. Porro istas solemnitates non esse observatas ab Honorio constat.

614. Licet Honorius ex cathedra nihil definiverit et in tota ejus oeconomia haeresis nulla sit, attamen in illis adjunctis, ubi Monotheletae volebant expunctam professionem duarum operationum, quia negabant, quod Honorius diserte docebat, humanam naturam sua operantem, in illis inquam adjunctis, et orientalium haereticis fraudibus a Pontifice minime perspectis, suppressio disertae professionis duarum operationum Christi spectabat inscio et invito Pontifice ad impediendos catholicos in defensione fidei et ad expeditiores reddendos haereticos. Igitur non haeresis assertae, sed fotae reus fuit; non consensionis cum haereticis, sed inconsultae dissimulationis, et hoc sensu intelligi debet condemnatio Honorii in concilio VI. Certissime hoc solum sensu a rom. Pontifice Leone II. admissa est. Respondens Constantino Imperatori de gestis et decretis in synodo VI. in versione latina quidem ait: „Anathematizamus novi erroris inventores id est Theodorum Pharanitanum episcopum, Cyrum Alex., Sergium, Pyrrhum . . . . . nec non et Honorium qui hanc apostolicam Ecclesiam non Apostolicae traditionis doctrina lustravit sed profana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est". At textus graecus longe aliter se habet: „Qui hanc Apostolicam Ecclesiam non suscepit doctrina Apostolicae traditionis lustrare, sed immaculatam profana proditione *maculari permisit*; ὅστις ταύτην τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν οὐκ ἐπεχείρησε διδασκαλίᾳ ἀποστολικῆς παραδόσεως ἁγνίσαι, ἀλλὰ βεβήλῳ προδοσίᾳ μιανθῆναι τὴν ἄσπιλον παρεχώρησε. (Mansi x. p. 731. 733). Profana proditio est haeresis Sergii et Cyri opposita apostolicae traditioni, ut ex antithesi in verbis graecis est manifestissimum. Damnatur ergo, quod huic haeresi non restitit, sed eam potius negligendo confovit, ut idem Leo II. loquitur in epistola ad episcopos Hispaniae: „Qui adversus apostolicae traditionis puritatem perduelliones exstiterant, abeuntes quidem aeterna damnatione mulctati sunt, id est, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alex., Sergius, Pyrrhus . . . cum Honorio, qui „flammam haeretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem incipientem exstinxit, sed negligendo confovit. (Ibid. p. 1052 — Murray de Eccl. c. 19. — Franzelin de Verbo incarn. th. XL.)

Caput V.

De civili romani Pontificis principatu.

Articulus I.

Romanus Pontifex plena gaudet immunitate personali a laica potestate.

615. Licet temporalis potestas rom. Pontificis non sit ipsa in se spiritualis primatialis potestas, tamen dicendum est aliquid de illa ob intimum nexum utriusque et magnum Ecclesiae hostium impetum, qui adorti sunt temporalem papae dominationem, eo quod sperarent, ea adempta, facile ipsum primatum spiritualem eversum iri.

Ut quae ad temporalem papae dominationem spectant, breviter explicemus, demonstrabimus in hoc articulo, rom. Pontificem plena gaudere immunitate personali a laica potestate; sequenti vero considerabimus, num expediat bono societatis, etiam qualis nunc est, et Ecclesiae, ut Pontifex jus suum dominii temporalis, titulis legitimis innixum, conservet et exerceat.

Quod ad primam quaestionem attinet, per se intelligitur quaestionem hic non esse, utrum in causis ecclesiasticis Pontifex sit immunis a laica potestate, sed quaestio est tantum quoad res et causas civiles. Neque quaestio est de subjectione potestati civili quovis modo spectatae, sed de subjectione *potestati coactivae* seu jurisdictioni proprie dictae.

616. *Immunitas plena personalis h. e. jus exemptionis a quavis jurisdictione civilium potestatum competit rom. Pontifici, idque jure divino.* Rom. enim Pontifex divinitus habet eam qualitatem vel dignitatem, quae excludit civilem jurisdictionem. Et sane

1) Rom. Pontifex est magister et judex supremus et infallibilis christianorum in rebus fidei et morum; supremus proinde judex et infallibilis in quavis quaestione de honestate vel turpitudine actuum humanorum. Constitutus est ergo a Deo judex supremus et infallibilis de honestate judiciorum et legum a principibus christianis latarum: quae omnia si honestate careant, nihil valent; et rom. Pontifex potest sua auctoritate praecipere, ne legibus talibus aut sententiis, quas iniquas esse censet, pareatur. Atqui repugnat, ut vi legum et judiciorum civili potestati subdatur ille, qui judex est earumdem legum, qui auctoritate sua, eaque inappellabili, contradicentibus etiam principibus, abolere eas potest, declarando, eas esse iniquas, et praecipiendo, ne observentur.

Dices, romanum Pontificem id posse tantum circa leges et sententias iniquas. Esto: attamen *a*) auctoritas judicandi infallibiliter de earum honestate se

extendit ad omnes; *b*) quoad potestatem abolendi, judicium, an ea recte vel non recte Pontifex utatur, non principi ulli, sed soli Deo reservatur. Quapropter haec existit habitudo inter principem et Pontificem, ut principi nulla sit auctoritas affirmandi legem suam vel sententiam esse honestam et valore contra judicium Pontificis ejusque praeceptum, ne observetur. Porro quum talis est inter utrumque habitudo, quoad nullam suam legem potest princeps cogere Pontificem.

2) Ecclesia est societas visibilis et independens, quae jus habet ad vitam socialem perfectam. Ut autem ejus vita socialis bene se habeat, seu perfecta sit, necesse est, ut supremum ejus caput semper gaudeat actu plena et perenni libertate docendi et ferendi leges atque poenis cohibendi erga omnes fideles, ipsosque principes; necesse est, ut pax et tranquillitas regiminis ecclesiastici sit ex se stabilis, ideoque nullo modo dependeat a voluntate mutabilis hominis, cui Ecclesiae cura non est promissa; necesse est, ut exercitium potestatis capitis Ecclesiae ita certo constare possit omnibus fidelibus, ut excludantur exceptiones probabiles, quas promovere possent contumaces ajentes, sponte sua Pontificem non agere; necesse est, ut pastor immediatus omnium fidelium alienus sit a contentionibus, quae populos infideles societate civili inter se committere possent, ne et ipse debitam fidelium fiduciam et reverentiam amittat ejusque decreta, quae forte non placent, suspicione laborent, quod in gratiam sui principis edita sint.

Atqui haec omnia vel includunt vel exigunt immunitatem Pontificis a laica jurisdictione. Nam vilesceret certe penes hominum multitudinem auctoritas Pontificis, si is non secus ac alii cives ad laica tribunalia traduceretur, si a laica potestate poenis mulctaretur. Item tranquillitas regimis ecclesiastici non foret stabilis per se h. e. ex intrinseca virtute auctoritatis; penderet enim tranquillitas ab extrinseca voluntate quoque principis, qui Pontificem cogere et ejus actiones impedire posset; et quamvis id non faceret, tamen quum ejus voluntas mutabilis sit, semper velle poterit: unde per accidens tantum tranquillitas regiminis obtineretur. Item spectata inordinatione humanarum voluntatum, fieri non posset, ut Pontifex subditus gauderet plena et perenni libertate docendi, ferendi leges et puniendi; morali enim necessitate propter corruptionem naturae eveniret, ut principes. auctoritati suae nimium studentes, vellent prohibere Pontificem ab iis, quae sibi non placent. Et natio quaevis aversatur civiliter eos omnes, qui ad inimicam pertinent nationem, Ecclesiae caput evaderet frequenter objectum aversionis, eorum christianorum, qui cum suo principe bellum gererent, suaque decreta,

quae forte non placerent, suspicione laborarent, quod in gratiam sui principis edita sint, et ideo contepmtui obnoxia forent.

617. *Corollaria.* 1) Ergo *jus* immunitatis personalis rom. Pontificis est veritas divinitus revelata; continetur enim in veritate revelata primatus.

2) Licet jus immunitatis personalis rom. Pontifici sit collatum in bonum Ecclesiae, exercitium tamen hujus juris non est *absolute necessarium*, ut Ecclesia sit; primis enim saeculis rom. Pontifex non gaudebat exercitio hujus juris, Ecclesia tamen stabat.

3) In rom. Pontificis est potestate tum praecipere ceteris, ne immunitatis exercitium impediant, tum determinare modum, quo exercendum sit istud jus.

4) Ergo jus immunitatis nullatenus originem ducit a civili potestate. Gaudent tamen personae ecclesiasticae immunitate jure quoque humano sive civili, quatenus principum est tum praecipere subditis suis, ne violent Ecclesiae jus, tum removere omnia, quibus impeditur exercitium legitimi juris ecclesiastici. (Palmieri de rom. Pont. thes. 24.).

Articulus II.

Romani Pontificis potestas temporalis exigitur ad exercitium spiritualis primatus.

618. Si spectetur id, quod requiritur ad immunitatis essentiam, patet, eam obtineri posse sine principatu, a quo proinde sejuncta esse potest; satis est enim, ut Pontifex non sit subditus; est autem aliquid amplius esse regem. Verum perfectior modus immunitatis est is, qui principatu absolvitur. Immunitas enim est independentia; perfectior autem independentiae modus a civili potestate est principem esse. Sic quoque independentia firmior est, et ex se stabilis magis, atque est universalior, quum neque vi directiva civilium legum alicujus regni teneatur.

619. Jam vero ut demonstremus, rom. Pontificis potestatem temporalem exigi ad exercitium spiritualis primatus, supponimus imprimis, acquisitionem principatus civilis rom. Pontificis legitimam fuisse ratione habita legum humanarum, neque ulli legi divinae adversari. Etenim ex una parte legitimi sunt tituli possessionis temporalis dominii, quo fruitur rom. Pontifex, utpote innixi legibus, quibus hactenus suffulta stabant imperia, quales sunt: perennia saeculorum jura, diuturna regiminis pacifica possessio, foedera totius

Europae auctoritate sancita et confirmata; ex alia vero parte potestas ecclesiastica et potestas politica non sunt contrariae, sed utraque est bona, utraque a Deo, utraque laudabilis et una alteri servit: in se ergo non pugnant; simul ergo in eodem esse possunt. Hinc subreptio dominii temporalis rom. Pontificis est contra jus naturae, quod suum cuique relinquere praecipit; contra jus gentium, quod regna aliena invadere vetat; contra jus ecclesiasticum, quod bona Ecclesiae rapere prohibet et contra jus sacrum et divinum, quo rem Deo dicatam profanare sacrilegium est.

620. ***Principatum civilem requiri ad exercitium primatus spiritualis, probatur sequentibus rationibus:***

1) Palmaris est ratio, quae ducitur a necessaria ipsi exercitio primatus libertate. Ecclesia enim non tantum jus habet, ut sit, sed etiam ut *bene* sit i. e. ut perfecto modo suae naturae convenienti existat et regatur. Jam vero ut Ecclesia bene sit, necesse est, ut omnia ejus jura, praesertim jura ejus capitis in actum deducantur; non enim frustra ea jura contulit Deus. Itaque si de essentia est spiritualis primatus, ut rom. Pontifex omnimoda in primatus exercitio libertate fruatur, ad ipsum primatum maxime pertinet, ut ab omni civili subjectione penitus sit liber, quod non aliter fieri potest, nisi rom. Pontifex sit Papa rex. Praeterea libertas etiam in exercitio primatus in eo postulatur, ut possit Pontifex libere agere cum omnibus principibus et statibus de Ecclesiae negotiis, in quibuscunque rerum vicissitudinibus, et quocunque tempore. Sed si subditus foret alicui principi, jam et communicatio, et relationes, et negotia religionis dependerent ex phasibus politicis, ac certe tempore bellorum praepedirentur maximopere et perturbarentur.

2) Alterum argumentum suppeditat fiducia, quae ab omnibus aeque gentibus in Pontifice supremo collocari debet. Quae enim a Pontifice expectantur, supremi et res omnes mundanas transcendentis momenti sunt: unde quanti refert animarum salus, tam perniciosum et exitiale esset, ut possent gentes de rom. Pontificis actibus decretisque diffidere. Debet rom. Pontifex orbi terrarum definitiones in fide et moribus; debet disciplinae praecepta; causarum matrimonialium, aliarumque etiam in persona principum, et ex quibus quandoque totius civitatis aut regni fortuna pendet, decisiones, salutaria remedia etc. In his omnibus, quod maxime exquiritur, est persuasio, quod Pontifex nullius ductu aut impulsu regatur, sive quod liberrime edat sua decreta. Nec satis est, ut reipsa

immunis sit Pontifex a coactione; sed debet id publice et notorie constare penes Ecclesiam universam, adeoque Pontifex debet esse in eo statu notorio, in quo constet, non posse ullius violentiae aut influxui esse obnoxium. Nisi haec ita habeant, populorum publica et solemnis fiducia nequit obtineri. Fiducia ergo populorum essentialiter nititur in notoria absoluta libertate rom. Pontificis. Sed alioquin haec notoria libertas non potest populis constare, si videant, romanum Pontificem alicujus terreni principis potestati subjectum.

3) Tertium argumentum desumitur a pace, qua inperturbata et immutabili frui debet rom. Pontifex, ut in exercitium muneris sui possit perpetuo incumbere. Proinde status ipsius esse debet independens a publicis perturbationibus politicis, quae humanam societatem solent excutere. Evidens autem est, hanc independentiam haberi non posse, nisi summus Pontifex ulli principi temporali sit subjectus.

4) Confirmatur etiam thesis ex Pontificum electione, quae vix libera haberi potest, si rom. Pontifex non sit a quovis humano principe independens, quod ex historia luculenter patet.

621. *Corollaria.* I. Ergo falsum est, de temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputare inter se christianae et catholicae Ecclesiae filios.

II. Ergo falsum est, abrogationem civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque conducere. (Syllabi propos. 75 et 76.).

622. Quod ad certitudinem attinet veritatis de necessitate principatus civilis rom. Pontificis, animadvertendum est, ipsum esse nexum cum jure immunitatis, cujus est perfecta actuatio et qui pro plena libertate Pontificis necessarius est. Scimus autem jus immunitatis esse veritatem divinitus revelatam. Idem dicendum eodemque modo de alia veritate quod nempe Pontifex jus habeat ad media necessaria, ut libertate sua plena uti possit; revelatum est enim, rom. Pontificem jus habere ad exercitium plenissimum suae auctoritatis; perinde est enim conferre auctoritatem et conferre hoc jus. Atqui collato jure ad finem, hoc ipso confertur jus ad media necessaria, et qui affirmat jus esse ad finem eumque esse vult, hoc ipso affirmat jus esse ad media necessaria; ergo hoc quoque affirmandum est a Deo ut revelatum.

623. Quaenam autem sint hujusmodi media, quae plerumque ex diversis adjunctis et conditionibus dependent, in quibus Ecclesia

versari potest, ea non opus fuit omnia singillatim revelari, sed relinqui potuerunt determinationi Ecclesiae. Idque factum videtur quoad principatum civilem. Ecclesia scilicet, quae scit, se habere jus ad media necessaria pro pleno exercitio suae potestatis, illudque habere semper et pro quavis conditione humanae societatis, definire potest: his in adjunctis, ita se habentibus hominum moribus, necessarius est Pontifici principatus civilis. Quanta ergo est certitudo hujus veritatis? Supponendum est rom. Pontificem posse sententiam infallibilem ferre non solum circa veritates revelatas, sed et circa alias veritates sive theoreticas sive practicas aut historicas, quae cum dogmate sive theoretico sive practico connexionem habent. Porro hujusmodi est veritas illa. Nam dogma est, rom. Pontificem jus habere ad liberum exercitium plenae suae potestatis; praeceptum est divinum sive dogma practicum, debere fideles omnes potestatem hanc revereri, liberumque ejus exercitium numquam impedire. Atqui ut id firmiter praestetur, constare debet cum certitudine, quaenam sint media necessaria ad illud exercitium; et si negetur necessitas alicujus medii, quod tamen reapse sit necessarium, periclitari potest in fidelibus fides ipsius dogmatis, juris nempe ad liberum exercitium suae potestatis; nam si quis putet, illud non esse necessarium et posse sine ulla injuria auferri Pontifici, nequit ille simul tenere, Pontificem habere jus ad eam libertatem, quam sine eo medio exercere nequit.

Jam vero auctoritati docenti respondet in discipulo fides, et auctoritati infallibili respondet fides certa et infallibilis. Quae idcirco non est tantum fides humana, nam innititur auctoritati magisterii divinitus instituti et infallibilis; non est autem simpliciter fides divina, quia objectum ejus formale non est auctoritas Dei revelantis. Est ergo fides infallibilis innixa auctoritati magisterii divinitus instituti. Est autem fides debita; auctoritas enim magisterii Ecclesiae est auctoritas jurisdictionis, qua fides praecipitur, unde non sufficit obsequiosum silentium.

Porro certum est, Pium IX. plus semel et cum eo universum episcopatum solemniter docuisse necessitatem principatus civilis. (Litterae Apost. Pii IX. Cum Catholica 20/3 1860.).

624. *Scholion.* Nonnulla sunt thesi nostrae prima fronte adversa, sed quae operosum non est cum eadem componere. Ac primo illud objiciunt: *Regnum meum non est de hoc mundo.* (Joa. XVIII. 36.). Ergo, inquiunt, Christus temporalis rex non fuit. Ergo et Christi

vicarium dedecet omnis alia potestas, quae spiritualis non sit, sed temporalis et mundana.

Negari non potest, quod per ea verba Christus sibi deneget possessionem regni temporalis, qualia sunt regna hujus mundi, mundana et caduca. Sed omnino negamus consequentiam, qua infertur propterea jure quodam divino nefas esse, ut rom. Pontifices regno temporali potiantur. Etenim hoc jus vel inducitur ex facto Christi tamquam ex praecepto vel tamquam ab exemplo. Atqui neutrum dici potest. Et sane non ex praecepto; Christus enim nullum penes Pilatum praeceptum promulgavit, nullamque legem sanxit, sed tantummodo factum suum exposuit, negans coram praeside, a se affectatum fuisse vel susceptum regnum temporale. Non item ab exemplo; neque enim est revera simile, ut, si Christus abstinuit ab administratione potestatis temporalis, rom. Pontifex pariter abstinere debeat: quum revera dentur rationes, cur Christus a temporali regno debuerit abstinere et dentur rationes, cur non debeat neque possit abstinere a terreno principatu rom. Pontifex. 1) Sane in Christo illud primo postulabat series ratioque veterum prophetiarum; item ratio ac indoles missionis Christi, quae juxta Dei arcana consilia non ex humanae potentiae signis, sed ex signis humilitatis ac paupertatis erat agnoscenda. 2) Id requirebat etim efficacia missionis Christi; fundator enim religionis, qui venerat, ut ex humano genere superbiae ulcus exstirparet, non debuit imbecillibus ullam excusationis aut tergiversationis ansam exhibere; proindeque decuit nihil aliud eum in se praeseferre, quam dolores et contemptus, quin tamen tantumdem absolute et simpliciter a suis asseclis exigeret. 3) Denique id requirebat electa ab eo oeconomia redemptionis. Si enim languores nostros erat laturus et dolores nostros portaturus; si, inquam, portaturus erat peccata nostra super lignum; quomodo cum his regiam dominationem et potestatem potuisset componere?

Ex parte igitur Christi hae aliaeque innumerae rationes extitere, cur nullius sibi regni temporalis administrationem susciperet, licet quoad jus dominus esset supremus titulo etiam acquisitionis constitutus orbis universi. Ast ex parte Pontificis non ita res se habet, sed plurimae sunt causae, a nobis in thesi jam allatae, quae expostulant in eo temporalis potestatis possessionem.

625. Multo minus potest aliquid contra thesim inferri ex verbis: *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur; vos autem non sic* (Luc. XXII. 25); vel verba:

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta (Luc. X. 4); et: *Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet* (Matth. VIII. 20); vel illud: *Omnes ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* (Luc. XIV. 33.)

Nam primis illis objectis verbis non excluditur absolute dominatio, sed orta inter apostolos contentione, quis eorum videretur esse major, reponit Christus futurum esse quidem inter apostolos, qui ceteris sit superior, iis tamen fugiendum esse fastum, aversandamque ambitiosam dominandi aliis cupiditatem: *Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Hoc ergo loco confirmatur a Christo ipse primatus. Quod ad secundi generis dicta Christi attinet, locutus est Christus de illa prima missione, deque illo primo ingressu apostolorum in mundum, in quo quidem peculiaria adjuncta ferebant, ut apostoli omnium nudi se muneri exercendo committerent. Itemque locutus est de omni alia occasione, qua similia adjuncta a viris apostolicis simile vitae genus flagitarent. Unde Christus non tam praescribere intendit factum, quam animi dispositionem, qua parati esse deberent ad quoslibet exantlandos labores, et ad omnem penuriam tolerandam, qui apostolico muneri se addicerent. Cujus quidem rei formam Christus exhibuit in laudatis verbis inque illa prima discipulorum missione. Est etiam alia ratio, cur sic Dominus sit locutus: quo nimirum intelligerent, de nulla re debere esse sollicitos; quandoquidem nihil esset, quod ipsis spirituale bonum hominum procurantibus non par esset ab hominibus vicissim rependi. Postrema illa Christi verba in objectione non posse accipi sensu materiali de materiali abdicatione omnium, quae possidentur, evidens est; secus omnes Christi fideles incapaces essent cujuscunque possessionis. Sunt ergo accipienda de abdicatione interna et spirituali per contemptum rerum mundanarum sic, ut non praepediant nobis iter ad coelestem patriam. Jam vero non inficiamur, debere Pontificem in hoc humanarum rerum contemptu vel in ipsa regni temporalis gloria maxime eminere. (Palmieri de rom. Pont. thes. 24. — Cercia de rom. Pont. sect. V. lect. I—III.).

Conclusio.

626. Ut episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei

et communionis unitate conservaretur, Christus beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit *perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum,* super cujus fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret. Nulli autem dubium, imo saeculis omnibus notum est, Beatum Petrum ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivere et praesidere et judicium exercere. Unde quicunque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Quapropter catholicae veritatis doctrina est, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscunque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesiae Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hinc pastorali muneri ut satisfacerent, romani Pontifices indefessam operam dederunt tum ut fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent, tum ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. (Conc. Vat. sess. IV.). Unde Sedes Apostolica, in se firmissima, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculatur. Si enim rom. Pontifex solidatus non esset in fide, quomodo posset alios in fide firmare? Et tamen alios in fide firmare specialiter ad rom. Pontificem pertinet, Domino protestante: Ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Rogavit, et impetravit: quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia. Et ideo fides Apostolicae Sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra semper et illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum. Quapropter ut fides quoque nostra integra sit et illibata et non circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris (Eph. IV. 14.) tempore hoc, quo sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coacervant sibi magistros prurientes

auribus: et a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur (II. Tim. IV. 3. 4.) discedentes a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum (I. Tim. IV. 1.); dictis S. Petri Chrysologi obtemperemus: *In omnibus hortamur te frater honorabilis, ut his, quae a Beatissimo Papa Romanae civitatis praescripta sunt, obedienter attendas: quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet,* **praestat quaerentibus fidei veritatem.** *Nos enim pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanae Civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.* (S. Petr. Chrys. in ep. ad Eut.).

O. A. M. D. G.

Pag.	linea	errata	corrige:
94	penult.	472 U. c	472
97	32	Pharee	Phacee
101—113	saepe	Christus	Jesus Naz.
115	21	Joa. v.	I. Joa. V.
118	11	potestate	potestate etiam
222	24	XI. 52	XVII. 11
231	19	cui	quibus
240	17	quippe quae	illa enim
240	18	quadam	quadam abstracta
254	27	magistrae	magistra
286	25	Joa. XX.	Joa. XXI. 15—18
312	6	episcopus	episcopos.



I. Index capitum et articulorum.

Theologiae fundamentalis

Pars II.

De existentia divinae revelationis.

Caput I. De religione patriarchali.

Caput II. De religione mosaica.

Caput III. Legi mosaicae succedere debuit melior perfectiorque revelatio.

Caput IV. De religione christiana.

Caput V. De religionis christianae propagatione, conservatione et efficacia.

Caput VI. De judaismo, gentilismo et mahumetismo.

Theologiae fundamentalis

Pars III.

Sectio prior.

De vera Christi Ecclesia.

Caput I. De origine seu institutione Ecclesiae.

Caput II. De Ecclesiae constitutione sive natura.

II. Index alphabeticus.





